


Librairie Religieuse & Reliure
A. JOSEPH
Rue Blanche, 15.
PARIS.



Borsieri G.

INSTITUTIONUM
MEDICINAE PRACTICAE

QUAS

AUDITORIBUS SUIS PRAELEGEBAT

IO. BAPT. BURSERIUS

DE KANILFELD

VOLUMEN QUARTUM

DE MORBIS PECTORIS ET IMI VENTRIS

OPUS POSTHUMUM

RECUDI CURAVIT

JUST. FRID. CAR. HECKER

MEDICINAE UTRIUSQUE DOCTOR ET PROFESSOR P. E. IN UNIVERS. LITTER. BEROLINENSI, PLURIUM SOCIETATUM MEDICARUM AC LITTERARIARUM SODALIS.

LIPSIAE

SUMTIBUS FRIDERICI FLEISCHERI.

MDCCCXXVI.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL

UBALDI VIGILII BURSERII

IO. B. APF.

PRAEFATIO.

Ex prima fronte libri quisque perspiciet, quale sit praecipuum, de quo hic agitur, argumentum. Quaenam autem in unoquoque capite peculiariter comprehendantur, ex utriusque partitionis indiculis clarius innotescet. Uberiorem adhuc rerum cognitionem acquiret, si quis discendi cupidus singula quaeque capita attente perlegerit. Quid plura? Restat modo, lector, ut certior de iis fias, quae aliunde scire, aut ex libro coniicere non posses. Quare praemonitum te volo, hoc quartum volumen longe ab iis differre, quae vel auctor edidit, vel mihi edenda commiserat. Non enim elaboratas absolutasque continet praelectiones, uti fortasse sunt, quae tribus prioribus continentur voluminibus, sed rudes eas ac informes, quales nempe illi tum e calamo exciderunt, cum primum eas de die in diem festinanterque in usus scholasticos exararet. Quamquam integrum novennium in schola Ticinensi docentis munere functus est, non tamen eas pluries auditoribus suis, sed semel tantum tradidit excipiendas. Quod sane mirum videri posset, si primo restitutae academiae anno MDCCLXX., quo simul et publice docere, et clinicen ad tironum institutionem facere in valetudi-

nario ipse susceperat, haec illi provincia de medicina practica, ut aiunt, explananda demandata fuisset. Verum non hanc illico medicinae partem, ad quam reapse tradendam per legati litteras fuerat invitatus, sed alias atque alias, ipso quidem invito et discipulis aegre ferentibus, ad exitum usque anni IV. tradere coactus est in gymnasio. Causas vero non reminiscar, ob quas ei denegatum est, quod sibi ipse deberi contendebat iure promissi et conventi anno primo, quoniam culpa magis temporum calamitati quam aliorum invidiae erit verosimiliter tribuenda. Id unum fas mihi sit animadvertere, munus huiusmodi ei delatum postea fuisse, cum nempe primum studiorum cura demandata est Cl. equiti NICOLAO PECCIO, cuius recentis iacturae minus dolendum, quod modo illustres fratres iique iuris consultissimi JACOBUS et JOHANNES DE BOVARIIS, alter quidem in eius locum suffectus prolegati Insubricae praefecturae, alter vero consiliarii reique litterariae curatoris partes aequissima lance gerunt. Sub initium itaque anni quinti aggressus est ea methodo tradere praelectiones ad praxin medicam, qua scilicet scholasticum curriculum intra triennium obsolveretur, et re quidem vera in fine septimi primum idem absolvit. Nono autem vertente sive altero secundi curriculi anno, quo omnia clariori in lumine collocanda uti par erat sibi ipse proposuit, ab inceptis cessare compulsus est medio veluti cursu abreptus, ut Mediolanum concedens novo ei concredito regii archiatri fungeretur officio. Ab eo tempore praelectiones ad morbos pectoris et imi ventris spectantes, quas mox erat traditurus, in scriniis suis reposuit, ibique repositae ad ultimum fere vitae terminum manserunt. Etsi namque omnes subsecivas horas studiis impertire solitus erat, has tamen sibi vin-

dicaverant tria priora volumina, eaque praesertim de febribus morbisque exanthematicis febrilibus; quorum postremum vix initio illius quo decessit anni in ordinem redegerat, et una edendum paraverat aliud, quod tertio loco de capitis morbis prodivit. Potiorem temporis partem praeter suum officium, quod etiam infirma valetudine fere semper usurpavit, alienis curis, quibus domi forisque distinebatur, donabat; minimam vero omnium saluti prospiciendae suae, etiamsi molestiis invalescentis quotidie morbi affectus acerbisque doloribus conflictatus nec rheda vehi, nec pedes ire commode posset. Prima autem quae se obtulit occasio educendi in lucem, et contrectandi iterum praelectiones illas de morbis pectoris imique ventris, haec fuit. Aeger ipse, iam nulla spe reliqua de salute eius, in lectulo iacebat, cum properaret ad exitum tertii voluminis editio. Mecum de ea re colloquens conquestus est, se non posse institutiones medicas perficere, quas edendas susceperat suadentibus amplissimis viris tum laudato Nicolao Peccio, tum vel maxime comite Wilzeckio, qui splendidissimos honores caesareae per Italiam regiaeque simul Insubricae legationis florente adhuc aetate consecutus, eosdem aliquot ab hinc annis sapientissime ac integerrime tuetur. Cupiens tamen, quoad vires deficientes sinerent, bene de tantis viris promereri, voluit sibi adferri fasciculos earum praelectionum, quas me iussit e scriniis depromere, ut supremam manum iis imponeret, meque peramanter rogavit, ut ego ei ad easdem exscribendas adiutor forem, singula quaeque prout mihi ipse indicasset adornando. Facere aggressus libenter sum quod iubebat, at non satis fausto felicique omine. Postquam duo capita de tussi et cruenta exspuitione, nec non diagnosin phthiseos pulmonaris, de qua tertio

morborum pectoris capite disputatur, omnia ab ore morientis excipiens ego conscripseram, ipse vero ea mihi dictare inter summas anxietates et spiritus angustias, licet repetitis intervallis, plures dies conatus erat, tandem necesse fuit omnino desistere; nam vires eius fractae penitus sunt, et vox fere intercepta. Hinc dolenti mihi et querenti, quod idem fatum, quo dulci eius consuetudine privabar, nobis eius lucubrationum fructum eriperet, ut solatium aliquod afferret, sic me, leniter subridens, allocutus est: „haec rerum humanarum vicissitudo est: *opus ipsa suum eadem quae coagmentavit natura dissolvit:* aequo animo ferendum quod aliter fieri nequit. Si quid e meis scriptis in vulgus edidi, iam nosti non meo tantum quam aliorum iudicio fecisse, et praesertim ut legibus academicis obtemperarem, nulla sane spe praemii allectus, nulla laudis cupiditate aut prospiciendi posteritati arrogantia permotus. Primum siquidem frustra exspectassem; alterum vero sibi polliceri post innumeras doctissimorum medicorum commentationes insanientis hominis esset. Morte vero obrepente citius adhuc quam gravi senecta, vitio mihi non vertetur, si quod fueram aggressus non absolverim. Nihil est ergo, quod te nimis reddat sollicitum. Mihi vero petenti instantique quidnam agendum et reliquis praelectionibus decerneret? an eas evulgandas, et cui credendas esse existimaret? ipse post breve silentium me iterum alloquens respondit: „se nullo modo talium rerum editionem esse probaturum; nam manca et imperfecta plura cum sint, lituris aliisque vitiis non paucis commaculata, nec legi eadem recteque intelligi, nec periodos quandoque sive orationis membra inter se parum interdum connexa colligari facile posse; praeterea multa in usum scholae vix delibata (quae tamen ipse oretenus lon-

giori sermone explicare solitus erat tum scholae, tum in valetudinario) maiorem amplitudinem exposcere ut lucem mererentur; quaedam etiam fortasse tollenda, quaedam addenda; perpolienda omnia, et ad priorem formam atque ordinem redigenda esse; ac id genus alia praestanda, quae nonnisi vel ipsemet, vel saltem aliquis non tam peritus homo, quam diligens, aequo animo praeditus et a partium studio alienus perficere valeret; in huius enim consuetudine vitae non rerum scientiam, sed morum probitatem spectandam esse, quae praestantior omni doctrina est. Ipsum autem neminem nosse, de quo proh! nimium diffidendum non esset; qui enim aptiores videntur, plerumque rerum innovandarum cupidos, vel plausus aut gloriolam aucupantes suae magis adaugendae famae, quam publicae utilitati studere, nec quae vera sunt, sed quae magis novi speciem referunt non levi rei medicae detrimento plerumque sectari: omnes insuper medicinam facientes quo peritiores habentur, eo minus otium studiis suppeditare posse, quod vix sufficiat invisendis curandisque aegrotis; qui vero non satis periti, eos vel desidiae, vel oblectamentis deditos haud ita facile ad laborem et vigilias revocari; demum quoscunque studio partium teneri; ideoque malle sua perpetuo delitescere, quam aut adulterata, aut turpiter mendosa in lucem prodire.“ Multo plura tum protulit memorabilia, quae veluti testamenti loco tradita excepi, alteque animo defixi. Interim ipse morbi vi ad interitum ruens diem supremum obiit. Mala avi potestas mihi data non est penes me retinendi memoratos fasciculos. Etenim statim a morte eius una cum ceteris scriptis ac libris in cubiculum coniecti fuere, cuius ostium sigillis obsignatum est, ut heredum iura sarta tectaque servarentur. Praeter omnem exspectationem ac-

cidit, ut idem resignatum amplius non sit nisi maio mense superioris anni MDCCLXXXVIII., quo tempore duntaxat e latebris eductae praelectiones sunt, mihique concreditae, ut si fieri posset in vulgus emitterentur, satisque fieret nostratium aeque ac exterorum desiderio, qui omnes vel a me, vel ab aliis hoc quartum sciscitabantur volumen tanquam iure ad idem acquisito, postquam illud quam proxime proditurum esse spoponderat Ambrosiani monasterii typographus in epistola, quae III. Volumine edita est. Idipsum ego licet exoptarem (pudebat enim negligentiae redargui), redibant in mentem optimi parentis monita, a quibus si discessissem, mihi violatae erga eum pietatis reus esse videbar. Verum nonnulli amicorum non dubitabant asserere, me pie magis cum eo facturum, si ego ipse operi restituendo, ne infectae institutiones ad praxin manerent, manum sedulo admovissem; nec quidquam officere quod medicinae studiis addictus non essem; quin imo omnem inde amoveri suspicionem, quae suboriri forte posset de minus vera auctoris sententia, si ab aliquo artis medicae quantumvis eximio cultore id praestitum esse constaret; quoniam experientia comprobatum est, homines eandem artem exercentes suas merces sub alterius opificis nomine saepenumero venditasse, ut pluris venirent; quod sane de filio non medico iudicari a nemine posset. Etsi me pluribus ad id hortabantur, mihi tamen evolventi autographa auctoris exemplaria, et singula quaeque attentius perscrutanti nimis periculosum opus videbatur. Oportebat enim non modo ea diligentissime exscribi, quod absque Oedipo coniectore fieri interdum posse diffidebam, sed etiam partitionum rationem aliquando immutari, ne a suscepto priorum voluminum ordine hoc posthumum discreparet; notulas praeterea ad

rerum seriem qualibet paragrapho contentarum indicandam singillatim in spatio marginis apponi; multos quoque fontes, unde auctoritates scriptorum erant depromptae, innui; plurima adiici ad calcem paragraphorum latine reddenda, quae vel innumeris schedis hinc illinc inter paginas insertis adnotarat, vel in sua conieccerat auctor adversaria, quaeque ut opportunis in locis collocarem, coniectura uti debuissem; quandoque vero si qua occurrerent in antecedentibus loca observanda, eadem ob oculos legentium poni; et demum alia huiusmodi necessario perfici, ne vitio mihi vertendum esset totum discrimen, quod inter hoc et priora volumina intercedere videretur. Quibus omnibus perpensis parum abfuit, quin omne de eodem evulgando consilium abiecerim. Verumtamen ne privatum meum commodum publicae utilitati (absit verbo invidia) anteferre, aut amicorum sollicitationes parvi pendere viderer, malui hunc subire laborem, et potius temeritatis notam, quam desidis ingratique hominis incurrere. Libens itaque aggressus sum, brevique temporis intervallo perfeci, otio enim abundabam, quod nunquam absoluturum fore credideram. Utinam pari diligentia ac celeritate usus essem, atque hoc saltem nomine tum de patre desideratissimo, tum de re medica mereri mihi licuisset! Nollem in eorum reprehensionem incurrisse, qui librorum inutilium numerum quotidie in immensum adaugent. Spes tamen allicit, aequiores in me iudices fore, qui nullo partium studio ducti exploratas habere velint causas, quibus permotus id fecerim. Si quid vero, mi lector, utilitatis inde perceperis ex huius IV. Voluminis lectione, scito JOSEPHO GALEATIO, qui suis impensis edendum illud curavit, acceptum id esse referendum. Sin minus, omnem mihi culpam tribuito, quam tamen ut ignos-

cas, peto et rogo. Auctori tandem, quaeso, parcant omnes, ad cuius excusationem aptissime usurpari possunt OVIDII carmina:

Orba parente suo quicunque volumina tangis,
. . . . , ...
. . *faveas: non haec sunt edita ab ipso:*
Sed quasi de domini funere rapta sui.
Et alibi:
Ablatum mediis opus est incudibus istud;
Defuit et scriptis ultima lima suis.

Quoniam autem laudari a laudato viro eximiae laudi tributum semper fuit, fas mihi erit ultimo loco adiicere versus [1]) Horatianam venustatem redolentes, quibus laudationem auctori perhonorificam in eius funere contexuit pro sua erga eum singulari humanitate amplissimus S. R. E. Cardinalis DURINIUS ordinis Mediolanensis, non tam splendore generis et romanae dibaphae, quam praeclaris legationibus functis, amore summo in scientias et artes earumque cultores, rara in omnes comitate et facilitate, doctis lucubrationibus editis, perspicacissimi ingenii vi, ac praestanti doctrina spectatissimus.

1) Post auctoris obitum eos edidit Cl. V. JOSEPH. AQUILA Volumine VIII. *Diarii italici litterarii Mediolanensis,* ab eodem docte eleganterque conscripti.

ANGELI CARD. DURINII
IN OBITUM
VIRI CLARISSIMI
JO. BAPTISTAE BURSERII
DE KANILFELD
ODE ALCAICA.

Ciere plectrum threicium tibi,
Boerhâve subrum mens iubet, inferos
Quo mulsit amnes, atque ab orco
Eurydicen repetebat Orpheus.

Imi sed orbis te semel incolam
Nulli reducent heu citharae soni,
Plutona quamvis ipse MOLLO [1])
Sollicitet prece blandus. Aulae

Scit quippe scit Dis illacrimabili
Qui accessit hospes, te et toties necis
Tardare pennas imminentis
Non humili solitum triumpho.

Deserta ferme regna Proserpinae,
Atque otiosum viderat Aeacum,
Umbrasque raras, te medente,
Elysias penetrare valles.

Qua nempe doctam cumque dabas manum
Funus sub ipsum cedit inefficax,
Et pene victrix mors remittit
Egregiae spolia ampla vitae.

Securus artis praesidio tuae
Aeger nec aestus, signaque sirii
Foecunda morbis, africumque
Corporibus metuit nocentem:

Non mortis ullum pertimuit gradum
Mortale corpus, non tacito phthisis
Peredit igni, non tumenti
Dirus hydrops labefecit unda.

Quocunque ferret dira febris pedem,
Te mater omnis, te miserabilis
Poscebat uxor, ne caducum
Orba virum, puerosque ploret:

Seu confluentes forte timet notas
Praeclara virgo, tu faciem eripis
Periclitantem, protegisque
Delicias iuvenum futuras.

Isthaec loquatur *Papia nobilis*
Tuis medelis freta potentibus,
Salubre numen quae colebat
Te veluti, sobolemque Phoebi.

Te iure talem, te hinc meritis vehit
Regina subrum laudibus. Invidae
Voces recedant; nam medendi
Cuncta tibi superasse virtus

Concessit. Alte tu physicae impiger
Fontes perennes, tu penetralia
Rimatus aspernaris unus
Vulgus iners volitante penna.

Qualem ergo honorem, quam statuam [2]) tibi
Ponemus? O cui non alium parem
In arte Phoebus, se remoto,
Aut oriens videt, aut recumbens!

Fecere nec te multiscium scholae,
Librique tantum; sed sapientia
Cognata rebus, mensque facti
Experiens, animusque felix:

Non mille plantae, mille vitra, et domi
Ignesque centum, aut *hypothesis* placens
Prosunt medenti, vel coërcent
Saeva luis, mala saeva febris;

Ni pectus adsit consilii potens,
Ni plena rugis experientia,
Ususque naturam secutus,
Quid potius moneant in aurem.

Haec *praxis* olim grande decus sacrae
Adduxit arti. Sic veterum stetit
Secura fama, sic praeivit
HIPPOCRATES, meruitque coelum.

Te sic medendi munere nobilem
Effinxit ardor vividus ingeni;
Te mentis audax vis, sagaci
Consilio bene temperata:

Te cura morbos tollere pertinax,
Rerumque prudens experientia.
Sed dum laboras recreare
Instabiles hominum ruinas;

Dum perspicaci lumine conspicis
Causas latentes, et vitia, et modos,
Vicesque morborum, necisque
Insidias retegis dolosae,

Aegris mederi te bene sedulum
Incauta morbi vis subiti occupat,
Et, te iacente, impune parcae
Exitium insubribus minantur.

Frustra quot herbas terra parens alit
Sumis salubres, quot chymia exprimit
Sumis liquores, non caducam
Arte potes retinere vitam.

Quod si domantem cuncta Proserpinam
Usus medendi, aut paeonius labor
Domare possent, non peritum
Phoebigenam Iove fulminante

Mersisset orco dura necessitas;
Non et batavae praesidium scholae
Vidisset umbras, et lycei
Lux potior SYDENHAMUS angli.

Nec te Italorum prime Machaonum,
MORGAGNE, flesset te medicûm cohors,
Carmenque iam moestum pararem
Ipse tuae, leve munus, umbrae;

Retro fugaces sed tibi Delius
Donaret annos, sed stabili salus
Vultu renidens, et iuventa
Perpetuum renovaret aevum.

At sacra tellus reliquias licet
Servet repostas; non simul occidit
Praeclara virtus, nec silenti
Splendidior series laborum

Iacet sepulcro; sed spatium bonis
Extendit ultra, et rite docentibus
Coelum recludit usque penna
Fama volans metuente solvi.

Vir magne vives tempus in ultimum,
Dum volvet undas lubricus abdua;
Hortoque docto dum Ticini
Subsilient, medicamen, herbae:

Dum multa sylvae filia nobilis
Pulchre explicatis erudiet comis,
Succosque monstrabit scientes
Aegram hominum relevare gentem.

Vir magne vives tempus in ultimum,
Vigiliarum qui bene prodigus
Sepulcra molitus superba
Pyramidum potiora mole.

Non marmor aeque, non ebur indicum,
Aurumque spirans, nomen in alterum
Demittat aevum, ut quae dicasti
Scripta TUO nova FERDINANDO [3]).

Et si peribit quod tibi stat lapis
Ferrariana [4]) clarus epigraphe,
Non tu peribis, lux medentum.
Vivitur ingenio; memorque

Gens docta fastis te historiae inseret;
Tibique surgent templa perennia,
Lauroque vernantes columnae
Ad citharam properante saxo.

Dum multa pestis fraude Promethei
Deducta coelo, dum febrium cohors
Vexabit orbem, tu medenti,
Tu pariter memorandus aegro.

Quin atque etrusci pectinis arbiter
Te VILLA [5]) musis charior aetheri
Te sidus addet, te benignum
Sidus, et insubribus salubre.

1) Illustris vir patricius Neapolitanus extemporaneus poëta percelebris.

2) Liberalitate JO. BAP. MANZONII Mediolanensis simulacrum marmoreum eidem decretum, in porticu medica ticinensis gymnasii collocandum, quod ad vivum effinxit exculpsitque JOSEPH. FRANCHIUS excellens in arte statuaria, et R. artium academiae Mediolanensis professor.

3) Volumen primum harum *institutionum*, quod usque ab anno 1781 editum est, numini maiestatique FERDINANDI AUSTRIACI Divi FRANCISCI I. aug. filii, et D. N. JOSEPHI II. fratri consecravit auctor, qui eius archiatri munere fungebatur.

4) GUIDO FERRARIUS latinissimus scriptor, elogiis et inscriptionibus romano more editis inter insubres satis clarus.

5) ANGELUS THEODORUS VILLA, eloquentiae graecolatinae, et historiae insubricae professor in Ticinensi universitate, idemque inter poëtas Insubriae nulli secundus.

IN-

INDEX CAPITUM.

PARS PRIOR.

DE MORBIS PECTORIS.

CAPUT I.

DE TUSSI.

§. I.

Tussis definitio.

Involuntaria [1]), plus minus vehemens, cita et brevissimis intervallis iterata aëris e pulmonibus cum sonitu aut clangore ad laryngem quodammodo arctatum allidentis explosio, quam magna plerumque inspiratio [2]) antecedit, peculiari communique nomine vocatur *tussis*. *Causa proxima.* Videtur effici a *subita, alternaque fibrarum musculorumque exspirationi potissimum inservientium contractione*, quam excitat irritatio nervis, *Remotae causae.* aut fibris, aut musculis ad organa respirationis spectantibus illata, et praesertim laryngis, tracheae bronchiorumque sensibilissimam membranam interiorem proxime afficiens, vel remote ad hasce partes producta; nam haec vel in iis incipit et insidet, vel aliunde ad eas porrigitur. *Sensibilitate et irritabilitate pulmones praediti sunt.* Neque ab eiusmodi irritatione immunes existunt ipsi *pulmones*, quia nervis et *sensibilitate* non modo, verum *irritabilitate* etiam donari nuper a Cl. VARNIERIO [3]) demonstratum est. *Prima tussis differentia.* Hinc prima oritur tussis distinctio in *idiopathicam*, sive *pectoralem* et in *sympathicam*, sive per *consensum*.

1) Voluntate etsi inhiberi quandoque possit, sic ut HALLERO (*Elem. Physiolog. lib. VIII. sect. IV.* §. 35.) *voluntaria actio* habeatur, non tamen semper id in nostra potestate positum est.

2) HALLER. l. c.

3) *Mémoires de la Société Royale de Méd. vol.* 3. *p.* 39. *Mémoire sur l'irritabilité du poumon.* Ubi auctor evidentis- *VARNIERII observatio-*

nes de pulmonum sensibilitate et irritabilitate. sime ostendit, pulmones in vivis animalibus irritabiles ubique esse; eorum enim lobi tam interne, quam externe irritati contrahuntur, rubent, indurescunt, aërem retinent, alium non admittunt. In aspera arteria et bronchiis magis adhuc haec patent, quod fibras habent musculares evidentiores. Ibi quoque ostenditur, irritationem pulmonum ad alias partes etiam protendi, sed praecipue ad musculos abdominis, qui vehementius crebriusque tum moventur et convelluntur.

§. II.

Idiopathicae subdivisio. Sympathicae differentiae. Idiopathica rursus dividitur in *primariam*, in *secundariam* et *symptomaticam* [1]). Sympathicae pariter plures sunt differentiae pro locorum, a quibus originem ducit, diversitate, videlicet *stomachalis*, *hypochondriaca*, *hepatica*, *diaphragmatica*, *intestinalis*, *hysterica*, *inguinalis* etc. Imo a testium, renum, vesicae, capitis aliarumque partium affectionibus non raro etiam proficisci visa est. Hanc autem laryngis, asperae arteriae pulmonumque cum aliis partibus bene multis consensionem plerique magna veri specie explicare nituntur per *paris vagi* et *magni sympathici, sive intercostalis* potestatem, qua universo fere corpori dominantur.

1) *Secundariae* et *symptomaticae* exempla persaepe occurrunt in acutis morbis, in febribus gastricis, in cachexia, scorbuto, catarrhis, variolis, morbillis, purpura scarlatina, morbo miliari, in metastasi materiae febrilis, scabiei, tineae, achorum, herpetum, ulcerum et denique in pulmonum morbis, peripneumonia, asthmate, tuberculis, vomicis, phthisi, empyemate, pleuritide, hydrothorace, praecordiorum vitiis organicis, hepatitide, thoracis contusionibus, vulneribus, costarum luxatione, fractura, vulneribus etc.

§. III.

Altera divisio in humidam et siccam. Altera tussis distinctio est in *humidam* et *siccam*, atque haec cuicunque tussis generi communis habetur. In magna siquidem pectoris concussione aërisque repetita e pulmonibus explosione (§. 1.) quidquid in vesiculis eorum, in bronchiis, in trachea et larynge haeret, excutitur, et quasi avellitur, aut iteratis ictibus e vasis glandulisque exprimitur, exscreaturque. Itaque, si humor aliquis tussi affertur, quicunque demum is sit, *tussim* tunc *humidam* dicimus, si vero nullus,

nullave materies, *siccam.* At plerumque ab initio *sicca* esse consuevit, progressu vero sensim fieri *humida* solet. *Ferinam*, quando vehementior est, *lenem*, quando mitior, appellant. Itemque *continuam*, aut *intermittentem*, aut *periodicam*, *nocturnam*, *catarrhalem*, *rheumaticam*, *epidemicam*, pro diversa temporis quo insurgit, aut causae, quae eam gignit, ratione.

Ferina, lenis, continua, intermittens, epidemica etc.

§. IV.

Praeter hasce differentias, quae tamen praecipuae censentur, nuperi scriptores fere omnes de *convulsiva* etiam mentionem faciunt, novo usi vocabulo, quamquam morbus, quem eo comprehendunt, antiquus dici possit, fereque cum *tussi ferina* conveniat, cum eiusdem iam HIPPOCRATES, ut refert FRID. HOFFMANNUS, meminisse videatur, ubi *tussim ferinam*, vel *delassantem*, vel *suffocantem* commemorat. Neque posterioribus ea ignota fuit. A SYDENHAMIO enim *pertussis* nomine donatur, atque a Gallis vernacula lingua *quinte* aut *coqueluche*, ab Italis *tosse canina* aut *asinina* vulgo appellitatur. Primus fortasse, qui eam *convulsivam* vocavit, videtur fuisse WILLISIUS, neque inepte; non quod a convulso tantummodo thorace fiat, cum id cuilibet tussi prope commune sit, sed quod adeo saeviat ferociatque, ut non modo pectus pulmonesque vehementer constringat, eorumque cohibeat dilatationem, verum etiam universum ferme corpus convellat et quatiat. Hac enim correpti, quod ad intervalla contingit, pene suffocantur, facie tument et livent, contremiscunt, sanguinem e naribus, oculis aut ore effundunt, ingesta evomunt, urinas alvique excrementa vel inviti, aut inscii excernere coguntur, interdum mortui similes resolutique remanent, sic ut excuti et spiritu insufflato ad reviviscendum revocari debeant. Praeterea titillationis quendam sensum in larynge percipiunt, qui ad scrobiculum cordis videtur propagari, sonumque reddunt peculiarem, ac quasi ab imo prodeuntem. Sed illud imprimis notandum est, quod tussientes per aliquot minuta exspirent tantum, nun-

Tussis convulsiva.

An veteribus nota.

Synonyma.

Cur convulsiva dicatur.

Praecipua eius phaenomena.

quam inspirent, et si demum inspirationi facultas detur, sibilum, strepitum, clangorem et veluti eiulatum quendam edant, aëre nimirum, ut mihi videtur, arctatam glottidem ingrediente, difficulterque superante. Tussis haec plerumque infantes et pueros vexat, atque epidemice vagatur, ac saepe morbillos aut variolas praecurrit. Non tamen semper adultis parcit.

Qui huic tussi obnoxii.

§. V.

Causae generatim.

Causae, a quibus *coryza* aliaeque affectiones catarrhales profluunt [1]), *tussi* quoque in universum gignendae valent; cuiusmodi imprimis sunt frigus subitaneum, venti boreales, item humidi et frigidi, repentinae tempestatum vicissitudines, pedum aut aliarum partium improvida refrigeratio, incautus a loco calido in frigidum transitus, acre epidemicum in aëre volitans et similia; quibus fit, ut retenta exspirabili materia, quae a pulmonibus emanere deberet, aut quae ab universa corporis superficie proditura esset, et ad spiritales partes delata, aut suscepto absorptoque epidemico miasmate, mucus laryngem tracheamque oblinire solitus vitium acrimoniamque capiat, aut lympha sanguisque uberior viscidiorque factus ad eas pulmonesque confluat congeraturque, et collectione irritationeque tussim moveat. Tussim quoque provocant glandularum bronchialium vitia, pulmonum cruda tubercula, scirrhi, vomicae, hydatides, acria in laryngem delapsa, inspirata, aut sponte ibidem genita. Haec igitur origo est tussis *idiopathicae*, et quidem *primariae*. De *secundariis* vero, et speciatim de scorbutica, venerea, scabiosa, herpetica reliquisque symptomaticis aut sympathicis rarioribus non est huius loci fusius disserere.

Secundariae tussis origo et causae.

1) Vid. *vol* 3. *cap. XI. de gravedine, coryza etc.*

Diagnosis.

§. VI.

Tussis catarrhalis et rheumatica qualis.

Tussis a causis modo (§. V.) descriptis exorta, quoniam cum catarrho et rheumate omnino convenit, *catarrhalis* et *rheumatica* passim nominatur, ut ab aliis tussis generibus distinguatur. Prout vero a tenui aut crasso humore efficitur, diversa etiam symptomata inducere solet, et diversam curandi rationem exposcit. Interest igitur signa utriusque causae accuratius indicare, ne error in diagnosi et curatione subrepat. Tenuem acremque humorem tussis causam esse, liquebit ex temperamento calido et sicco, habitu graciliori, oculorum lacrymatione et rubore, facie roseo colore suffusa, gravedine, narium pruritu, frequenti sternutatione, coryza humida, interdum nares et labium superius excoriante, continua faucium titillatione, crebroque ad tussiendum incitamento, vesperi praesertim ingravescentibus, nulla aut pauca tenuioris lymphae aut salivae excretione, spiritu aliquantulum difficili, pulsu plerumque celeriori et duriusculo, et demum ex morbis praegressis, acritudinem humorum denotantibus Contra ubi crassus et viscidus humor tussim ciet, matutino magis tempore ea aegrum exercet, materia tenax, albicans vel subflava extussitur, pulmones et bronchia spumoso muco obstruuntur, et quodammodo opplentur, respiratio gravis et laboriosa aliquantum est, dumque aër inspiratur, strepitus et sibilus humoris intus veluti bullientis auditur.

Signa tussis a tenui humore.

Signa tussis a crasso humore.

§. VII.

Ex his igitur tussis sedes et causa colligi potest, praesertim si ea antecesserint, quae spiritalia organa potissimum afficere solent. Certius *catarrhalem* tussim esse apparebit, si gravedo, coryza et faucium aliquis dolor non abfuerint ab initio; *idiopathicam* vero, potissimum si, praeter super enarrata, altius inspirare volentem, aut aliquanto diutius

Certius catarrhalis et idiopathica quomodo innotescant.

loquentem continuo tussis corripiat aut increbrescat, si superior pectoris pars humore quasi oppleta percipiatur, si vox simul rauca sit, si sputa e profundiori loco prodire sentiantur, si thorax et sternum punctiunculis hinc illinc quasi feriantur, si febricula nocturna et crebrae horripilationes accesserint, et cuncta vesperi exasperentur, quemadmodum de febri catarrhali alibi dictum est.

§. VIII.

An tussis convulsiva una sit eademque cum stomachali.

Non praetermittendum est, tussim *convulsivam*, de qua supra (§. IV.) retuli, a plerisque cum tussi *stomachali* (§. II.) confundi, deducique a ventriculo, saburra acri et mucosa obsesso et praegravato. Qui in huiusmodi sententia conquiescunt, his propemodum argumentis confidunt.

Argumenta affirmantia.

ventriculum male affici in tussi convulsiva ex eo evinci, quod plerumque eam vomitus ingestorum et materiae mucosae subsequatur; quod titillationis sensus ad scrobiculum cordis pertingat, quod profundius resonet, et clangosa sit, ac si in ventre sedem haberet; quod oleosa semper noceant, prosint vero amara, stomachica et evacuantia tam ore sumta, quam in anum iniecta; quod similis tussis non raro invalescat in ipsis tertianarum quarundam accessionibus, quarum fomes in primis viis existere communiter creditur.

Quid iis reponi possit.

Verum, si quid iudico, ostendant prius oportet, quod sane difficillimum erit, vomitum non esse sympathicum, sed idiopathicum; sensum pariter titillationis ad cordis scrobiculum esse revera idiopathicum, neque fallacem, certoque ad ventriculum pertinere, neque eo loci aliunde protendi. Deinde nihil certe videtur probare sonitus obscurior et profundior, quam tussis excitat, si vere talis est; cum sonitus ille non certe ad abdomen, sed ad pectoris pulmonisque cava omnino referendus sit. Falsum porro est, oleosa semper nocere, amara et evacuantia prodesse; nam saepe oleosa tussim hanc plurimum levant, quamquam interdum frustranea videantur, morbi vi superante. Nec amara, nec emetica, nec purgantia prosunt semper, uti pluries experientia didici. Et,

si quando aliquid boni praestant, an semper id praestant, quia stomacho amica sunt, quia saburram causamque ipsam educunt? Nonne etiam incidendo, attenuando, pulmones excutiendo, et sputum diaphoresinque provocando iuvant? Quamobrem integrum mihi erit ad HOMII sententiam probandam accedere, qui omne discrimen, quod inter tussim convulsivam et reliquas tusses idiopathicas intercedit, a maiore partium, quam in vulgari catarrho, affectarum irritatione, maioreque totius corporis irritabilitate repetere non [1]) dubitavit.

Homii sententia probabilior.

1) *Princip. Medic. l. 2. p. 3. sect. 5.* §. 10.

Prognosis.

§. IX.

Tussis utplurimum levis morbus censetur, sed perperam, nam saepe in alios gravissimos morbos degenerat, atque alia periculosissima mala advocat, uti peripneumoniam, pleuritidem, anginam, haemoptysin, phthisin pulmonarem, tubercula, vomicas, gibbositatem, sanguinis e naribus fluxum, hernias abdominis aut inguinis, abortum, uteri haemorrhagias, organica praecordiorum vitia, capitis dolorem, vigilias, apoplexias lethales ex ruptione vasorum cerebri atque alia eiusmodi. Capiti certe atque oculis semper noxia est. Si tussi *catarrhali* superveniant sputa crassa et concocta, aut striis sanguineis remixta, plerumque morbum [1]) solvunt. Interdum sudor, interdum alvi fluxus contumacissimae tussi remedio fuit. *Convulsiva* tussis infantibus unius anni, atque ante dentium caninorum eruptionem non raro exitium affert; reliquis non item. Illi plerumque evadunt, qui sanguinem e naribus fundunt [2]). Si diu trahitur, ut saepe accidit, nec mitigari, nec compesci potest, abit in morbum scrophularem, in rhachitidem, in [3]) phthisin [4]).

Prognostica.

Quot morbos periculosos neglecta inducat tussis.

Catarrhalis fausta signa.

Convulsivae prognosis fausta et infausta.

1) VAN SWIET. in BOERH. §. 830. n. 2.

2) BISSET *Medical Essays and observat. p.* 173.

3) *Id. ib. p.* 178.

G. BUTTERI *singularis opinio an vera sit.*

4) Hanc ob causam potissimum GUILELMUS BUTTERUS in peculiari tractatu *de tussi convulsiva* anglice scripto opinatur, hunc morbum suam sedem nequaquam in pulmonibus habere; additque se nunquam a *tussi pulmonari rhachitidem et scrophulas* profectas vidisse. Vid. *Comm. med. et philos. Soc. med. Edinb. T.* 1. *p.* 4. *n. VIII.* Sed pace eius dictum sit, viderunt alii; nec difficilis explicatu res est. Quid? nunquamne *phthisin pulmonarem* vidit ex *tussi convulsiva* natam, quod adeo frequens est?

Curatio.

§. X.

Curatio generalis.

Quaelibet tussis (§. I. II.) oppugnanda iis est, quae causam efficientem emendant aut tollunt. In universum si lenior tussis est, longisque intervallis interrupta, sola saepe naturae ope, aut sola abstinentia, potu aqueo calenti et regimine diapnoico discutitur. At si vehementius et crebrius divexet, sanguinis missionem, etsi febris absit, interdum etiam repetitam exoptat, ut nimirum inflammationis initium, aut eius timor avertatur, aut imminens vasorum disruptio praecaveatur. Id imprimis in sanguineis plethoricisque, in proclivibus ad haemoptysin et phthisin, in tussi *sicca* (§. III.), itémque in ea, quam acer calidusque humor (§. VI) procreat. Nihil enim certius vasorum plenitudinem, congestiones, phlogosin, spasmos, quae cum tussi paulo molestiori iunguntur, tollit resolvitque, quam sanguinis missio; ex hac enim neglecta inter initia tussis et catarrhalium affectuum pedetentim ad phthisin transitum fieri, saepissime vident et queruntur clinici peritiores. Post haec maximum praesidium praebent diluentia et diaphoretica; blando enim et continuato sudore causa morbi educitur, avertiturque a pulmone.

Sanguinis missio.

Omissio venae sectionis saepe phthiseos causa.

§. XI.

Diluentia et incrassantia.

Acrem vero tenuemque humorem, qui tussim efficit, temperant atque obtundunt *diluentia* et *incrassantia*, uti decocta hordei, avenae, radicum althaeae, glycyrrhizae,

saleb [1]), cynosorchidis, aut diluta foliorum theae, florum papaveris erratici, violarum, malvae, verbasci; item serum lactis, hydrogala, iura ranarum, testudinum nemorensium, caudarum cancrorum fluviatilium, emulsa ex seminibus oleosis et mucilaginosis, cremor oryzae, olea pinguia recenter sine ignis opera expressa, sperma ceti candidissimum atque alia huius generis, utpote quae spasticas etiam contractiones laxant et mulcent. Valentius incrassant, acritatesque involvunt gummi arabicum lucidum et albicans, et tragacanthicum, ex quibus non modo mixturae et eclegmata, verum etiam cum succo glycyrrhizae aut saccharo parantur tabellae et rotulae, inter quas celebres admodum sunt illae, quibus *pasta althaeae*, sive *pâte de guimauve* nomen est. Ubi autem crassus et viscidus humor morbum facit, incidentia et attenuantia indicantur, qualia sunt mel, oxymel, radix helenii, thus, flores benzoes, sulphuris, decocta ex passulis, rapis, veronica, scabiosa, pulmonaria, marrubio albo, polygala vulgari aut virginiana, pareira brava et radice bardanae. Validiora adhuc sunt sapo venetus, gummi ammoniacum, kermes minerale, sulphur auratum antimonii, stibium diaphoreticum non ablutum aliaque huius census, a quibus illud etiam emolumenti exspectari licet, quod torpentem solidarum partium vim sollicitant eriguntque. Sunt tamen quaedam ex his, uti sapo venetus, gummi ammoniacum, marrubium etc., quae cautissime in usum vocari debent in temperamentis calidis et siccis, in diathesi sanguinis ad inflammationem prona, in sensibiliori corpore, ne acrimonia et caliditate noceant. *Incidentia et attenuantia.*

1) Radix saleb hodie magno in usu est, et quasi tota in mucilaginem solvitur. Ex indigenis ei substituitur radix cynosorchidis.

§. XII.

Revellentia quoque egregiam operam praestant, quorum praecipua sunt balnea pedum, epispastica et vesicantia. His enim interdum mirum in modum tussis minuitur, sen- *Revellentia.*

simque depellitur, sputum facilius, et respiratio liberior redditur, brevique sanitas restituitur, avocata scilicet aliorsum, atque evacuata morbifica materie. Hoc etiam nomine commendanda sunt eccoprotica et clysmata, quibus alvo soluta non raro contumaciores tusses devictas novimus. Imo interdum solis catharticis paulo valentioribus cedere eas vidimus. Quo opportune spectat observatio PROSPERI ALPINI, qui multos narrat a diuturnis in pulmones distillationibus ita languidos, et quasi tabidos factos, ut de eorum salute vix ulla spes superesset, et nihil a vulgaribus alvum ducentibus levatos, tandem ab assumta scammonea, vel colocynthide largissime purgatos extemplo [1]) convaluisse.

2) *De medic. Aegyptior. l. 4. c. 6.*

§. XIII.

Paregoricorum usus.

Tanta tamen est tussis vis interdum, ut his (§. X. XI. XII.) prope despectis, aegros neque ad quietem se componere, neque somno indulgere permittat. Hinc ad sedantia, anodyna et narcotica subinde confugere oportet, quibus ipsa conticescat, et quieti et somno locus detur. Leni atque innocua facultate valent aquae violarum, nymphaeae, lactucae, papaveris rhoeados, aut harum plantarum diluta aut conservae, ut vocant, et prae ceteris emulsa ex seminibus frigidis et *syrupus* papaveris albi, aut *de meconio* SYDENHAMII. Maiori vi agunt opium, *laudanum liquidum* SYDENHAMII, *laudanum nepenthes* QUERCETANI, *pilulae de styrace* SYLVII, de cynoglosso aliaque opium recipientia, quae ab auctoribus passim describuntur. Nonnulli ad sedandam acerrimam molestissimamque tussim proponunt vaporem aquae calidae, cui mollissimae plantae incoctae sint, ore infundibili ope hauriendum. Neque id quidem sua laude fraudari debet. In eius tamen usu cavendum est, ne vapor nimis calens sit, neque in iis usurpetur, qui ad sputum sanguinis propendere videntur, aut nimia pulmonum laxitate ac debilitate laborant.

Vapor aquae calidae quibus conveniat.

§. XIV.

Tussi porro *convulsivae* (§. IV.), quaecunque eius demum causa sit, experientia edocuit, utilissimum esse sanguinem aliquanto largius protinus inter initia mittere, vomitum blande et iterato etiam, ubi nihil contra obstat, ciere, alvum ducere manna, rhabarbaro, mercurio dulci, cantharidibus cutim exulcerare, ut mucosus acerque humor solvatur, extrorsumque avocetur, et simul demulcentibus, incrassantibus, absorbentibus paregoricisque *tussim* lenire. SYDENHAMIUS tussim huiusmodi curari tantum sanguinis missione, epispasticis et catharticis lenioribus [1]) auctor est. HUXHAMIO mercurialia catharticis admiscere primum, deinde corticem peruvianum dare [2]) maxime placuit. BISSETUM quoque si audiamus, optimum praesidium est in leni emetico ex oxymelle scillitico, atque rhabarbari et mannae usu, deinde in cortice peruviano, praesertim morbo iam inclinante, et tussi longiora quietis intervalla [3]) relinquente. Ex emeticis praeferuntur kermes minerale, ipecacuanha, tartarus emeticus oxymelque scilliticum [4]). His vero adversatur Cl. BURTONUS [5]), phlebotomiam, emesin et catharsin vituperans, excepto aliquo graviore casu; laudat vero mixturam, in quam cantharides ingrediuntur. Nec mirum, cum Angli aliique transalpini venenis et vehementioribus medicamentis plerique delectentur.

Curatio tussis convulsivae. *V. S. inter initia.* *Emesis, alvi ductio, revellentia.* *Paregorica.* *Methodus* SYDENHAMII. HUXHAMII *et* BISSETI. BURTONI *opinio his contraria irridetur.*

1) Epist. I. responsor.

2) *De morb. epid. T.* 1. *p.* 75. *T.* 2. *p.* 26. 28. *et p.* 178.

3) *Medical Essays and observat. p.* 178.

4) *Essays de médec. d'Edimb. T.* 4. *p.* 26., *et* HUXHAM. *l. c.*

5) *Essays de méd. d'Edimb. T.* 7. *p.* 120.

§. XV.

Muscus arboreus, et speciatim querneus adversus hanc tussim (§. XIV.) mirifice valere dicitur. Eius decoctum BAGLIVIUS extollit. Ex eo etiam paratur syrupus, ut pueris infantibusque dari possit [1]). Quod autem ad musci huius

Specifica. BAGLIVII *decoctum.* *Non bene*

METZGERUS *experiendi rationem secutus est.*

Lichen pyxidatus.

decoctum, METZGERUS [2]) *irrito successu* illud adhibuit; sed unico experimento id affirmat, nec iteravit, ut par fuisset, periclitationes. Muscum item [3]) pyxioidem, sive lichenem pyxidatum contra *tussim convulsivam* (*coqueluche* vulgo dictam) uti specificum laudat VAN WOENSEL [4]). Dedit is utilissime decocti forma, syrupo menthae edulcatum. Eius pulverem pluries datum commendat DILLENIUS ex auctoritate et fide GERARDI et WILLISII. Alii decoctum ex lacte saepe in die sorbillandum praecipiunt. Nonnulli ex nuperioribus extractum cicutae reliquis remediis anteferunt. BUTTERUS [5]) viginti historias recenset, quibus ostendat praestantissimam huius medicamenti hoc in morbo facultatem. Ipse utebatur huiusmodi extracto in liquore quodam aquoso soluto et satis diluto; de quo parum primo, deinde plus propinabat. Infanti nondum sex menses nato dabat granum dimidium uno die partitis vicibus absumendum; aetati sex mensium ad biennium usque granum unum. A duobus annis usque ad vigesimum tot grana dimidia, quot anni, praebenda singulis diebus iubebat. Post vigesimum aetatis annum, decem grana primo die exhibuit, deinde dosin auxit, prout opus ei visum est. Si aeger hinc bis in die non deiecerit, suadet adiici magnesiam aut salem polychrestum. Cuicunque non modo aetati, sed temperamento et sexui innocue dari asseverat. Si morbus complicetur cum *vermibus*, *dysenteria*, *dentitione*, *variolis*, *morbillisve* praeter cicutae extractum non omittit remedia hisce morbis accommodata.

Extractum cicutae eiusque adhibendi modus iuxta BUTTERUM.

Monitum auctoris.

Nec timet eo uti in utero gerentibus sive gravidis foeminis, aut febri laborantibus. Restat igitur, ut remedii huius laudes novis accuratisque periculis confirmentur. Non desunt etiam, qui moschum utiliter adhibuerint, praesertim in hystericis atque hypochondriacis mobilique nervorum systemate praeditis. Anodyna enim et diaphoretica virtute prodesse videtur. GORTERIUS [6]) in quadam *epidemica tussis convulsivae constitutione* mixturae cuiusdam salinae et diaphoreticae utilitatem expertus est. Nec revera quidquam utilius est, quam diaphoresin promovere in morbo, quem

Moschi utilitas.

Mixtura GORTERII.

plerumque acre perspirabile retentum parit. Ego non semel infantibus et pueris magno cum iuvamine dedi quoque butyrum recens, pluries aqua purissima subactum et lotum, atque in parvas pilas frigida redactum, quarum una vel altera, saccharo conspersa, subinde vorabatur. Serum quoque lactis defaecatum, imo lac ipsum aqua calenti dilutum non semel morbi vim fregit, eiusque progressum inhibuit, aut saltem tutiorem reddidit.

Butyri, seri lactis et lactis ipsius mira vis.

1) Syrupi huius formula exstat in *Pharmacopoea Wirtembergensi.*

2) *Advers. medic. P.* 2. *p.* 56.

3) Muscus pyxioides sive lichen pyxidatus est *muscus pyxioides terrestris C. B.*, aut *lichen pyxidatus maior Instit.* R. H. TOURNEFORT., sive *Lichenoides tubulosum pyxidatum cinereum* DILLENII.

4) *Hist. de la Sociét. Royal. de Méd. T.* 2. *p.* 294.

5) *Diar. med. Paris. T.* 52. *p.* 523.

6) *Dissert. de Tussi*, quae lectu dignissima est.

§. XVI.

Ceterum in omni tussi diuturniore, quando morbus ad finem inclinat, et magna pars materiae expulsa per sputa est, aut diutius, quam oportet, et copiosius ad pulmones ob atoniae quandam speciem humor catarrhalis confluit, indeque sputorum copia corpus emacrescit, tunc leniter roborantibus et traumaticis tonicis fit locus. Amara huc spectant, praesertim si stomachi imbecillitas, pulmonum habitusque laxitas tussis causam fovere videatur. In his cortex peruvianus, quem memoravi, primas tenet. Egregie is etiam proficit, cum tussis periodum quandam prae se fert. Periodicam tussim hoc praestantissimo auxilio etiam HOMIUS celerrime abegit. Utiliter corticis huius decocto aut diluto adiicitur lactis asinini aut vaccini aliquantulum. Hodie ad tussim diuturnam phthisinque minitantem proponunt multi decoctum lichenis islandici, cui vis demulcens et incrassans tribuitur. Nonnullis etiam resolvere atque incidere creditur. Praeter mucilaginosam naturam aliquid etiam acrimoniae habet, ut ostendit eius emetica aut cathartica virtus,

In fine cuiuscis tussis roborantia.

Cortex peruvianus.

Lac. Lichen islandicus in tussi diuturna phthisinque minante.

Aquae medicatae. si saturatius decoctum praebeatur. Nos diuturnas siccasque tusses interdum fugavimus copioso aquae *nucerinae*, aut *villensis* potu ieiuno stomacho adhibito et balneo tepido aquae dulcis. *Selteranam* aquam cum lactis asinini tertia parte nuptam, et mediocri quantitate ad aliquot hebdomadas mane sumendam praecipiunt alii, maxime Germani.

§. XVII.

Tussi senili incidentia et amara. Senes quoque tussi saepe vexantur; hinc tussiculosi vulgo dicuntur. In his tussim, quam plerumque copiosior mucus in ventriculis laryngis atque in folliculis, sive cryptis asperae arteriae bronchiorumque collectus facit, incidentibus, amaris et attenuantibus (§. II.) oppugnare [1]) oportet; quia raucedines et gravedines in valde senibus, ut inquit HIPPOCRATES [2]), non coquuntur. *Regimen frigidum quibus.* Qui vero catarrhis rheumaticisque affectibus obnoxii maxime sunt, debent paulatim aëri assuescere, cubicula calefacta vitare, sensim indumenta nimia minuere, cubile frigidum ingredi, conclavia temperatissima incolere, frigidum cibum et potum sumere, multum exerceri, et si affectio inveteraverit, cortice peruviano et balneis frigidis firmari [3]). *Salsae capitis fluxiones quid optent.* Qui salsis capitis defluxionibus infestantur, non facile cathartica admittant, ne per cellularem textum ad pectus et pulmones humor noxius alliciatur. Utilius in iis sudor cietur decocto ligni santali et guaiaci et herbarum cephalicarum [4]). *Aquae frigidae aspersio.* His quoque prodest verno tempore frigida caput et collum subinde aspergi. Sic enim fluxiones illarum partium, quae a nimia laxitate foventur, saepe praecaveri possunt. *Fonticuli.* Plurimum etiam boni efficiunt prophylaxeos causa fonticuli brachiis aut femoribus inusti.

1) VAN SWIETEN *in* BOERH. §. 69. GORTER. *dissert. de Tussi.* §. 50.

2) Aphor. 40. sect. 2.

3) *Gazzett. d'Oltremonti* 1762. *num. XXXII. edit. venet.*

4) BONNET *Theatr. tabid. p.* 119.

§. XVIII.

Ad haec autem accedat diaeteticum regimen oportet. *Diaeta.* Cibi sint concoctu faciles. Carnes et quaevis acria vitentur. A vino abstinere saluberrimum est, itemque a coena, cuius loco aut lac, aut ptisana hordeacea, aut pulmentum leve ex farina hordei nonnihil tosta esse poterit. Aëris quoque delectus necessarius est, quo solo interdum pertinacissimas tusses sublatas ferunt. In his potissimum vectio, equitatio, balnea, aquarum medicatarum potus, decocta lignorum et radicum purificantium et lactea diaeta tentari debent; ut cauteria praeteream, quae in humidiore habitu cacochymoque corpore quantum proficere possint, nemo non videt.

§. XIX.

De tussibus secundariis, symptomaticis ac sympathicis *Tusses secundariae et sympathicae omittuntur.* nihil dicam. Ut enim hae omnes ab aliis morbis aliarumve partium vitiis ortum ducunt, sic non aliam curationem petunt, quam quae morbis et causis, unde manant, accommodata est. Quare a *scorbuto*, a *lue venerea*, a *scrophulis*, a *mensibus retentis*, a *morbillis*, *febribus*, *peripneumonia*, *pleuritide*, *asthmate*, *hydrothorace*, *phthisi*, *cacochylia primarum viarum*, *dyspepsia*, *vermibus*, *obstructionibus imi ventris*, *hysteria*, *hypochondriasi* et sic porro earum curatio desumi debet.

CAPUT II.

DE CRUENTA EXSPUITIONE ET SPECIATIM DE HAEMOPTYSI.

§. XX.

Sanguis, qui ex ore exspuitur, variis e locis profundi *Cruenta exspuitio.* potest, nempe e gingivis, e lingua, e palato, faucibus, columella, naribus, pharynge, oesophago, ventriculo, larynge,

aspera arteria et pulmonibus. Effunditur autem eisdem omnino modis, quos alibi [1]), ubi *de narium haemorrhagia* disseruimus, oportuit explicare. Quocunque autem e loco erumpat, *cruenta exspuitio* est, sive *sanguinis sputum*, graece *αἱμοπτυσις*. At distinguendam *a cruenta exspuitione* sive sanguinis sputo *haemoptysin* putat RIVERIUS auctoritate ductus GALENI [2]). Cum RIVERIO FRID. HOFFMANNUS, LUDWIGIUS, PLATNERUS aliique bene multi ex nuperioribus non sine causa consentiunt. Haemoptysin proprie et speciatim sanguinis puri et non pauci e pulmonibus prodeuntis per os excretioni tantummodo convenire aiunt, neque promiscue esse usurpandam hanc vocem. Si tamen quis voluerit sanguini etiam e larynge aut aspera arteria profluenti haemoptyseos nomen tribuere, per me quidem licebit, nec crimini id cuiquam dabo, cum levior saltem haemoptysis, aut quidam eius gradus haberi queat.

An distinguenda ab exspuitione cruenta.

1) *T.* 3. *cap. XII.*
2) *De crisib. l.* 1. *cap.* 1.

§. XXI.

Sputum sanguinis qui differat ab haemoptysi.

Cum ea (§. XX.) tamen confundi nequaquam debet sputum subcruentum, aut striis sanguineis remixtum, quod pleuritici et peripneumonici emittunt, neque illud, si HOFFMANNUM audiri lubeat, quod causam externam et violentam, vulnus puta, contusionem, ictum vel graviorem casum subsequitur. Nam haemoptysis vera ea est partium spiritalium haemorrhagia, quae a causa interiore, puta sanguinis copia aut dyscrasia, aut laesa vasorum pulmonarium et compage et continuitate pronascitur. Video praeterea COELIUM AURELIANUM, NICOLAUM PISONEM aliosque *sanguinis sputum* ab eius *fluore* secernere, illud esse existimantes, quando sanguis paucus aut concretus cum pituita aut aliis humoribus effertur; hunc vero, nempe *sanguinis fluorem*, quando purus, rutilans, floridus et magna copia erumpit. Quae distinguendi loquendique ratio etsi hodie fere obsoleverit, non tamen inutile erit animadvertisse, quid veteres hisce voca-

Haemoptysis vera quaenam.

Discrimen inter sanguinis sputum et fluorem.

vocabulis intellexerint, ut omnis confusio obscuritasque, quae eorum scripta legentibus oboriri potest, procul arceatur. Discrimen enim, quod hodie inter *sanguinis sputum* et *veram hoemoptysin* intercedit, fere idem olim a quibusdam ponebatur inter sanguinis sputum et fluorem, ut dictum est.

Diagnosis.

§. XXII.

Quibus indiciis locus, unde sanguis effluit, internosci possit.

Quoniam igitur tot modis (§. XX.) sanguis ore excerni potest, quaerendum modo est, quibus indiciis locus, unde manat, recte cognoscatur. Itaque si e gingivis, lingua aut palato exstillat, simplici exspuitione emittitur, et facile inspecto ore, undenam prodeat, innotescit. Praeterea, qui e gingivis manat, ut scorbuticis crebro accidit, serosior, dilutior aut quandoque etiam nigricantior est.

Quinam e gingivis et palato prodeat.

Signa sanguinis e palato erumpentis.

Titillatio vero aliqua circa palatum percipitur, si illinc scaturiat, et plerumque capitis gravitas aut dolor, aut aurium tinnitus, aut temporum et frontis pulsatio, aut somnus nocturnus praecessit. Hic persaepe matutinis horis post somnum et decubitum apparet.

Quomodo cognoscatur prodire e faucibus aut naribus internis.

Qui vero e faucibus, gurgulione aut interioribus naribus prosilit, solo exscreatu et sine tussi educitur. Interdum tamen tussiculam is movet, aut vomendi voluntatem, prout vel in laryngem, vel in oesophagum sanguinis aliquid deciderit. Insuper oculis locus patet, et semper cruenti quid e naribus emungitur, si ab his in fauces descenderit. Non tamen, quotiescunque sanguis e naribus emungitur, illico statuendum est illum etiam, qui ore prodierit, e faucibus et naribus exsilire. Nam saepenumero sanguis e larynge tanto impetu profunditur, ut aliqua eiusdem pars sursum in narium cava irrumpat, emungique anterius possit. Quo casu evidentissimum est, fallax eiusmodi signum esse, neque eidem semper fidendum. Interdum quoque incidit (quod non semel a nobis observatum est), ut,

dum e pulmone sanguis fertur, eodem tempore narium vasa a vehementiore tussis nisu simul disrumpantur, sicque sanguis utraque ex parte, ore nimirum et naso erumpat. Cavere igitur oportet, ne utrumque sanguinem e solis naribus profluere temere credamus.

§. XXIII.

Quando ab oesophago aut ventriculo manet.

Ab oesophago aut ventriculo quando proficiscitur, crassus et niger sanguis plerumque est; quandoque etiam, sed rarissimum est, aquae, in qua caro lota est, speciem refert, et vomitu tantummodo eiicitur. Animadvertendum vero est, vomitu interdum expelli sanguinem, qui inter dormiendum e faucibus potissimum exstillans in oesophagum penetraverit. At quando in ventriculo eius scaturigo est, circa epigastrium et dolor et pondus et anxietas et ardor plerumque percipiuntur, absuntque affecti pulmonis aliarumque sedium indicia.

Quando e larynge et trachea.

Levi tussicula exiguoque motu extunditur sanguis e laryngis et asperae arteriae vasculis. Praeterea pruritus et calor aliquis in trachea ipsa percipitur, et quodammodo sursum ascendere videtur, antequam in ore sanguis se prodat.

Quando e pulmonibus.

Si vero profundiore e loco pulmonibusque scaturiat, tussi validiore expelli solet, floridus et spumidus ab admixto aëre est, et murmuris strepitusque quoddam genus intus efficit. Hinc iure scripsit HIPPOCRATES: *qui sanguinem spumosum exspuunt, his ex pulmone talis reiectio est* [1]). Quod si tussis, aut clamor, aut aliud simile, quo pulmonibus vim inferri notum est, antecesserit, aut dolor [2]) aut pondus in pectore sentiatur, aut aegre spiritus ducatur, aut cum punctionis divulsionisve alicubi, praesertim ad scapulas, sensu copuletur, aut maior aëris quantitas hauriri inspirarique nequeat, quin tussis et sanguinis sputum invalescat, aut exsuscitetur, non licet amplius dubitare, num e pulmonibus sanguis effusus sit.

Animadversio ad fraudem et errorem vitandum.

Scire demum oportet, levi quandoque tussicula ac vix notabili sanguinem efferri, qui idcirco e superiore larynge exire videatur; cum tamen eius copia, et ea, quae consequuntur deinceps, saepe ostendant, fraudem

subfuisse, et e pulmonibus, aut saltem e bronchiis eum prodiise.

1) *Aphor.* 13. *sect. V. Coacar. n.* 433.

2) Olim credebant, sensu pulmones carere, quod nervis destituerentur, vel si qui ad eos pertingerent, in sola eorum exteriori facie vagarentur a *sexta* deducti *coniugatione*, quam hodie *octavam* vocamus. Quare plerique antiquiorum docuerunt, sputum sanguinis e pulmonibus sine dolore educi; quod etsi quandoque accidat, non tamen perpetuum et constans id est. Nam et nervis praeditos esse pulmones anatomicorum solertia demonstravit, et sensu etiam interius donari clinicae observationes evicerunt (§. I.). Veteres ipsi experientia didicerunt, sanguinem ab imo pectore interdum effundi cum doloris quodam sensu pectus occupante; quod ubi evenire videbant, ne praeconceptae de insensibilitate pulmonum opinioni valedicerent, e thorace, sive e pleura, quam sensibilissimam reputabant, tunc effundi dicebant, non e pulmonibus; nec norant, id anatomicis physiologicisque experimentis penitus adversari. Dum enim charybdim vitare volebant, se in scyllam incidere non animadvertebant. Nec satis obstat sensibilitati pulmonum auctoritas ANDREAE VESALII, anatomici alioquin celeberrimi, qui in compluribus, et potissimum in Comite DE BURA observavit magnas pulmonum suppurationes, quin dolorem perciperent; idque non rarum est. Sed tunc probabile est, sensum doloris non excitari, quia sensibilitas infarctu, compressione aut alia quacunque ratione in nervis pulmonicis quodammodo obstupescit, ac quasi aboletur; aut etiam adeo lenta est eorum tensio, distractio et dilaceratio, ut nequaquam dolorem inferat. Praeterea si exempla non desint doloris absentis in pulmonum morbis, multo plura suppetunt doloris eos comitantis. Nuperrima item Cl. LORRYI capta in vivis pericula (*Expérienc. sur l'Irritabilité etc.*) confirmant, *pulmones*, et imprimis eorum interiores partes, uti *bronchia*, *sensu* reapse pollere, quod observatu dignissimum est.

Pulmones sensu donantur.

Doloris a pulmonibus absentia nihil officit, et quare.

§. XXIV.

Exceptio circa sanguinem e pulmone manantem.

Magni etiam refert nosse, *sanguinem*, qui e pulmone effunditur, non semper floridum et rutilum et spumosum (§. XXIII.) esse, sed nonnunquam atrum, densum et coctum apparere. Talis enim cernitur, cum aut moram in pulmone, eiusque vesiculis fecerit, substiteritque diutius immotus, aut e vasis varicosis aneurysmaticisque, in quibus congestus fere concreverit, repente dehiscentibus effluxerit. Niger quoque et porosus spongiae instar extussitur, BAGLIVIO [1]) testante, si pars aliqua pulmonis sphacelo corrupta fuerit. Quas ob

2 *

res signa haec, qualia memoravi, una et coniunctim consideranda sunt, ut sedem peculiarem, ex qua sanguis dimanat, tuto definire possimus; multaque prudentia et cautione opus est, ne in iudicando decipiamur. Secus enim et seorsum sumpta, neque ad rariora et minus frequentia collata, incertum fallaxque iudicium faciunt.

1) *Capit. de rar. affect. hepatis.*

§. XXV.

Causa proxima.

Quod ad proximam attinet haemoptyseos causam, ea est vel vasorum ruptura, quae graece dicitur *ῥῆξις* et *διαίρεσις*, vel erosio, sive *διάβρωσις*, vel orificiorum osculorumque, quae intus hiant, dilatatio, sive *ἀναστόμωσις*. Frequentissima omnium putatur *rhexis* et *diaeresis*, rara *diabrosis*, quae in phthisi atque ulcere pulmonum praecipue contingit. Plerumque tamen acritas humorum non diabrosin, sed *spasmum* infert, quo vasa contracta aequabilem sanguinis circuitum subvertunt, vehementiusque in liberiora loca eum impellunt, unde, impetu quasi facto distenta, dissiliant rumpanturque, necesse est. Rarissima demum anastomosis habetur; sed tamen non ita in mulieribus ac viris, quibus consuetae evacuationes sanguinis deficiunt.

§. XXVI.

Causae proëgumenae.

Remote ad haemoptysin iter parant corpus procerum, collum gracile et longum, pectus angustius, mala huius conformatio, imprimis gibbositas et depressio, tenella et laxa totius corporis, sed imprimis pulmonum compages, temperamentum cholericum, sanguineum, hereditaria labes, plethora, defectus consuetarum sanguinis e naribus, utero, haemorrhoidibus evacuationum, polyposae in vasis pulmonaribus aut in sinistris cordis sinibus concretiones, eorundem compressio, infarctus aut dilatatio praeter naturam, viscerum abdominalium obstructiones, abdominis arcta constrictio, spasmi, acritates variae, et praesertim scorbutica, sive hae irritent tantum, sive crasin sanguinis resolvant, sive etiam

vasa erodant. Potissimum vero ad haemoptysin pronior est adolescentia aetasque ab anno duodevigesimo usque ad trigesimum quintum. Hinc HIPPOCRATES scripsit: *Adolescentibus autem sanguinis spuitiones, tabes, febres acutae, morbus comitialis et alii, sed praecipue ante dicti*[1]).

1) *Aphor.* 29. *Sect. III.*

§. XXVII.

Occasionem vero haemoptysi porrigunt vehementior pectoris aut pulmonum nisus in attollendis ponderibus, in saltu, cantu, tussi, vociferatione, tibiarum aut tubarum inflatione, in deponenda alvo, aut foetu edendo, colli, pectoris aut abdominis nimia coarctatio, aër calidus et siccus, vel nimium rarus et levis, uti est in montium cacuminibus, vel frigidior humidiorve, abusus vini liquorum quoruncunque fermentatorum, rerumque acrium et calefacientium, motus corporis concitatior in cursu, lucta, lusu, venere, scalarum et locorum acclivium ascensus, ira, gaudium aliaque subita animi pathemata graviora. *Procatarcticae.*

Prognosis.

§. XXVIII.

Cruenta exspuitio, quae *gingivis*, *linguae*, *naribus*, *gurgulioni*, *faucibus* debetur, periculo fere vacat; non ita quae ab *oesophago* et *ventriculo* est, si copiosior. Sed de hac alibi [1]). Alibi etiam de sputo cruento, quod *pleuritidis* et *peripneumoniae* proprium est, quodque in morbi declinatione salutem promittit [2]). Nec magni aestimanda est levis sanguinis exspuitio, quando e *summo larynge* effertur ob hypochondriorum spasticas contractiones, a quibus sanguis illuc vehementius urgetur et protruditur. *Prognostica.*

1) *Cap. IV. Parte II. huius Volum IV.* §. 46. *et* 50.
2) *Cap. IV.* §§. 105. 116. 117.

§. XXIX.

Vera haemoptysis semper periculosa.

Ceterum vera haemoptysis nunquam expers discriminis est. Id etiam HIPPOCRATES animadvertit, dicens: *sanguis sursum quidem, qualiscunque fuerit, malus* [1]). Malus quoque niger et coactus et porosus (§. XXIV.), quia aneurysmata, aut varices, aut sphacelum significat. Imprimis magna pericula affert copiosa e pulmonibus sanguinis profusio, quia vel potest hominem illico exanimare, vel nimia eius copia intra vesiculas cellulosumque textum, aut bronchia ipsa congesta praefocare, vel cor debito sanguinis influxu orbare, vel etiam mole aut pondere opprimere, ut subita lethalisque syncope sive asphyxia subsequatur. Quod si haec forte fortuna effugiantur, gravissima saltem ulcera et insanabilia in pulmonibus metuenda sunt, eoque magis, quo corpus impurius est, aut cacochymia aliove morbo ex pravitate humorum simul laboraverit. Quare iure dixit HIPPOCRATES: *a sanguinis sputo puris sputum, malum.* Id autem verissimum praecipue fit, si febricula etiam accesserit nunquam penitus desinens, quam lentam amphemerinam vocant. Tum enim phthisis in propinquo esse perhibetur.

1) *Aphor.* 15. *Sect. VII.*

§. XXX.

Hereditaria exitiosior.

Quae hereditario veluti iure in filios nepotesque propagatur, multo exitiosior est, difficiliorque curatu. Plus etiam periculi habet ea, quae erupto maiore vase, aut ex profundiori loco derivatur, quam quae e minoris alicuius vasculi ruptione, aut superiori e loco originem ducit. Illa uberiorem sanguinem largitur, haec parciorem; sic ut copiosior et largior sanguinis exspuitio plus discriminis, parcior et minor minus indicet. In universum gravior et perniciosior reliquis censetur, videturque illa, quam *diabrosis* efficit. In hac ab initio paucus quidem sanguis eiicitur, et salsum saporem exhibet, paulatim vero uberiore rivo pro-

Copiosius sputum periculosius etiam.

Item quod diabrosis efficit.

fuuditur, dilatato scilicet per erosionem vasis osculo. Inveterata et chronica haemoptysis, aut phthisi pulmonari superveniens omnem fere medicinam contemnit. *Inveteratum malum, aut ulceri pulmonum accedens sine spe est.*

§. XXXI.

Nihilo tamen minus experientia saepe demonstravit, a vera haemoptysi, interdum etiam larga et recidiva non paucos evadere, quibus mature auxilium feratur, neque grave sit diaetae legibus religiose se submittere. Ferendum vero illud esse iubet PLATNERUS primo triduo. Minus quoque negotii facessit haemoptysis, quae ab aëre rariore et leviore, aut a suppressis catameniis, aut alia evacuatione deficiente procedit, quia plerumque per *anastomosin*, aut *diapedesin* sive exsudationem fieri solet. Minorem quoque metum incutit illa, quae a clamore aut motu vehementiore inducta est prae ea, quam *diabrosis* effecerit. Generatim haemoptysi laborantibus sine febre et tussi et dolore leviter conflictari, sputumque ad dies quatuordecim tenuari, spem salutis facit. At intense febricitare, et tussire, aut dolere, sanguinemque recentem semper spuere, ut habemus in *Coacis* [1]), minime bonum. *Multi tamen sanantur.* *Quae facilius curetur.* *Signa bona, mala.*

1) *N.* 427.

C u r a t i o.

§. XXXII.

Curationem fere eandem exoptat haemoptysis, ac ea est, quam in capite *de narium haemorrhagia* [1]) proposuimus; et si quod interest discrimen, id vel a parte affecta, vel a causa, vel a morbo impendente enascitur. Itaque ubi sanguis e pulmonibus cum impetu exscreatur, protinus eius non parum pro virium, pulsus, aetatis, temperamenti habitusque ratione e vena detrahendum est, idque opportune iterandum, praesertim prosequente haemoptysi, si homo plenior sit, et caleat, et febricitet. De loco, e quo mitti *Quando iteranda V. S.*

debeat, non valde plerumque disceptare oportet, dummodo cito mittatur. Multi tamen satius ducunt venas primum inferiores aperire, deinde superiores et proximas. Neque facile quis a copia sanguinis excreti a vena secanda deterreatur, dummodo pulsus se sustineant, nec inanita vasa ostendant. Prudenter quidem, sed non timide ad summum hoc praesidii genus deveniendum est, nisi manifesta sanguinis liquatio, raritas, dissolutio aut corruptio aliter suadeat. Imminuitur enim nimius sanguinis ad pulmones appulsus et coacervatio, vasaque minus distenta se contrahere tunc possunt, ut coëant et glutinentur. In hoc etiam fere tota continetur prophylaxis eorum, qui in phthisin ex hereditaria labe [2]) propendent. Neque alia revulsionum genera, quorum saepius verba fecimus, uti cucurbitulae, ligaturae, clysteres omitti debent, ut optato fine potiamur.

Revellentia.

1) *Vol. III. cap. XII.*

2) Vid. *Dissert. de ratione venae sectionis in haemoptoicis,* quae exstat in *Adversar. med. pract.* LUDWIGII *P.* 1. *p.* 145. Item ERNESTI VALENTINI COHAUSENII *Dissertatio de noxa timiditatis in haemoptyseos curatione,* quae legi potest in *Act. N. C. T.* 1. *p.* 33.

§. XXXIII.

Decubitus erectus.

Quies et silentium.

Regimen frigidum.

Interea aeger capite et pectore elevato quasi lecto insidens decumbat, ab omni tum corporis, tum maxime pectoris atque animi motu abstineat, imo vel ab ipso sermone sibi caveat, et si quid loqui velit, id submissa tantum voce et brevissimis verbis faciat. In conclavi ad frigidum potius inclinante conquiescat, stragulis levibus corpus cooperiat, neque vestimentis nimium adstrictis sanguinis circuitum turbet, tussim quanta maxima potest cura, caloremque tam in potu quam in cibo devitet.

§. XXXIV.

Refrigerantia.

Intrinsecus danda ea sunt, quae cognitis praecipuis causis occurrunt. Nimius sanginis fervor et nimia eius raritas tenuitasve compescatur refreneturque aqua frigida, emulsis

ex seminibus farinosis, nitro, absorbentibus terreis, acido aliquo vegetabili saturatis et demum spiritibus acidis, quos *minerales* vocant. Ex his variae comparantur remediorum formulae, prout res aegri eiusque gustus exigere videntur. Scire tamen licet, acida plerumque tussim non modo exasperare, sed etiam movere, qua nihil nocentius in haemoptysi. Quod ubi incidit, quod saepius vidi, statim ea dimittenda sunt. Evitari vero id incommodi quadantenus potest, si acida, quae adhibere volumus, diluta, et mucilagineis oleosisve mitigata dentur, si absorbentibus additis retundantur, atque opii aliquid iis adiiciatur. Celebratur ideo, et iure, ut puto, mixtura ab inventore *Sylviana* dicta, quae habet *aquae plantaginis uncias sex, aceti destillati unciam semis, coralliorum rubrorum et terrae sigillatae, singulorum drachmam dimidiam, opii grana duo, syrupi de meconio unciam, de qua subinde cochlear dari consuevit.* Huius ope et sanguinis fervor comprimitur, et si quid sanguinis coacti in pulmonaribus vesiculis haeserit, dissolvi creditur, tussis et spasmi sedantur avertunturque.

Acida.

Cautio.

Mixtura Sylvii.

§. XXXV.

Sanguinis exspuitio, quam in hypochondriacis (§.XXXVIII.) atque hystericis spasmi imi ventris et thoracis non raro inducunt, opio prae ceteris, oleosis, emollientibus in alvum iniectis, balneis pedum tepidis aliisque spasmos laxantibus plerumque supprimitur. Inter remedia, quae ex opio parantur, excellere hic dicuntur laudanum cydoniatum, aethiops vegetabilis, diascordium Fracastobii et pilulae ad sputum sanguinis Dekersii, utpote quae aliqua etiam adstringendi facultate videntur donari. Acritati humorum, si in hanc haemoptyseos causa cadat, obviam eundem est mucilaginosis, farinaceis, pinguibus, oleosis, gummi arabico, tragacantha, quae duo postrema etiam glutinandi vim habent. Clercus [1]) refert curatam haemoptysin, quae a tribus iam annis identidem revertebatur cum tussi ferina, ope remedii, quod constabat ex decocti hordei libris duabus et uncia una gummi

Quid conveniat exspuitioni sanguinis hypochondriacae.

Haemoptysi ex acritate quid.

arabici in eodem dissoluti, per aliquod tempus adhibiti. Ab haemoptysi ab acritate sanguinis genita, in quam adolescens

Observatio.

inciderat, cl. medicinae professor Bononiensis, cuius per aliquot annos auditor fui, solo, sed liberaliori et diuturno pulveris gummi arabici usu se convaluisse in suis praelectionibus narrabat, pervenitque ad eam senectam, ad quam paucis datum est pervenire.

1) Clerc *Histoir. de l'homme malad. T. 2. p.* 36.

§. XXXVI.

Adstringentia.

Nullo in morbo magis, quam in haemoptysi periculi magnitudo metusque cum aegrotantis, tum assidentium cogit saepissime medicos vel invitos ad *adstringentiā* properare. Verum haec, si vere talia fuerint, vel nullo modo videntur ad vasa disrupta aut quacunque alia ratione adapertà pertingere, vel si penetraverint, nequaquam tuta esse; quod ab iis congestiones, tubercula, vomicae et demum phthisis

Animadversio.

gigni possunt. Eorum enim vim tenerrima, irritabilisque textura ferre nequit, quin vasa corrugentur, spasticas contractiones subeant, liberumque sanguinis circuitui iter praepediant. Quamobrem Cl. Cohausenius post complures alios artis scientia, atque usu percelebres prudentissime admonet, ne ad ea nimis propere et nimis temere [1]) confugiatur.

1) *Dissert. citat.*

§. XXXVII.

Adstringentia quaedam passim laudata.

Attamen quaedam, ubi sistendi sanguinis tempus videatur, hoc nomine celebrari universim solent. In his succus urticae, praesertim non pungentis, sive, ut aiunt, mortuae, plantaginis, consolidae atque hederae terrestris primas tenet, cuius aliquot unciae in diem propinantur. Adstringant vero huiusmodi succi, an resolvant et temperent, similique alio

Fungus Melitensis.

modo agant, dubitant nonnulli. Fungus pariter melitensis adstringendi laude clarissimus est, diciturque a quibusdam non temere credulis viris, qui eius effecta in sanguinem experimentis indagarunt, nec tamen ausi sunt iactatam ubique

eius facultatem denegare, dum venarum oscula connectit, et mutuo applicat, sanguinem in eo statu, in quo erat, intactum integrumque omnino [1]) relinquere. Quod sane, ni fallor, argumento est, non esse adhuc eius sanguinis sistendi facultatem satis firmis innixam observationibus. Sanguinem spuentibus dabat ALEXANDER TRALLIANUS in singulos dies lapidis haematitis scrupula quatuor, non modo ut sanguinis sputum praesens comprimeret, sed etiam futurum averteret. A GESNERO, ab ERASTO, a CRATONE, RIVERIO, ETTMÜLLERO aliisque extollitur quam maxime *Electuarium ad sputum sanguinis* HAELIDAEI PADUANI [2]), in quo tamen plus eminet vis anodyna et tussim sedans, quam adstringens. Si quid tamen in eo est, quod minus quibusdam probandum videtur, est plane suspecta seminum hyoscyami virtus, qua cerebrum turbant, stuporemque, imo interdum etiam furorem inducere possunt. Ab aliquot annis ad omnes haemorrhagias adhiberi coepta est, magnisque laudibus efferri aqua quaedam vulneraria, quae a IULIANO LANDIO pharmacopola Romano venditatur. Apud Mediolanenses tanti fit eiusmodi, ut vocant, specificum, ut in quavis haemorrhagia tam intrinsecus, quam extrinsecus magna confidentia usurpetur, sed praecipue in haemoptysi ipsa. Universim clinici nostrates testantur, remedium istud miros praestare effectus, sic ut nunquam eius usum in haemorrhagiarum curatione omittant. Experientia, fateor, plus ponderis habet, quam quaevis probabilis mentis ratio. Verum quam difficile est ipsum experimentum! Quantum prudentiae, sagacitatis, cautelarum et solertiae requiritur in recte faciendis periculis, quanto mentis acumine, quanta iudicii aequitate opus est in causarum effectibus dignoscendis distinguendisque ab aliis, quos aliae interiectae causae ediderint, ne in errorem rapiamur, nostraque experimenta nos ipsos decipiant! Ne quid vero dissimulem, aquae vulnerariae romanae compositio [3]) plane est eiusmodi, ut si quis vires physicas mediasque singulorum omnium ingredientium noverit, teneatque probe, quid chemica enchiresis in ea praestare possit, facile eius laudibus

Haematites.

Electuarium HAELIDAEI PADUANI.

Aqua vulneraria LANDII.

Animadversio de difficultate recte pericula instituendi.

Aqua vulneraria nocet magis, quam prodest, inspectis chemicis ingredientium facultatibus.

viribusque adstringentibus diffidere omnino debeat. Imo si quid enchiresis chemica adeo repetita faceret, impertiretque liquori distillato plantarum saliumque facultates, aqua ista tantum abesset ut in haemoptysi prodesset, ut potius noceret.

1) *Comm. Acad. Bon. T.* 1. *p.* 158.

2) *Electuarium ad sputum Sanguinis* HAELIDAEI PADUANI. Rec. *Semin. hyoscyami, papav. albi ana drachm. X. Terrae sigillat., Corallior. rubror. an drachm. V. Sacchari rosati antiqui q. s. M. f. c. s. q. syrup. rosar. simplic. electuarium, de quo detur drachma una bis in die.*

3) *Aqua vulneraria Landii, sive Romana.*
Rec. *Succ. rec. origani, sanicalae, betonicae, verbenae, sedi sive sempervivi, pimpinellae, millefolii ana unc. VI. Succi mari unc. III. Sal. Alkali, Gemm. an. unc. VI. Cremor. Tart. pulv. unc. IV. Aceti stillati lib. I., in quo solv. aloës unc. I. cum dimidia.*
In succo betonicae solvatur sal gemmae. In sacco verbenae et millefolii sal Alkali. In succo pimpinellae cremor tartari.
Omnia ponantur in retorta, et digerantur per dies tres, dein distilla s. a.
Caput mort. pulverisetur in mortario, et superaffundatur destillatum, denuo ponatur in digestione per dies tres, et destilletur ut supra. Replicetur pro tertia vice digestio et destillatio, et liquor a tertia destillatione obtentus servetur in vasis bene obsignatis. Usus: in sputo sanguinis datur cochlear unum singulis ternis horis; interdum sufficit cochlear unum mane et vesperi. Sed in vulneribus adhibetur frequentius, spleniis aqua ista imbutis, aut iniectione ter quater in die, ablata prius parte sauciata quavis vice per vinum calidum.

§. XXXVIII.

Probatiora saccharum rosatum, syrupus de symphyto maiore.

Cortex peruvianus. Electuarium FULLERI.

Tutiora, et simul usu et medicorum consensu probata habentur saccharum rosatum, conserva rosarum rubrarum antiqua, syrupus de symphyto maiore, de rosis siccis, mala cotonea et ex his miva parata. Cortex quoque peruvianus a MORTONO primum, deinde a quam plurimis aliis ut praestantissimum remedium commendatur, nec immerito. Ab eo omnem prope virtutem et laudem mutuatur usitatissimum *electuarium peruvianum adstringens* FULLERI [1]) quod tamen, ut et reliqua tonica et adstringentia, in usum non vocari debet, nisi vasis per sanguinis missionem satis de-

pletis, refractoque febris, si est, impetu. Laudantur etiam a non paucis tincturae catechu, lapidis haematitis et corallorum rubrorum HELVETII. THOMAS DICKSON [2]) nitrum parvis et crebro repetitis dosibus ad coërcendam haemoptoën aliasque interdum haemorrhagias ut certum remedium praedicat, et quamquam conserva de rosis rubris et spermate ceti exceptum adhibeat, tamen soli nitro hosce salubres effectus tribuendos existimat. Anodynum, refrigerans ac compescens ipse reputat. Pace vero auctoris, nitro saepe tussim excitari vidi, qua nihil nocentius in haemoptoë. Imo interdum post diuturnum largumque eius usum acritate sua, quae viribus vitae non subigitur, haemoptysin ipsam induxisse visum est.

Tinctura Catechu, Haematitis, coralliorum. Nitrum a DICKSONO *commendatum.*

Animadversio auctoris de noxiis nitri effectibus in haemoptysi.

1) *Electuarium* FULLERI.
Rec. *Cortic. peruvian. pulver. unc. I. Balsam. Tolutan., Terrae Iaponicae pulv. ana drachm. I. Syr. de symphyto Boylei q. s. M. f. Elect. quod in decem part. aequales dividendum est, ut binae vel tres intra diem sumantur, et superbibatur haustus aquae idoneae.*

2) Vid. LUDWIG. *Comment. T.* 18. *P.* 3. *p.* 399.

§. XXXIX.

Quod si evacuationes generales aliaque praesidia sanguinis sputum nequaquam inhibeant, aut tanta sanguinis copia erumpentis sit, ut citissime comprimi postulet, nihil aliud superest, quam ad aquae frigidae potum confestim procedere. In hoc summa salutis spes continetur, dummodo inflammationis signa absint, neque complicata sit haemoptysis cum vetere aliquo infarctu aut alio vitio pulmonum, quibus in casibus nec adeo tutum est remedium, nec adeo certum eiusdem emolumentum. De eius mira efficacitate in haemoptysi et quocunque sanguinis profluvio peculiarem dissertationem vulgavit Romae anno 1756 IGNATIUS GERVASIUS a Monte Falisco [1]), sed ante eum alii etiam, et praesertim MARTINUS GHISIUS [2]) eius laudes experimentis comprobarunt. Ab aqua simplici naturaliter frigida inchoandum est, deinde ad frigidissimam et nivatam transeundum. Non-

Aquae gelidae usus.

Methodus utendi.

nulli quovis horae quadrante scyphum hauriendum iubent. Ego singulis semihoris octo vel decem uncias praebere soleo, excluso quocunque alio alimento, continuarique eiusmodi potum suadeo die noctuque ad aliquot dies, interdum ad hebdomadam, aut certe donec sanguinis sputum cessaverit. Postea paulatim imminui eiusmodi aquae potus debet, et aliquid tenuioris alimenti concedi licet, de quo regimine consulantur LANZANIUS [3]), CIRILLIUS [4]) et VALLISNERIUS [5]), alibi oppurtune a nobis nominati, ubi de *diaeta aquea in febrium curatione* locuti sumus. Aquam frigidam tam intrinsecus datam, quam extrinsecus brachiis et poplitibus per lintea eadem madefacta impositam feliciter adhibuit hoc in gravissimo morbo nuperior scriptor MERTENSIUS [6]).

Vesicatorium.

Addit autem idem auctor praeclarus, ea non proficiente, se amplum vesicatorium inter scapulas admovere solitum esse, huiusque remedii praestantiam tam in sedanda illico tussi, quam in sanguinis sputo supprimendo quatuor adductis observationibus illustrat. Tentatum id pluries a me est in contumaciore et recidiva haemoptysi, sed non ita prospere, ut MERTENSIO res cessit.

1) IGNATII GERVASII *a Monte Falisco medici Romani de de usu aquae frigidae in haemoptysi et quocunque sanguinis profluvio mechanico-physica dissertatio. Romae* 1756 *apud Zempel in* 4. Vid. quoque ORTESCHI *Giornale di Medic. T.* 1. *n.* 34. *ann.* 1763. *p.* 270. *et* SWIETEN. §. 1200.

2) *Lettere med. Lett.* 1. *p.* 11.

3) *Vero metodo di servirsi dell'acqua fredda etc.*

4) *De frigidae in febr. usu in not. ad* ETTM.

5) *Dell' uso ed abuso delle bevande, e bagni freddi etc.*

6) *Observ. med. P.* 3. *cap.* 2. *Vindobon.* 1778.

§. XL.

Curatio post sanguinem cohibitum.

Postquam sanguinis sputum iam desiit omnino, omne prope auxilium in abstinentia, quiete et diaetetico regimine positum est. Inter remedia vero plurimum prodesse solet lac, imprimis asininum, aut lac defloratum, aut si hoc non feratur, aut acescat, serum lactis dulce HOFFMANNI, quod

nunquam acescit, et ab eius inventore persaepe praescribebatur, vel iura ranarum, cancrorum fluviatilium, vel avenae vel, diaeta avenacea item cremor hordei, oryzae et similia. Diluta etiam aquosa, nec valde calentia veronicae, chaerophylli, scabiosae, hederae terrestris, florum bellidis minoris, arnicae egregie restitantis sanguinis grumos resolvunt, et blande ipsam pulmonum texturam, praesertim additis rosis rubris, confirmant. Lacte ex vacca, quae furfure aqua subacto atque urtica urenti alebatur, haemoptysicos plures quam viginti persanatos a Clerco [1]) accepimus.

1) *Hist. de l'Homm. malad. T.* 2. *p.* 31.

§. XLI.

Sed prae omnibus aëris mutatio imperanda est. Utilissima etiam censetur vectio, equitatio, prudentis tamen medici consilio instituenda; non enim cuilibet casui opportuna est. Raro etiam locum habent *balsamica*, imprimis acriora, quidquid aliis visum sit et videatur. Quod ad victum attinet, conveniunt pulticulae ex farina hordei, oryzae, avenae, sago, frumento turcico aut saracenico, vegetabilia intubacea et mollia, gelatinae pedum vituli et cornu cervi succo citrei, aut medici mali acidulatae, ova recentia et sorbilia, fructus horaei tam recentes, quam siccati atque alia huius generis. Exulent vero carnes graviores, exceptis, quae ex pullis gallinaceis, praesertim lacte enutritis, aut ex piscibus fluviatilibus et tenerioribus sumuntur; itemque vinum exulet, atque quodcunque acre et calefaciens. Alvus ut semper aperta et laxa servetur, curandum est, et quovis tertio utplurimum mense imminuenda per venae sectionem sanguinis copia, prout aetas, temperamentum, regio et reliqua postulabunt.

Aëris mutatio. *Exercitatio quaenam.* *Quid de balsamicis.* *Victus.* *V. S. prophylactica.*

CAPUT III.

DE PHTHISI PULMONARI, PRAEMISSA PHTHISEOS SIVE TABIS UNIVERSAE CUM EIUS DIFFERENTIIS EXPLICATIONE.

§. XLII.

Phthisis generatim.

Generatim φθίσις, Latinis *tabes*, quamcunque lentam diuturnamque corporis extenuationem nulla habita causae originisque ratione comprehendit: *lentam* inquam, et *diuturnam*, quam ab ea macie fortuita et cito desinente, quae morbum aliquem acutum, aut immodicam aliquam excretionem, aut insolitam cibi abstinentiam subsequitur, facile distinguendam esse vides. De *phthisi* igitur sive *tabe* hac primum, deinde de ea speciatim, quae *pulmonibus* quomodocunque vitiatis succedit, nunc breviter dicere operae pretium ducimus; nam etsi non omnis corporis marcor ad hanc pectoris sedem attineat, ut ad morbos huius classis referendus sit, tamen quia in utroque phthiseos genere symptoma, quod primum in oculos incurrit, est ipsa macies, uti commune utriusque phaenomenon, idcirco non alienum putamus de utroque hic morbo sermonem habere.

De ea primum, deinde de pulmonari.

§. XLIII.

Duplici modo considerari potest phthisis.

Itaque omnis phthisis universim accepta duplici modo considerari potest, vel ut corporis extenuatio a toto eius habitu, vel ab alicuius visceris vitio, infarctu, abscessu, ulcere proficiscens. Quae a toto habitu est, nec ab ullius visceris laesione fit, vocatur graeca et peculiari voce ἀτροφία, quae plerumque sine febre et sine calore hectico et sine tussi est, potestque triplici ratione oriri, videlicet vel ex ali-

alimenti defectu, vel ex eiusdem depravatione, vel e partium nutriendarum mala constitutione [1]).

1) Praeter hanc *atrophiam* totius corporis est etiam altera, quae in aliquam tantum partem cadit. Haec posterior, si magna adeo sit, ut membrum arescat, dicitur etiam *aridura*. *Quaenam atrophia dicta aridura.*

§. XLIV.

Quot modis alimentum deficiat.

Alimentum deficiet, si a stomacho nullo modo, vel non ea, qua opus est, copia recipiatur, uti in laesa degluttiendi facultate, in ieiunio, in fame atque inedia contingit, vel si materia nutriendo corpori non apta assumatur, vel in sanguinem non penetrare possit ob vias occlusas, uti in pylori, aut intestinorum, aut mesenterii, aut telae cellularis vasorumque lymphaticorum obstructione, aut laesa actione fieri notum est (quod antepenultimum vitii genus pueros maxime, et infantes corripit), vel si ad sanguinem pervenerit, corpori nutriendo nequaquam impendatur, sed eius fiat iactura per aliquam sanguinis ipsius aut cuiuslibet alius liquoris immodicam effusionem.

§. XLV.

Quibus evacuationibus corpus contabescat.

Ex nimia autem sanguinis aliorumque liquorum effusione corpus contabescit in haemorrhagiis, in ptyalismo, in lactatione, in crebra nimis seminis emissione tam spontanea, quam artificiosa, in gonorrhoea, in fluore albo, in alvi aut urinae profluviis, in sudoribus, in ulceribus diu manantibus, in hydrope, praesertim ascitico et in quibuscunque effusionibus aut evacuationibus, si quae sunt aliae, etiam humorum, quos excrementitios inutilesque vocant; cum fieri non possit, quin semper aliquid boni utilisque succi, quo ali corpus debet, cum iis simul deperdatur. Huc proprie referri debet *tabes dorsalis* secundi libri *de morbis* [1]), qui inter Hippocratica scripta reperitur; nam in eam incidunt novi sponsi ex nimia venere et nimia idcirco liquoris seminalis iactura, et quoniam hinc medulla spinalis videtur detrimentum capere, a dorso nomen ei tributum est. En *Tabes dorsalis prima.*

verba ipsa, quibus morbus ibi adamussim describitur: *Dorsalis tabes a medulla fit. Corripit autem maxime recentes sponsos et veneri deditos. Sunt autem sine febre, et bene cibum capiunt, ac consumuntur. Et, si interroges ita affectum, dicet sibi superne de capite in spinam velut formicas descendere videri, et ubi mingit, aut ventrem exonerat, prodit ipsi genitale semen multum ac liquidum, et genitura in utero non manet, et in somnis semen profundit, sive dormiat cum uxore, sive non. Et cum iter fecerit, aut cucurrerit, tum alias, tum ad acclivem locum, anhelatio et debilitas ipsum corripit, et capitis gravitas, et aures sonant. Hunc temporis progressu, ubi febres fortes ipsum corripuerint, perdunt febres lipyriae.*

1) *N.* 49.

§. XLVI.

Tabes dorsalis secunda.

Quandoquidem vero *de tabe dorsali* sermo incidit, non praetermittam alias eiusdem generis veluti species recensere, de quibus Hippocratica oracula aut alii scriptores medendi usu consummatissimi loquuntur. Et primum reperio in libro *de internis affectionibus* [1]) aliam *tabem dorsalem*, quae quoniam etiam immodicae veneri interdum ortum debet, opportune ipsissimis verbis, quibus ibi, exponenda nobis esse videtur: *Resiccatur medulla spinalis maxime cum venulae ad medullam tendentes fuerint obturatae, itemque ex cerebro accessus. Propter corporis autem afflictionem haec patitur et aegrotat. Resiccatur etiam a venere. Haec igitur patitur: dolor acutus incidit ipsi in caput, et in collum, et lumbos, et in lumborum musculos, crurum, ut aliquando flectere non possit. Et stercus non secedit, sed sistitur. Et urinae difficultate vexatur. Hic in principio quidem morbi quietius degit. Quanto autem magis tempus morbo prolongatur, tanto magis omnia dolent. Et cum velut ab aqua inter cutem tument, et ulcera e lumbis emergunt, et alia quidem sanescunt, alia vero nascuntur.* Haec tabes parum videtur a priore (§. XLV.)

discrepare. Attamen in illa languere totum genus nervosum, verisimile est; in hac (§. XLVI.) irritari etiam, convelli et demum resolvi. In illa humorum utilium alibiliumque inopia; in hac etiam depravata natura et stagnatio et solidarum partium consequens atonia discrimen faciunt.

l) *N.* 13. *vers. fin.*

§. XLVII.

Tabes dorsalis tertia.

Aliam *tabis dorsalis* speciem, quae ad hunc locum pertinet, commemorat WILLISIUS [1]). In hac non quidem semen, verum ichor sive putrilago quaedam e genitalibus profunditur. Quod profluvium quando ingens et continuum est, saepe totius corporis vires infringit, et materiam nutritiam subtrahendo et prodige ablegando, *atrophiam* sive *contabescentiam* inducit. Hoc imprimis liquet in gonorrhoea et fluore albo muliebri, sive affectus hi per impurum concubitum aut immodicam venerem, sive ob plagam et contusionem, aut nisum vehementiorem aliamque noxam lumbis inflictam oboriantur.

Atrophia vocatur.

1) *Pharmac. ration. P.* 2. *Cap. V. de tab. dorsali.*

§. XLVIII.

Qui alimentum depravari possit.

Sed eo revertamur, unde *tabis dorsalis* consideratio nos abduxit. Paulo ante (§§. XLIV. XLV.) quot modis alimentum deficiat, indicavimus. Nunc videndum, qua ratione eius depravatio contingat. Depravari igitur potest vel quod male atque imperfecte in ventriculo concoquitur, aut non bene in intestinis chyli naturam induit, non defaecatur, nec sanis humoribus rite assimilatur, vel quod invectum in sanguinem crudos, viscidos, acidos, salsos, acres, alcalescentes, aut aliter a naturali crasi et bonitate devios offendit, ab iisque contaminatur, ut multis in morbis, et praesertim post febres male curatas imperfecteque solutas, quae interdum in hecticas abeunt, non raro evenit.

§. XLIX.

Prava partium constitutio.

Restat, ut malam partium constitutionem (§. XLIII.) contemplemur, qua interdum efficitur, ut alimentum nec praeparetur satis ad nutritionem, nec probe in animalem naturam convertatur, nec partibus alendis rite apponatur, aut appositum iis non adhaereat, nec retineatur, ut par esset. Partes autem male constitutae dicuntur, quando earum tono deperdito languent, et veluti enerves torpescunt. Quod cum magna et potissima parte a nervei succi inopia nervorumque laxitate atque inertia utplurimum eveniat, sic ut partes propemodum resolvantur; ideo hoc phthiseos sive tabis genus *atrophia nervosa* a MORTONO appellatur, quo nomine discriminatur ab ea tabe, a toto pariter habitu orta (§. XLV.), quam ipse simpliciter *atrophiam ab inanitione* vocare melius existimavit. Possunt vero non solum enervari partes, ut dictum est, verum etiam contrario vitio affici. Interdum enim fibrae omnes, vasa imprimis et universa tela cellulosa ita paulatim contrahuntur, rigent et consolidantur, ut alibili succu nec permeari, neque allui, neque extendi ac nutriri queant. Quo in casu corpus exsuccum et atrophicum evadet. Id mali genus hominibus praesertim siccioris temperamenti et calidae constitutionis accidit. Quando vero ex hac causa emaciantur senes, id quod iis frequentissimum est, *tabes senilis* proprie vocanda esset; quamquam id nominis tribui soleat senili extenuationi, quae tussi catarrhali diuturnae et copiosiori sputo succedit; dum alii hanc *phthisin pulmonarem pituitosam* rectius vocandam putant.

Atrophia nervosa MORTONI. *Atrophia ab inanitione eiusdem.*

Phthisis sive tabes senilis.

Phthisis pituitosa.

§. L.

Tabes quaedam falso dorsalis habita.

Ad *atrophiam nervosam* (§. XLIX.) vulgo refertur *tabes tertia*, quae in libro *de internis affectionibus* [1]) HIPPOCRATIS discipulis ab HALLERO adscripto, exponitur. Sed multo plures cum WILLISIO eam *tabis dorsalis* speciem esse aiunt; quo autem iure, non satis assequor. Nam in tota illius descriptione nihil sane occurrit legenti, quod me-

dullam spinalem, aut dorsum, aut vertebralem columnam affici et laborare indicet. Num ideo quod priscus ille scriptor, quicunque demum fuerit, in causis aut sedibus morborum assignandis non hercle semper felicissimus, medullam spinalem in ista tabe sanguine oppleri arbitratur, protinus et quodam coeco impetu in eius sententiam est descendendum? At, inquies, MARINELLIUS in *commentariis* animadvertit, hanc sententiam confirmari clariusque exponi ab HIPPOCRATE libro *de locis in homine* [2]) hisce verbis: *cum in medullam fluxio contigerit, tabes occulta atque inconspicua oboritur.* Quo ex loco nihil aliud eruitur, nisi quam HIPPOCRATEM credidisse, tabem interdum a fluxione in medullam spinalem fieri, quod alibi etiam apertius docuit, non vero confirmare voluisse id, quod in libro *de internis affectionibus* supra citato scriptum fuit; cum exploratissimum sit, neque illius libri auctorem esse HIPPOCRATEM, neque ibi de tabe, quae *occulta atque inconspicua* dici possit, mentionem ullam fieri. Nam eo in loco verba fiunt ab anonymo atque incerto auctore de tabe quadam, in qua homo niger statim et subtumidus evadit, et partes, quae sub oculis sunt, pallidas prae se fert, et vasa, quae in toto corpore sunt, partim pallida et distenta, partim valde rubra exhibet spectantibus et manifesta. Exspuit quaedam subalbida, et ita difficulter, ut interdum se suffocari sentiat; imo sub ipso extussiendi conatu bilem acervatim evomit, aliquando pituitam, saepe etiam cibos, ubi comederit; nec sublevatur, nisi post alteram vomitionem et per brevissimum tantum tempus, quoniam cito in easdem aerumnas delabitur. Voce etiam acutiore est, quam cum sanus esset, *febre, rigoribus et sudoribus conflictatur, et sic per annos novem languescit, et rari sunt, qui ex hoc morbo evadunt.* Quaecunque autem sit huiusmodi affectio, an *occulta, atque inconspicua?* Nonne etiam pulmo in ea manifesto laborat?

MARINELLII *opinio reiicitur.*

1) *N.* 13. *sub initium.*

2) *N.* 18.

§. LI.

MARINELLIUS *magis magisque refellitur.*

Neque quidquam proficit, mea quidem sententia, idem MARINELLIUS, dum pergit ex eodem libro *de locis in homine* [1]) anniti ostendere, HIPPOCRATEM reapse *tabem dorsalem* ibi intellexisse, quia scripsit *aegro lumbos dolere, et anteriores corporis partes, et vacuas ipsi videri.* Nam haec fere communia esse possunt, nec satis perspicue *tabem dorsalem* significant, multoque minus eam, quam auctor libri *de internis affectionibus* (§. L.) expressit; nisi quamcunque tabem *a toto habitu* velis *dorsalem* appellare, quod plane absurdum dixerim.

RAULINII *opinio reprobatur.*

Neque demum adduci possumus, ut RAULINIO [2]) assentiamur, cui *nervosae tabes* eaedem omnino cum *dorsalibus* videntur; ex eo fortasse, quod ex locis veterum scriptorum, quae valde obscura et implexa invenit, nihil certi hac super re statui posse ipse deprehenderet, nisi *species* cum *genere* confundere lubeat.

1) *N.* 29.

2) *Observat. de médecin. P.* 1. *Remarq. sur la Phthisie en général. p.* 2.

§. LII.

Tabes dorsalis quarta.

Verius ad *tabem dorsalem* spectat alia species, quam ipsemet WILLISIUS [1]) memorat, longe ab illa, quam ex libro *de internis affectionibus* (§. L.) adduxit, diversam, atque ab aliis speciebus supra descriptis (§§. XLV. XLVI. XLVII.) distinguendam. Vidit enim quosdam dolore circa lumbos, imo interdum in toto dorso miserrime vexatos, qui cum aliquandiu ita excruciati essent, postea gibbi aut claudi evaserunt, ac tandem toto corpore, excepto capite, contabuerunt, quemadmodum *rhachitide* affectis contingit.

Rhachitidem plane refert.

Huius morbi causam in hoc consistere ipse opinatur, quod humor sive materia quaedam morbida cum succo nerveo per medullam spinalem descendens in nervorum vertebralium origines aut truncos influat, eorumque fibris primum irritatis dolorem continuum excitet, deinde quibusdam etiam compressis aut intime labefactatis respondentes musculares fibrae

resolvantur, dum interim antagonistae validius sese contrahentes, vertebras, quibus affiguntur, e loco dimovent, trahunt, et aliorsum distorquent, ac demum nervis fibrisque muscularibus aut resolutis aut debilitatis non modo aegri claudicent, verum etiam membra totumque corpus langueat, macieque exsiccetur; quod, si sola ligamenta ab alieno humore laxarentur, non contingeret. Neque id pueris tantum atque adolescentibus infestum ac familiare malum esse credas, verum etiam aetate iam provectis. Nam egomet ipse plures vidi, quibus adulta in aetate hoc affectu correptis vertebrae intumuerant, e sua sede prociderant, et cariem contraxerant. Quare facile inducor, ut credam non modo nerveum succum, sed etiam osseum et synoviam ipsam lymphamque nutriendis ligamentis dicatam hoc in morbo interdum alterari corrumpique.

1) *L. c.*

§. LIII.

Aliae tabes a toto habitu, vel ad nervosas atrophias spectantes.

Non hic vero finem habent *tabes* sive *phthises a toto habitu corporis* (§. XLIII.) permanantes, aut ad *atrophias nervosas* (§. XLIX.) spectantes. Nam sunt etiam quaedam aliae, quae a *moerore*, a *nostalgia*, ab *amore*, aliisque *animi aegritudinibus*, ab *affectione hypochondriaca* aut *hysterica*, a *scorbuto*, a *lue venerea*, ab *arthritide* profluunt, de quibus utpote magna ex parte secundariis singillatim disserere vetat instituti ratio temporisque praefinita brevitas. Referri autem fere omnes possunt vel ad imminutam nervorum vim, vel ad fibrarum omnium siccitatem, vel ad depravatam vitiatamque humorum naturam aut distributionem. Cuiusmodi *atrophiae a toto habitu* luculentissimum exemplum exstat apud DELISLIUM [1]), quod non admodum infrequens est observatu clinicen exercentibus. In hac igitur specie contabescit universum corpus sine febri, sine tussi, sine ulla spirandi difficultate. Quicunque in hanc tabem inciderint, cibum praeter modum aversantur, nunquam famis sensum percipiunt, de ingenti femorum et cru-

Atrophia quaedam a toto habitu. Eius signa.

rum imbecillitate queruntur, atque evidenter macie in dies aucta deliquescunt. Alvo pigra adstrictaque sunt, ut enematibus eam solvere cogantur. Linguam habent muco viscido et crasso obductam et saepe siccam. Interius calore quodam assiduo uruntur, quem nullo modo contemperare possunt. Urinas emittunt nunc rubras, nunc pallidas, nunc admodum paucas et saturatissimo colore praeditas. Stomachi regio, etsi nec renititur, nec tumet, pressa tamen acutissimo dolore afficitur. Musculi abdominis saepe praeter modum tenduntur. Nocte dieque pertinacissime evigilant, nec somno recreantur. Facie pallent et livent, et pustulis quandoque et varis eam foedatam referunt. Oculos utplurimum lippitudine et lemis palpebras glutinantibus sordidos exhibent, cutimque siccam, aridam et minime perspirantem. Pulsus deprehenduntur rari et aliquanto duriores. Quae omnia ostendere videntur, bilem in his parcius secerni, viscidam, amurcosam atque acrem circa praecordia coacervari, sanguinem acritatibus scatere, succo blando et nutritio carere, atque universum solidarum partium systema arescere et exsiccari.

Quinam ei obnoxii ex DELISLIO.

Huic potissimum malo obnoxios esse, qui alimentis calefacientibus, acribus, aromaticis potuque vini et liquorum ardentium abutuntur, idem laudatus DELISLIUS observavit. Qui hoc morbo tenentur, si tempestive opem medicam exquirunt, saepe restituuntur in pristinam valetudinem.

1) *Traité de la phthisie pulmon. chap.* 14. *p.* 156. *et pag.* 164.

§. LIV.

Phthises particulares.

Hactenus de phthisi ab universo corporis habitu. Reliquum est, ut alias nunc phthises enumerem, quas peculiare alicuius partis vitium gignit, uti tumores, abscessus et ulcera.

A peculiarium viscerum labe denominatio earum est.

Nihil vero antiquius frequentiusque est, quam a viscerum labe, puta hepatis, ventriculi, renum, lienis, pancreatis, mesenterii, intestinorum, uteri, vesicae obstructione, infarctu, scirrho, suppuratione, ulcere, phthisin *hepaticam*, *stomachalem*, *renalem*, *splenicam*, *pancreaticam*, *mesente-*

ricam, *intestinalem*, *uterinam*, *cysticam* aliasque huiusmodi pronasci. Haec enim viscera vitio aliquo correpta et suis functionibus inepta reddita vel succum alibilem non rite elaborant, vel ichorem, vel pus, vel saniem, vel putridam quamcunque labem cum universo sanguinis fluento communicant, quo alendo corpori impar fiat, vel sanos utilesque humores profundentia corpus ipsum rore debito sensim orbant, quare macrescit et consumitur. Sed prae ceteris

PHTHISIS PULMONARIS.

A pulmonum labe eius causa.

Pulmones vitium istud incurrunt, frequentissimamque phthiseos causam in se recondunt. Quae igitur ex eorum culpa tabes corpus deterit consumitque, *pulmonaris* rite et proprie nominatur, ut ab aliis distinguatur; imo tanta est eius etiam apud vulgus cognitio, ut simplici phthiseos nomine non alia saepe intelligatur, quam ea, cuius sedes in pulmonibus est. *Vera* autem *phthisis pulmonaris*, quemadmodum communior fert sententia [1]), *est ea totius corporis lenta consumtio, quae pulmonum ulcus assiduamque inde ortam febriculam consequitur.* Quando vero ex quacunque alia pulmonum affectione aut labe corpus contabescit, uti quando *atonia* ingenti, *flacciditate*, *marcore* [2]), *tuberculis* [3]), *strumis*, *scirrhis*, *infarctibus*, *calculis* aliisque lapideis concretionibus, *vomicis* aut *empyemate* thoracis similique alio vitio pulmones laborant et contaminantur, tunc quoque *phthisin pulmonarem* adesse cum FRACASTORIO [4]) et WILLISIO [5]) credimus, non quidem illam *veram* et *exquisitam*, quam difinivimus, sed quodammodo *notham* atque *imperfectam*. Nam etsi in hac deficiat vera pulmonum exulceratio, effecta tamen et symptomata adeo verae phthisi sunt consentanea, ut quam maxime eam aemulentur, aut saltem expeditissimum in eam, quod IUNCKERUS etiam [6]) concedit, faciat transitum.

Definitio phthiseos pulmonaris verae.

Phthisis nothae species.

Haec in veram transit facile.

1) GALEN. *Defin. med. n.* 260. 261. ARETAEUS *l. c. I.* 8. *p.* 52. AETIUS *Tetrab.* 2. *serm.* 4. *c.* 67. FERNEL. *Patholog. l.* 5. *c.* 10. *p.* 109. CAROL. PISO *de cognosc. et curand. morb.*

l. 2. *c.* 10. BOERHAAV. §. 1196. VAN SWIET. *ib.* in *commentar.* MORTON. *Phthisiolog. l.* 2. *de Phthisi pulmon. p.* 26. DUPRÉ' DE LISLE *de la Phthisie pulmon. chap.* 1. *p.* 5. *etc.*

Purulenti copiosique sputi excretio absque ulcere pulmonum.

1) Tanta interdum est pulmonum laxitas sive *atonia*, ut non solum ad eos ingens humorum vis confluat, perque vasa exhalantia et fibrarum interstitia vasorumque poros inconspicuos exsudent, ac sputorum copia et frequentia totum pene corpus exhauriant, verum etiam pus ipsum ex universo sanguine peculiarem ob quandam eius diathesin pulmones secernant, aut, si mavis, conficiant, et sine ulla exulceratione effundant. Exempla pulmonum integrorum in iis, qui copiosa sputa purulenta diu excreverunt, et pro phthisicis ulcerosis habiti fuerant, apud BENETUM (*Theatr. Tab. p.* 96.), MORGAGNIUM (*de sed. et causs. Epist.* 22. *n.* 28.), LIEUTAUDIUM (*Hist. anatom. med. l.* 2. *observ.* 404., HAENIUM (*Rat. medend. Part. XII. cap.* 6. *p.* 250., et alibi pluribus in locis.), CASIMIRUM MEDICUM (*collect. observ. med. pract. T.* 1. *p.* 279. *ad* 230. *et Comm. Lipsiens. Supplem.* 2. *ad Decad.* 2. *p.* 214.) aliosque videri possunt.

Exempla.

Tubercula in bronchiis vel glandularum bronchialium.

3) *Tubercula* non modo in aspera arteria, in bronchiis pulmonibusque ipsis ex folliculis mucosis, cellulis, vesiculis aut vasis, imprimis lymphaticis obstructis fiunt, verum etiam extrinsecus bronchiis innascuntur, praesertim si quando glandulae conglobatae, quae, quia bronchiis fere ubique adiacent, bronchiales dici solent, vitium aliquod contrahant, aut indurescant, aut sabulo aspero, aut aliis cartilagineis, osseis lapideisve concretionibus repleantur, aut abscessu turgeant; quas ob res *non infrequens lentissimae phthiseos causa* ab HALLERO aliisque reputantur. Disputatur, an huiusmodi glandulae cum systemate vasorum lymphatico solum communicent; num vero aliquid in bronchia ipsa infundant? MORGAGNIUS et FANTONIUS negant, SENACIUS vero, BERGENIUS et HALLERUS affirmant. Utcumque res sit, certum est, saltem in morboso statu, si comprimantur, eas coerulescentem aut nigricantem, quo scatere solent, humorem in bronchiorum cavum effundere, et muco pulmonari admiscere. Imo is etiam in sanorum sputis interdum cernitur. Ex bronchialibus ergo hisce glandulis suppuratis sputa quandoque purulenta educi poterunt. Vid HALLER. *Elem. Physiolog. l. VIII sect.* 2. §. *XV.*

An huiusmodi glandulae communicent cum vasis tantum lymphaticis. Quid certo definiendum.

4) *De morb. contag. l* 2. *cap.* 9. ubi haec habet: *Verum et illam quoque possumus phthisin satis proprie appellare, quae corruptis putrefactisque pituitis ita pulmonem affecit, ut si non ulceratus est, at flaccidus et putridus iam redditur, quippe factis dissectionibus quorundam vidimus, interdum partem pulmonis sinceram et nullatenus vitiatam, partem nondum exacte putridam nondumque ulceratam, sed tamen flaccidam mollemque atque in marcorem tendentem, quandoque et totum pulmonem talem vidimus. Quare cum iam marcor ille in pulmonem serpit, phthisicum appellare merito hominem possumus.*

5) WILLIS. *P.* 2. *sect.* 1. *cap.* 6., ubi definitur phthisis

totius corporis contabescentia a mala pulmonis conformatione orta.

6) *Medic. conspect. Tabul.* 34.

§. LV.

Utraque (§. LIV.), videlicet tam *vera* quam *notha* distingui debet in *primariam* et *secundariam*, prout a pulmonibus primario laborantibus sine ullo alio morbo antecedente initium duxit, vel alii morbo succedit, uti scorbuto, lui venereae, arthritidi, malo hypochondriaco aut hysterico, strumis sive scrophulis, variolis, morbillis, scabiei, herpeti, scirrho, cancro similibusque, unde etiam singulare nomen accipit, vocaturque phthisis *scorbutica*, *venerea*, *arthritica*, *hypochondriaca* aut *hysterica*, *strumosa* aut *scrophularis* et sic deinceps. Ad has addit ut a se observatas HAENIUS phthisin *cellularem*, *femoralem*, *coxariam* sive *ischiadicam* aliasque ejusmodi. Ceterum MORTONO [1]), quam nos dicimus *primariam*, placuit appellare *originariam*, *secundariam* vero *symptomaticam*. Nobis tamen videtur, ut alias etiam docuimus, discrimen aliquod interdum esse posse *secundariam* inter et *symptomaticam*. Existere enim potest *secundaria*, etiamsi morbus, exempli causa haemoptysis, pleuritis etc, a quo originem duxit, omnino cessaverit aut desierit; nequaquam vero *symptomatica*, uti venerea, scorbutica etc., cum morbi, qui abest, vel abierit, *symptoma* esse non possit, si symptoma pro effectu causae praesentis et non praeteritae vere habendum est. Nulla porro est tabes sive a toto corporis habitu, sive ab alicuius partis aut visceris labe oriunda, quae tandem in *phthisin pulmonarem secundariam* aut *symptomaticam* desinere nequeat. Nam sanguis vel congruo deficiente alimento degenerans, vel alienis noxiisque humoribus infectus, dum tenellam pulmonum substantiam pervadit, nec ibi rite ob laxatum partium tonum subigitur, facile ibidem haeret, et crudis, acribus erodentibusve liquoribus depositis, altiusque se insinuantibus, spasmos, congestiones, tubercula inducit, quae primum tus-

Primaria et secundaria.

Aliae differentiae.

MORTONI *distinctio in originariam et symptomaticam.*

Discrimen inter secundariam et symptomaticam.

Symptoma est effectus causae non praeteritae sed praesentis.

Tabes vel a toto habitu corporis, vel ab aliqua eius parte orta in pulmonarem secundariam aut symptomaticam potest desinere.

sim, respirandi difficultatem, pectoris dolorem, haemoptysin, aut inflammationem, demum suppurationem, sputum purulentum, ulcus et phthisin *veram* et confirmatam pulmonarem progenerant. Praeterea pro celeriore aut tardiore passu, quo suum cursum persolvit *phthisis*, *acuta* vel *chronica* etiam dici cousuevit. Sunt enim phthisici, qui brevissimo tempore pereunt, et contra qui diutissime et praeter spem vitam protrahunt.

Phthisis acuta et chronica.

1) *Phthisiolog. l.* 2.

2) *Id. ib. cap. V., et* Homius *Princip. med. l.* 2. *part.* 3. *cap.* 9.

§. LVI.

Itaque cum *phthisis pulmonaris* non semper eiusdem sit gravitatis, et plerumque ad ἀκμὴν [1]) non perveniat, nisi gradatim et successive, in tres gradus a quibusdam dividi solet. *Primum* esse dicunt, quando pulmones infarctu laborare incipiunt, obstruuntur, et quasi hectice incalescunt. *Secundum*, ubi iam tuberculis ex cumulata, congesta coactaque lympha aut alia materia cruda sensim enatis replentur. Postquam vero tubercula eiusmodi inflammationem subierunt, factaque suppuratione, in abscessus atque ulcera pus et sanguinem interdum effundentia convertuntur, *tertii gradus* initium iam accessisse. Divisio tamen haec non videtur cuilibet phthisi pulmonari convenire posse, cum non omnis pulmonaris phthisis a tuberculis fiat, etsi ex his quidem frequentissime oriatur; ideoque nec eandem cum incipiendi, tum progrediendi rationem servet. Nam quae a sola haemoptysi, quae a pleuritide aut peripneumonia suppuratis, quae ab acri et rodenti humore aliisque similibus causis proveniunt, divisioni certe huic nequaquam accommodari possunt. Quare cum causarum varietas differentiam non exiguam in phthisi ponat, rectius, ut ego quidem arbitror, dividitur in *incipientem* et in *confirmatam*. Incipienti respondent *spuria* atque *imperfecta*, itemque *tubercularis* et *scirrhosa* (§. LIV.); confirmatae *vera* et *exqui-*

Varii phthiseos gradus.

Phthisis pulmonaris non semper a tuberculis fit. Reiicitur divisio trium graduum, de qua supra. Alia divisio recepta ab auctore.

Phthisis incipiens et confirmata.

sita, sive *ulcerosa*. Quoniam vero confirmata sive ulcerosa paulatim et ipsa sua stadia percurrit, donec ad extremum exitium perveniat, ideo aequiore iure, ut varius eius status ob oculos ponatur, in tres quoque gradus distinguitur, quos ulcerationis et maciei diversa ratio indicat. *Primus* dicitur, quando pulmo ulcerari quodammodo incipit, nec admodum corporis extenuatio in sensus incurrit. *Alter*, quando ulcus maciesque manifestius se produnt. *Tertius* denique, cum pus omnia inficit, ulcusque latius serpit, ut, liquatis quasi omnibus succis, ossa cute tantum tecta [1]) appareant.

Confirmatae tres gradus.

1) Dupré de Lisle *de la phthisie pulmonaire* p. 11. et p. 285. et seqq.

§. LVII.

Verum non omne pulmonum ulcus phthisin *veram* continuo procreat, nisi maciem et lentam febriculam (§. LIV.) afferat aegrotanti; rarum enim minime est, quod clinici fere omnes animadvertunt, dari quosdam, qui tussi sputa e pulmonibus nunc flava, nunc viscida et glutinosa, nunc purulenta et sanguine etiam conspersa eiiciunt, quique nec maciem magni momenti prae se ferunt, nec lente et assidue febricitant, nec ullo alio notabili incommodo, nisi ad longa intervalla, corripiuntur, ita ut vitam satis incolumem ducere quodammodo videantur. Hos tamen verisimile est ulcus quoddam in pulmonibus recondere, sed *callo* circum aut *glutine* sic obductum, ut neque latius serpere queat, neque magnam hinc alimenti iacturam pariat, neque puris quidquam in sanguinem infundat. Fonticuli sive cauterii instar ulcus illud geri, probabile est. Ad quadraginta usque annos in quibusdam productum vidi, imo ad senium ipsum. Et quamvis aliquem phthisicum habitum in iis agnoscere viderer, tamen suis muniis obeundis satis commode pares erant. Cum his magnam habent similitudinem illi, quos *chronica phthisis* lentissime conficit. Sed hi, etsi lentissimo passu, quotidie tamen macrescunt, et lenta febricula non destituuntur. Sunt etiam qui existiment [1]), *ulcera la-*

Non omne ulcus pulmonum veram phthisin parit.

Ulcera callo obducta et chronica.

Discrimen inter chronicum pronum ulcus et phthisin chronicam.

Phthisis trachealis quae.

ryngis atque *asperae arteriae*, quia pulmonibus non insident, a *phthisi* secludenda esse. Verum ab his quoque corpus saepe deperit, et lenta febricula cietur, qua omnis altrix materies absumitur. Plerumque enim pulmo una afficitur, vel brevi eadem labes ad eum propagatur. Quapropter hanc phthisin, nisi *pulmonariam*, *trachealem* certe appellandam esse, non inepte iudicaverim.

1) MORGAGN. *Epist. anat. med. XXII. num.* 27.

§. LVIII.

Causa proxima phthiseos.

De differentiis satis. Nunc causas difficillimi et frequentissimi morbi investigare oportet. Proximae causae, qua late patet, ideam complectitur, ni valde fallimur, quidquid pulmones adnexasque partes obstruit, distendit, laxat, irritat, erodit, inflammat aut lacerat; unde demum ulcus purulentum consequatur. Id vero non ita facile consequitur, nisi causae proëgumenae et procatarcticae una conspirent. *Proëgumenarum* autem praecipue sunt aetas intra decimum octavum et trigesimum quintum annum speciatim [1]) comprehensa, tenella pulmonum totiusque corporis constitutio, mala pectoris conformatio, temperamentum sanguineum et cholericum, plethora, cacochymia multiplex, variae humorum acritates atque hereditaria labes. *Procatarcticas* exhibent graviora animi pathemata, studia immoderata, imprimis nocturna, vigiliae protractae, prava victus ratio, corporis tam nimia segnities, quam nimia exercitatio, venus praematura, aër densus, humidus et paluster, aut subitas vices subiens, aut nimis rarus, levis, montanus [2]), aestas sicca et aquilonia, subsequente autumno pluvioso et austrino [3]), frigus calori repente succedens, ictus, contusiones, vulnera, extranea in asperam arteriam delapsa aut inspirata, magna vocis contentio, vehemens nisus, spiritus diu cohibitus, venena, halitus noxii carbonum [4]), metallici, acidi, nitrosi et vitriolici [5]) tussis, rheuma, catarrhus, et frequentissima in his postremis venae sectionis omissio, haemoptysis [6]) pleuritis aut peripneumonia imperfecte solu-

Proëgumenae et procatarcticae.

Venae sectionis omissio in tussi, rheumate,

lutae [7]) aut suppuratae, scorbutus, morbus scrophularis, lues venerea, hypochondriaca et hysterica mala, metastases, consuetarum evacuationum suppressio [8]), scabies, herpetes, variolae, morbilli aliaque cutis vitia retropulsa, ac demum contagium, si communiori sententiae standum [9]) sit. *catarrho frequentissime phthisin gignit.*

1) Hippocrates *Aph.* 9. *sect. V.* et *Aph.* 7. *sect. VIII.*

2) Rozière de la Chassagne *Manuel des pulmoniques* *pp.* 282. 283.

3) Hippocrat. *Aph.* 13. *sect. III.*, et *aph.* 22. *sect. III.*

4) Rozière de la Chassagne *Manuel des pulmoniques* *p.* 281.

5) Helmontius *Oper. p.* 200.

6) Hippocr. *Aphor.* 12. *sect. VI.*

7) Idem *Aph.* 15. *sect. VII.* et Coac. *n.* 438.

8) Idem *Aph.* 15. *sect. V.*

9) Cl. Morgagnius *Epist. anatom. med. XXII.* pro iis se declarat, qui *phthisin contagiosam* putant. Swietenius eandem sententiam exemplis confirmat. Antonius vero Cocchius et nuper Castellanius Mantuae clinices professor contrariam tueri conati sunt. In Etruria tamen, etsi medicorum Collegium *phthisin contagionis* expertem iudicaverit, lege cantum est, ut cubicula, vestimenta aliaeque res, quae usui phthisicis fuerunt, detractis parietibus veteribus, novisque inductis, expiarentur, et igni reliqua traderentur cremanda. *An phthisis contagiosa.*

Diagnosis.

§. LIX.

Quoniam vero *praesens phthisis* vix amoveri potest, plurimum interest eam, antequam accesserit, praevidere, ut avertatur. Itaque futuram portendunt ortus a parentibus hac labe defunctis, pectus angustius et depressius, humeri elati, collum longum et tenue, statura procera, vox exilis aut clangosa, cutis pellucens, color valde candicans et in genis amoene roseus, gracilis corporis habitus, praecox ingenium, spinae dorsi curvitas, gibber, copiosi phlegmatis matutina praesertim exscreatio, crebri catarrhales affectus *Signa futurae phthiseos.*

Signa incipientis. et denique morbi, qui antea antecesserunt [1]). *Incipientem* autem phthisin generatim tria potissimum ostendunt: tussis diuturna, febris hectica a pastu invalescens, interdum matutinis horis intermittens, et musculosarum partium extenuatio. *Tussis qualis.* Tussis saepe quidem ab initio mitis est, modo sicca, modo humida et catarrhali similis, deinde molestior, imprimis post epulas, ita ut eam vomitus ingestorum non raro subsequatur, sive hunc ab irritato simul oesophago, sive a ventriculo per vehementiores diaphragmatis et abdominis contractiones compresso repetendum volueris. *Quaenam eam comitentur.* Hoc peculiari symptomate tussim phthisicam a catarrhali distingui animadvertit MORTONUS, multoque certius eam phthisicam dixeris, si accesserit cibi fastidium, sitis, sputum viscidum, crassum et varii coloris, sanguine interdum conspersum, sapore salso, aut dulci, aut amaro, aut quocunque alio alieno praeditum, pondus in pectore, praesertim qua parte vitium insidet, insolita quaedam oppressio, difficilis in alterutro latere decubitus, tussim incitans, interdum obscurus alicubi dolor, respiratio aliquantum laboriosa, praesertim post citatiorem incessum aut ascensum scalarum, sudatiunculae nocturnae aut matutinae, hypochondria elevata et tensa et pondere quasi gravata, et demum facilis in iracundiam aut moestitiam prolapsus. *Febris qualis.* Febris autem ipsa inter initia vix celeriori arteriarum motu se prodit, postea paulatim crescit, quin tamen *lentae* sive *hecticae* modum excedat. Calore ad exteriora satis manifesto, imprimis ad volas manuum et pedum, vigiliis et genarum subinde rubore stipatur. Interea urina parcior redditur, et coloratior est, ac facile perturbatur. *Macies.* Macies a primo morbi ingressu plerumque exigua est, lenteque procedit, ut vix animadvertatur. Verum, ubi febris incrementa capit, deiicitur appetitus, digestio depravatur et succus, quo ali corpus debet; tunc sane celeriter aeger macrescit, ut brevi ad sceleton prope accedat.

1) HIPPOCR. *Aphor.* 15. *sect. V.*, et COAC. *n.* 17. 438. 444. 469.

§. LX.

§. LX.

Signa phthiseos confirmatae.

Simulac vero febris (§. LIX.) lentae naturam amittit, acutiorque facta pleuriticam aut peripneumonicam imitatur, aut intermittentium accessiones, sed vagas atque anomalas [1]) habet, quod suppurationibus proprium est, et pus verum exscreari incipit, tum *confirmatam* iam *phthisin* esse, non est dubitandum. *Liquatio.* Nam brevi liquatio summa in toto corpore cum a vehementiore febris motu, tum a pure in venas resorpto oboritur. *Sudores aucti et alvi fluxus alternantes.* Hinc sudores, imprimis nocturni et matutini augentur, et fere perpetui fiunt, quos saepe excipit alvi fluxus mutuo alternans; urinae copiosius effluunt liquatam saepe pinguedinem in summa superficie ostendentes. Quare celerrimus virium lapsus atque extrema macies aegrotantem conficit. Quod ad puris sputum attinet, scire licet, ut supra (§. LIV.) iam animadversum est, non raro sputa purulenta copiosa diu exscreata fuisse tussis ope molestae, quin tamen ulcere pulmones laborarent. *Pus non semper ab ulcerato pulmone est iuxta observationes praesertim* CASIMIRI MEDICI. Quod confirmatur a FRID. CASIMIRO MEDICO, qui cadaverum sectione rarissime post puris sputum invenit ulceratos pulmones, at saepe induratos; interdum sine ulla labe, licet quotidie aegri ingentem puris vim extussissent; dum contra in abdominis cavo liquidum pus fluctuare deprehendit. *Cautio circa puris diagnosin.* Cavere tamen oportet, ne pus credatur id, quod minime est, neque negligenter pulmones dissecentur; nam saepe ulcusculis et abscessibus parvis hic illic disseminatis et paene inconspicuis scatent, unde pus dimanare potuit, integra deinde et intacta pulmonum substantia apparente. Sed huiusmodi error in viros scientia medica et longo usu commendatissimos cadere haud dici potest.

1) *Collectio observationum medic. pract. Tom.* 1. *p.* 279. *ad* 320.

§. LXI.

Extremum exitium.

Insuper morbo ad exitium properante aphthae in ore, palato faucibusque erumpunt, dolorem ardoremque deglutire volenti excitantes, vox rauca fit, imo interdum perit, foetor

non modo ex ore, verum ab universo corpore emanat, quandoque pustulae metacarpos deturpant, capilli defluunt, ungues incurvantur, tempora collabuntur, oculi incavantur, nares gracilescunt, intumescunt pedes et manus, sola fere cuti ossa teguntur, sputum supprimitur, delira atque absona effutiuntur [1]), tussis conquiescit, sed spiritus difficillime anxieque trahitur, pulsus languent, tenuantur, vacillant, deficiunt, sicque mors (aegro spem adhuc aliquam alente, nam in nullo alio morbo magis sibi blanditur) pedetentim obrepit, finemque miserrimae vitae imponit. Mors vero saepissime nec cogitanti, dum vel corporis decubitus mutatur, vel repente aëris in austrinum aut borealem mutatio contingit, quasi clanculum supervenire consuevit. In eorum cadaveribus plerumque pulmones consumti, exesi, excavati vastisque cavernis foedati reperiuntur. Interdum pus etiam in cavum thoracis effusum cuncta corrodens corrumpensque offenditur. Interdum evenit, ut phthisicus dolore acutissimo lateris affecti corripiatur, nulli remedio obtemperans. Id ex pure pleuram penetrante et arrodente, nervosque desuper decurrentes musculosque adsitos vellicante fieri, non semel sectione cadaveris cognovimus.

In huiusmodi morbo, instante etiam morte, aegri non desperant, et inexspectato pereunt.

Unde oriatur dolor acutissimus interdum in affecto latere excitatus.

1) Coacar. *n.* 437. Hippocr. *Aph.* 17. *sect. VII.*

§. LXII.

Diagnosis phthiseos trachealis.

Sed alia est *phthiseos trachealis* ratio. Hanc, sive *ulcera* mavis *laryngis* et *tracheae* (§. LVII.), antecedunt destillatio humoris acris aut salsi, et quidem diuturna, herpetica aut scorbutica labes, exspuitio sanguinis cum signis (§. XXIII.) coniuncta, tussicula sublimis et titillatio laryngem maxime occupans. Comitantur vero tussis et titillatio eadem doloris aut ardoris ad asperae arteriae initium, sputum salivale paucum, spumosum, non coctum, interdum striis purulentis albisque, interdum filamentis sanguineis intermixtum, interdum vere purulentum aut saniosum, modo inodorum, modo foetidulum, sed peculiari puris foetore, raucitas, aphonia et aliqua corporis, maxime manuum

Quae praecedunt et comitantur.

et digitorum, extenuatio. Adsunt praeterea phthiseos futurae indicia (§. LIX.); absunt vero pectoris oppressio, difficilis decubitus, spirandi difficultas, etiam in ascensu scalarum non percipienda, tussis profundior et febris assidua, aut si ulla est, exigua sane ita est, ut interdum deficere videatur. Eclegmata et pastilli, qui ore detinentur, et sensim deglutiuntur, ardorem, punctiones et tussim leniunt, et mirifice levant. Tandem si malum progreditur, bronchia etiam, ipseque pulmo exulcerantur, in veramque phthisin pulmonarem desinit. *Praesentia et absentia quorundam symptomatum graviorum. Quibus ardor, punctio, tussis leniantur. Transit in phthisin pulmonarem.*

§. LXIII.

Phthisis praeterea, quam *scirrhi*, *tubercula cruda indurationesque* pulmonum gignunt (§. LIV.), quaedam peculiaria et propria habet, quibus a reliquis discernatur. Tussis eam plerumque exercet sicca, permolesta nec oleosis, nec bechicis, nec paregoricis sublevanda. Si quid in ea, progrediente morbo, extussitur, id paucum est, spumosum, aquae, in qua sapo solutus sit, persimile, taleque ad morbi usque finem plerumque perseverat, nisi eiusmodi tussim, quod non raro evenit, subsequatur haemoptysis, cui deinde sputa purulenta superveniunt, cumque illis crudis et lymphaticis permiscentur. Insuper qui hac phthisi laborant, non modo brevem et crebram inspirationem habent, sed etiam pectore ad anteriora inclinato spiritum ducere coguntur, crebrasque punctiones modo in hac, modo in illa thoracis parte percipiunt, febricula nec magna, nec vehementi, nec assidua utplurimum vexati. Saepe in his glandulae colli, aut axillares aliarumque partium, uti inguinum, mesenterii, tument, et strumosae cernuntur. Ex quibus coniecturam facere licet, similia in pulmonibus reperiri. Atque haec quidem de *scirrhosis*, *strumosis induratisque* pulmonibus intelligantur. Est praeterea pulmonum *tuberculum*, de quo mentio fit ab auctoribus, non totos pulmones, ut in priore casu, sed aliquem tantum eius locum occupante, quod suppurationis capax est. Qui hoc morbi genere afficiuntur *Phthisis orta a scirrhis et tuberculis pulmonis, quomodo cognoscatur. Tussis ratio. Quae sputa. Quomodo spiritus ducatur. Febris ratio. Alia phaenomena frequentia. Tuberculum proprie dictum quae signa denotent ex* BAGLIVIO.

inquit BAGLIVIUS [1]), *de cetero bene se habentes, difficulter spirare incipiunt, difficilis spiratio sensim augetur, inter spirandum non stertunt, et nihil exspuunt, dolorem quoque in pectore sentiunt continuum, et dolentem in locum decumbere non possunt, tussi sicca laborant, tandem genae rubent, febricula supervenit, et, negotio ad suppurationem vergente, alia suppurationis symptomata accedunt.*

Signa pathognomonica duo ex eodem.

Duo tamen signa pathognomonica crudi et adhuc incipientis tuberculi sunt tussis sicca et dolor lenis in alterutro pectoris loco, cui arridet illud divini senis [2]): „et quamdiu quidem tuberculum adhuc crudius fuerit, dolorem exilem et tussim siccam inducit.“

1) *Prax. medic. lib. II. cap.* 8.
2) *Lib. I. de morbis, textu* 63.

§. LXIV.

Respiratio non semper laeditur, nec semper dolor phthisin comitatur.

Quamquam supra ostensum est, in phthisi tam *incipiente*, quam *confirmata* respirationem laedi, doloreque pectus alicubi plus minus affici, id tamen ita perpetuum non est, ut quandoque utrumque non deficiat. Hoc saepe occurrit in ea phthiseos specie, quam sola et simplex sine alio pulmonum vitio haemoptysis intulit. Praeter tussim, puris sputum, febriculam et maciem vix ullus unquam dolorem aut dyspnoeam queritur. Imo plerumque aegri, quia sibi bene respirare videntur, nec dolent ullibi, nec difficulter decumbunt, sibi persuaderi non permittunt, ulcus in pulmone vere existere. Neque rarum est, in reliquis quoque phthiseos speciebus dolorem deficere; inventa enim est in cadaveribus magna pars pulmonum corrupta, exesa, suppurata, quin aegri unquam doluerint. Id vel a lenta eorum corruptione, vel a sensibilitate ob peculiare quoddam vitium imminuta aut deperdita derivandum videtur. Doloris ergo absentia ulcus pulmonum iure non excluditur.

Phthiseos pituitosae facilis diagnosis.

Quibus notis phthisis *pituitosa* ab aliis internosci possit, facile ex iis, quae alibi (§. XLIX.) explicata sunt, cognoscetur.

Prognosis.

§. LXV.

Si ulla salutis spes in pulmonari phthisi affulget, ea tantummodo in *incipiente* locum habere videtur, nam *confirmata* vix unquam curationem admittit. Etenim ulcus aëri perpetuo obiectum, in parte situm, ex qua non facilis est puris eductio, semper commota, et nunquam quiescente, atque a tussi ipsa crebro concussa, et tumoribus accitis scatens vix sanescere potest. Si tamen hoc recens sit, nec inveteratum, si pus album, leve, aequale, non foetidum facile prodeat, si nulla aut exigua febris teneat, tussis non valde divexet, appetitus vigeat cum corporis habitu adhuc laudabili, aut saltem medioeri amploque thorace, neque liquationis phthisicae signa adhuc se exserant; tunc bonum exitum aliquo modo sperare licet, praesertim si ulcus eiusmodi a pleuritide aut peripneumonia suppurata relictum [1]) fuerit. Phthises enim ex hac causa natas non semel clinici consanescere observarunt. Contraria his, contrarium praesagium. In universum *hereditaria*, vel a mala pectoris conformatione, vel a contagione genita omnem utplurimum medelam aspernatur. Evitari tamen interdum potest, si mature ars in auxilium vocata eius adventum arceat aut antevertat. Facilius curatur ea, quae a *toto corporis habitu* est (§§. XLIII. LIII.), quam quae *originaria* sive *primaria* (§. LV.) dicitur. Item *originaria* periculosior est, quam *symptomatica* (§. LV.), pariterque exitiosior, quae celerius ad *liquationis statum* (§. LX.) perducitur. *Haemoptysi* superveniens, nisi ab ictu aut nisu exspuitio sanguinis orta fuerit, plerumque lethalis [2]). Deploratissima etiam quae a *calculis*, *lapidibus* aut *ossibus* inaequalibus pulmoni innatis (§. LIV.) provenit, quia ab his lacerantur, ut monet BENETUS [3]), ipsi pulmones, nec coalescere possunt, nisi tussi, ut interdum evenit, expellantur. *Trachealis* (§. LVII.)

Quando spes curationis sit.

Quando non.

An labes hereditaria anteverti possit.

Ex aliis phthisibus, quaenam plus, quaeve minus exitii portendat.

Trachealis

curandae quaenam spes.

interdum curatur, si statim inter initia rite tractetur, aut a veneno syphilitico foveatur.

1) Coac. 402.
2) Coac. 438.
3) *Theatrum Tabidor. p.* 100.

§. LXVI.

Cuicunque tabi communia.

Quae sequuntur, cuicunque tabi communia sunt. Tabidis nihil perniciosius est alvi profluvio [1]). Pessime quoque habent, si cruda multa exspuant, spirandi difficultate haud imminuta [2]). Autumno austrinisque constitutionibus magis periclitantur [3]), quam aliis anni temporibus. Tabe consumtos rigoribus subinde corripi, mortem prae foribus esse significat [4]). Quibus ex longo intervallo alvus cum corporis macie diffluit, si repente subsistat, et praecordia extollantur, malum quoque praenuntiat [5]). Lethale signum dixit Hippocrates [6]), si sputum phthisicorum graviter oleat, et simul capilli defluant, aut id ipsum [7]) in aquam marinam sive salitam iniectum fundum petat. Hinc orta profecto est, teste Cornelio Celso, nonnullorum opinio, affirmantium [8]), purulenta sputa duabus hisce notis a non purulentis discerni. Verum hisce notis prava tantum puris natura significatur, non pus ipsum, ut verba ipsa Hippocratica declarant, utque opportune Cl. Morgagnius animadvertit. Id vero manifestius ex eo fit, quod alibi Hippocrates boni puris notas recensens, album, inodorum, et leve ipsum esse debere docuerit. Praeterea si huiusmodi periculis puris natura detegenda esset, incertam profecto et fallacem eius cognoscendi rationem istam multa evincere videntur. Nam sputa scorbuticorum, etsi purulenta non sint, plerumque tamen foetent, eoque magis, si prunis imponantur; quidquid enim animalem habet naturam, igni inditum graviter olet. Salsa item plerumque sunt, ideoque ponderosiora, et quaedam, si aëreis bullulis per quassationem priventur, ita gravia evadunt, ut in aquam marinam, nedum communem, imprimis calidam iniecta, quam-

De puris sputo animadversiones.

Graveolentia et pondus sputorum notae non sunt veri puris.

quam non purulenta, in fundum facile descendant. *Puris* igitur *veri* naturam nihil certius significat, quam plurium signorum coniunctio et concursus, contra quam alii opinantur ancipiti ARETAEI loco confisi [9]). Haec autem sunt peculiaris sputorum habitus: cinereus aut flavescens color, certa cohaerendi ratio, qua lympha et pituita secedunt, atque in filamenta et floccos aqua affusa diffluunt, praegressae aut praesentis suppurationis phaenomena atque alia, quae expertum, doctum oculatumque clinicum neutiquam fugiunt. Neque quidquam obstat sputi levitas; nam verum pus leve esse potest, si bonum et laudabile fuerit, sic ut facile non modo aquae salsae et marinae, verum etiam communi et purae, quae levior est, innatet. Foetor ergo, pondus aut viror deteriorem puris indolem et qualitatem, non naturam indicant. Neque quidquid ab ulcere emanat, statim pus dicendum esse existimo, cum et sanies et ichor varii generis ab eo saepe effundatur. Ideo saniosa atque ichorosa sputa a purulentis probe distinguenda sunt. Neque tandem sputa, quae exteriori tantum habitu puris speciem referunt, pro purulentis habenda sunt; mucosi enim et coagulabiles humores mora et calore ita concoqui possunt, ut pus ipsum imitentur. Tunc sputa *puriformia* rectius appellantur.

Veri puris natura.

Sputa puriformia qualia.

1) HIPPOCR. *Aphor. XIV. sect. V.* COAC. *n.* 436.
2) COAC. *n.* 445.
3) *Aphor. X. sect. III.*
4) COAC. *n.* 443.
5) COAC. *n.* 287. 442.
6) *Aphor.* 10. *sect. V.* COAC. *n.* 434.
7) COAC. *n.* 435.
8) *Lib. III. cap.* 22. *n.* 25.
9) MORGAGN. *Epistola anat. med. XXII.* ROZIER DE LA CHASSAGNE *Maladies de la poitrine p.* 255.

§. LXVII.

Itaque phthisis cum morbus sit, qui, postquam adoleverit aut inveteraverit, difficillime vinci possit, mature ei occurrendum est. In tanta tamen causarum (§. LVIII.) et

Indicationes.

phthisium varietate nulla statui potest curandi ratio adeo universalis, quae singulis causis phthisibusque, earumque diversis stadiis aut gradibus accommodari queat. Generatim vero oportet removere causam, quae *nutrimenti* praestat defectum aut depravationem, aut eiusdem impedit aptam partibus applicationem, morbos tollere, a quibus tabes sive phthisis originem ducit, sanguinis acritatem temperare, obstructiones congestionesque avertere, aut praesentes discutere et resolvere, ne inde inflammatio, suppuratio atque ulcus sequatur, et denique totius corporis aut partium affectarum laxam compagem firmare.

C u r a t i o.

§. LXVIII.

Curatio tabis ab impedito alimenti itinere.

Quapropter tabes a causis (§§. XLIII. XLIV.) nata postulat ea artis adiumenta, quae oesophagi aut ventriculi tumores, fungos, scirrhos, ulcera, rigiditatem, callum, angustiam, paralysin aut alia vitia, a quibus oriri diximus *dysphagiam* [1]), removent aut tollunt, cibum uberiorem aut alendo corpori magis idoneum, aperientia, saponacea, leniter alvum ducentia, imprimis rhabarbarina, et demum roborantia, aut quamcunque evacuationem nimiam opportune sistentia.

Aperientia, saponacea, alvum ducentia, roborantia.

1) Vid. *De morbis imi ventris cap. I. de dysphagia.*

§. LXIX.

Curatio tabis dorsalis primae.

Tabes dorsalis prima (§. XLV.) ubi curanda sit, continuo ineunte morbo, si HIPPOCRATIS praecepta aliquid valent, ad ea, quae sursum et deorsum evacuant, confugiendum est, deinde sero lactis, aut lacte asinino, et tandem vaccino per dies quadraginta copiose utendum, dandaque pro coena alica, aut quae hodie magis in usu sunt, cremores oryzae hordeique, aut pulmenta ex avenae aut *sagou* farina et similia. Carnes quoque teneriores, et praesertim

Lactis usus.

Cibus et potus.

assatae, aves, ova recentia concedi possunt. Nec interea fotus et tepida balnea negligenda sunt. Sed his nonnulli frigida balnea anteferunt, corticem peruvianum et ferrum, utpote quae languentibus laxisque fibris et toti nervorum systemati robur et firmitatem restituunt. His prae ceteris in huiusmodi morbi curatione potissimum confidit TISSOTIUS [1]). Et quidem ferro tantam vim inesse GRAINGERUS asseverat [2]), ut nullum se invenisse scribat remedium, quod cum eo comparari possit. Ferri pariter scobem in *tabe dorsali* a nimia venere orta commendat FRID. CASIM. MEDICUS [3]), sed cum eo largiorem potum adhibendum praecipit. Praeterea per annum ab ebrietate, a venere, ab immodicis laboribus abstinere oportet, exceptis deambulationibus, vectione atque moderata equitatione, dummodo in his sol et frigus evitentur.

Balnea.
Mars.

1) *Onanism.*

2) LUDWIG. *Comment. de rebus in scient. natur. et med. gest. Vol. IV. p.* 236.

3) *Id. ib. Suppl. ad Decad.* 2. *p.* 223.

§. LXX.

Nec valde differt curatio *tabis dorsalis secundae* (§. XLVI.), in qua tamen et vinum album molle et obsonia et cibi, qui alvum molliunt, et lac cum melle ad dies XLV conceduntur, ut ex libro *de internis affectionibus* habemus. Ibi pariter praecipitur, si corpus concrescat sive tumeat, ferro ignito cervici, dorso et lumbis pluribus in locis crustas inurendas esse; nam, illis bene succedentibus, sanitas redit. Hodie vero, ut obstructa viscera reserentur, et universum corpus, nervorum imprimis systema, firmetur, sales neutri, uti mirabilis Glauberi, aut polychrestus, aut tartarus vitriolatus cum diluto radicis valerianae, aut eius decocto, aut extracto, aut pulvere diutissime adhiberi possunt, cum non pauci hac ratione ab huiusmodi tabe convaluisse visi fuerint, praesertim si veneris usus procul abfuerit, et corporis exercitatio in eius locum successerit.

Curatio tabis dorsalis secundae.
Lac cum melle.
Ustiones crustas inferentes.
Sales neutri, Radic. valerianae dilutum, decoctum, extracta, pulveres.

Potui tam in hac, quam in praecedente dari potest aptissime, dum cortice peruviano utuntur, aut aliis tonicis, ptisana DALISBII, quae sic habet:

Cortex peruvianus.

Ptisana DALISBII.

Rec. *Mala citrea* n. ij.

Eviscerentur, deinde cont. in mortar. marmor., et sensim affund. decoct. hord. lib. ij., *panis tosti unc.* ij., *syrup. moror. unc.* j., *vin. veter. optim. unc.* vj.

§. LXXI.

Curatio tabis dorsalis tertiae.

Tabi dorsali tertiae (§. XLVII.) ea convenire videntur, quae primario morbo, *gonorrhoeae* scilicet aut *fluori albo* medentur. Quod si ab impura venere morbus sit, mercurius, decocta lignorum et lac opem ferunt. Si aliunde, ea curatione opus est, quae causarum, a quibus morbus illatus est, varietati respondet. Illud sane quaerendum est semper, ut fluxus putridus, quo corpus marcescit, emendetur, consistat et cesset. Alvi ductio, aquae medicatae et imprimis ferri participes, leniterque balsamica, et vulneraria usu quam maxime comprobantur. Neque hic praetereunda sunt etiam balnea frigida, quorum hodie plerique meminerunt.

Causis accommodetur.

Fluxui putrido medendum.

§. LXXII.

Curatio atrophiae ab inanitione.

Quando *tabes* sive *atrophia* ab *inanitione* alias immodicas evacuationes (§. XLV.) pro causa habet morborum, a quibus fovetur, curatio instituenda est, alimentique defectui apta victus ratione prospiciendum. Si vero a mala atque imperfecta ciborum digestione et chylificatione corpus contabescat (§. XLVIII.), amaris, incidentibus tonicisque stomacho dicatis remediis uti oportet. Quando autem sanguinis dyscrasia et prava eius indoles materiam alibilem pervertit aut corrumpit, noto per sua signa peculiari eius vitio occurrendum est. Demum quando tabes a mala solidarum partium affectione est, illudque morbi genus efficit, quod *atrophiam nervosam* MORTONUS (§. XLIX.) appellavit, vis nervea et reliquarum solidarum partium erigenda imprimis

Victus ratio.

Quid, si a mala digestione vel chylosi.

Si a dyscrasia sanguinis, quid.

Quid, si ab atonia solidorum, atrophia nervosa dicta a MORTONO.

est cardiacis, leniter aromaticis, gummi ferulaceis, antiscorbuticis, viperinis, martialibus, fricationibus, exercitationibus, peregrinationibus longis, natatione et victu optimi succi et facilis coctionis. Huic praesertim malo obnoxii sunt Angli, a quo institutis longissimis in exteras regiones itineribus saepe liberantur. De hac phthisi loqui SYDENHAMIUM arbitror, quando asseverat, *tantum valere equitationem ad phthisin curandam, quantum chinamchinam ad febres intermittentes.* Contraria vero curandi ratio convenit *tabi senili* aut cuicunque a nimia solidarum partium *rigiditate*, et quasi dixerim *occallescentia*, ut emolliantur, laxentur, et pateant influentibus succis. Quare et balnea tepida, et inunctiones, et lenes fricationes, et iura ranarum et testudinum et avenae, et prae ceteris serum lactis, imo lac asininum, quod ad avertendam retardandamque senectam HOFFMANNUS aliique proponunt, oppotunissime in usum erunt vocanda.

Huic Angli obnoxii, quomodo evadant.

Quando de ea locutus videatur SYDENHAMIUS.

Quid tabi senili a solidorum rigiditate nimia.

§. LXXIII.

In *tabe* vero sive *atrophia nervosa* a toto habitu, quae perperam pro *dorsali* habita a quibusdam est (§. L.), quum potius *phthisis pulmonaris incipiens secundaria* dici mereatur, sive cum medulla spinali obstructa coniungatur, sive sine ea complicatione sit, tota curatio iis inniti debet, quae incidunt, aperiunt, resolvunt, et quosque humores liquidiores reddunt, roburque fibris impertiunt. Quare, ut auctor libri *de internis affectionibus* praecipit, vomitus primum aqua cum aceto hausta, et penna oleo illita atque in fauces immissa cieatur, deinde succus tum betae una cum melle, tum brassicae cum sale coctus per mensem propinetur. Interposito vero mense uno, quo carnibus vescatur aeger, et vinum potet, per alium mensem herbis odoriferis leniterque aromaticis et stimulantibus, uti ruta, anetho, mentha, coriandro, ocimo, apii radicibus similibusque utatur, utpote quae viscidos humores attenuant et solvunt, vasorum omnium excitant vim, nervosque quodammodo recreant. Subinde etiam fomenta adhibeat, aut balneum te-

Curatio atrophiae perperam pro tabe dorsali habitae.

Haec potius dicenda phthisis pulmonaris incipiens secundaria.

Vomitus primum ciendus.

Tum succi betae et brassicae potandi.

Usus herbarum aromaticarum qui et quando conveniat.

Fomenta et balnea.

pidum ingrediatur, ut perspiratione aucta totum corpus expurgetur. Sed cum primis iter quotidie statis horis, paulatim augendum, ineat, donec tandem in singulos dies centum et quinquaginta stadia [1]) conficiantur. Interea vinum bibat primum album et dulce, deinde nigrum atque austerum, et carnes comedat atque obsonia, sensim magis nutrientia, pinguia et cartilaginea. Hac enim ratione curatus sperare potest, se intra annum esse convaliturum. Rationi consonam praestantissimamque huiusmodi curationem reperit RAULINIUS [2]), tamquam certis probatisque indicationibus innixam, quibus tamen hodie in tanta *materiae medicae* ubertate integrum cuique erit pharmacis aliis atque aliis, prout magis arriserit, satisfacere.

Quotidiana itineratio.

Potus et cibi ratio.

Huic curationi, quae RAULINIO optima est, alia medendi ratio substitui potest aequo iure.

1) Stadium constat ex CXXV. passibus.

2) *Observations de médecine etc. Art. V. p.* 61.

§. LXXIV.

Tabes demum *dorsalis quarta* (§. LII.), quae *rhachitidi* aut *rhachialgiae* recentium scriptorum, ut mea fert sententia, si minus respondet, simillima certe est, eandemque curationem exigit Amaris igitur, antacidis, aperientibus, gummosis, sudoriferis, thermalibus aquis, martialibus, nervinis et roborantibus oppugnanda est. Nec alienum est fricationibus atque exercitationibus roborare corpus, aëre sicco et campestri, victu simplici, nutriente ac tenuiori quam maxime uti. Speciatim vero rhabarbarum cum sale tartari, tinctura antimonii, radix osmundae regalis, curcumae, rubiae tinctorum et valerianae sylvestris, gummi sagapenum, asa foetida [1]), ens veneris BOYLEI, aut flores salis ammoniaci martiati excellere hic creduntur. Sed malum plerumque omnem contemnit medicinam, et post diuturnos cruciatus, spasmos, pareses artuum, vesicae, ani aliave, quae lente ad *marasmum* patientem redigunt, morte terminatur. Nunquam perfecte curatum vidi, interdum tamen mitigatum ita, ut vitae ad complures annos parceret. *Atrophia* porro *nervosa* (§. LIII.), quoniam dyscrasiam

Curatio tabis dorsalis quartae.

Similis omnino rhachitidi aut rhachialgiae morbus, iisdemque remediis oppugnandus.

Quaedam remedia potiora huius morbi.

Spernit plerumque omnem medelam, etsi mitigatus interdum vitae ad plures annos parcat.

Curatio

acrem humorum, bilis inertiam et defectum fibrarumque rigiditatem pro causa habet, diluentibus, temperantibus, saponaceis, uti ptisana ex radicibus graminis, taraxaci, cichorei, agrimoniae, addito sale quodam neutro aut subacido, succis earundem plantarum cum sero lactis, aquis medicatis, acidulis, leniter ferratis, *aëre fixo* praegnantibus, emulsis anodynis, balneis tepidis et victu blando et vegetabili curari solet. Enemata hic quoque levia et mollientia, peregrinatio, hilaritas atque exercitatio summopere prosunt. Quae autem ab amore aut a *nostalgia* fovetur, postulat, ut voti compos homo fiat, aut rationis ope animus sedetur, et tranquillus fiat. *Secundaria* ab *hysterica* aut *hypochondriaca* affectione profecta curetur ut morbus primarius. *atrophiae nervosae. Diluentia, temperantia, saponacea. Atrophiae ab amore et a nostalgia curatio. Curatio secundariae.*

1) *Vid. dissert. de Asa foetida* Ioann. Pundt. *Gotting.* 1778.

§. LXXV.

Iam vero de *phthisi pulmonari* (§. LIV.) curanda referendum est. In hac igitur omni ope eniti oportet, ut quaevis exulceratio praecaveatur, aut ubi iam pulmones exederit, quam citissime consanescat. Quorum alterum *incipienti* (§. LIV. LVI. LIX.), alterum *confirmatae* (§§. LVI. LX.) opportunissimum est. Quare ut omnis exulcerationis timor arceatur a *phthisi incipiente*, uberior ad pulmones humorum appulsus cohibendus, congestiones discutiendae, obstructa reseranda, resolvenda tubercula, omnis ad inflammationem suppurationemque proclivitas removenda, et quaecunque sanguinis acritas aut alia prava diathesis emendanda. *Curatio phthiseos pulmonaris. Indicationes. In phthisi incipiente.*

§. LXXVI.

Itaque convenientissimum est alvum leniter ducere, idque pluries ad intervalla repetere [1]), sanguinem parca manu, sed iteratis vicibus, praesertim quando suppurationis timor avertendus est, subinde detrahere (quod non solum *phthisi futurae*, aut *incipienti*, verum etiam in *confirmatam* migrare minanti remedio esse, experientia cl. viror. [2]) demon- *Alvi ductio. V. S. Revellentia.*

stravit), aliorsum per epispastica, fonticulos, fotus, balnea, diuretica et sudorifera materiam morbidam a pectore avocare, iis, quae diluunt, attenuant atque aperiunt, caute prudenterque uti, demulcentibus, oleosis, obvolventibus spasticas et convulsivas contractiones et tussis stimulum delinire, et demum nutrientibus blandissimis et roborantibus corpus pulmonesque firmare. Inter diluentia, attenuantia, aperientia non ultimum obtinent locum aquae thermales atque acidulae. Sed cavendum est in earum usu, ne nimia copia pulmones magis magisque infirmentur, aut, si ulcerationem iam passi fuerint, eorum sensibilitas aut irritabilitas cum aegrotantis non levi detrimento incitetur, quod maxime ab acidulis fieri, interdum observatum est. Ideo lacte addito eas temperare student nonnulli. DESSAULTIUS tubercula, a quibus semper hanc phthisin gigni ipse putat, mercurio, ferro aut chalybe et millepedibus resolvere nititur, quibus superbibendum radicis urticae decoctum et succi nasturtii aquatici et chaerefolii singulorum binas uncias iubet, et simul equitandum leniter horis medicis [3]). Tubercula cruda etiam LANCISIUS mercurio dulci septies sublimato resolvere tentabat, sed parvis et diu repetitis dosibus. Imo BRILOUETIUS [4]) foeminam et virum phthisi pulmonari confirmata laborantes plane restituit sublimato corrosivo methodo Swietenia, et succo nasturtii aquatici. Vires vero nasturtii aquatici adversus huiusmodi phthisin crebro usu optimisque plerumque effectibus, quos in Lotharingia vulgo experiuntur, quam maxime [5]) confirmantur.

Diluentia, involventia, paregorica, incrassantia et roborantia.

Cautio.

Methodus DESSAULTII.

Observatio BRILOUETII *de viribus sublimati corrosivi, sive Swietenia methodo, et nasturtii aquatici.*

Formul. FERNELII.

1) FERNELII praestantissima compositio ad alvi ductionem haec est:

Rec. *Manne elect. unc.* j.
Solv. in s. q. aqu. comm., add.
Cassiae decoct. unc. j.
Olei amygd. dulc. unc. j.
M. in mortar. marmor. exacte.
Dos. cochl. j. *singulis* IV. *horis, vel* j. *mane, et vesp. item.*

2) DOVARIUS et COHAUSENIUS, *Essays de méd. d'Edimbourg T. IV. p.* 523., SWIETENIUS *in* BOERHAAV. *aph.* § 1210.,

LUDWIGIUS *Comm. de reb. in sc. nat. et med. gest. Vol.* 2. *p.* 401., BISSETUS *ibid. Vol. V. p.* 617.

3) *Essays de méd. d'Edimbourg Vol. VII. p.* 121.

4) *Journ. de Méd. Novemb.* 1777.

5) CLERC *Histoir. natur. de l'homme. T. II. p.* 35.

§. LXXVII.

Curatio phthiscos confirmatae. An V. S.

In *phthisi* vero *confirmata* (§. LVI. LX.), quando iam ulcus pulmonem exest, et purulenta labe inficit sanguinem, a venae sectione praestat abstinere; nisi eam dolor pleuriticus, febris vehemens et difficilior respiratio, novam suppurationem indicans, requirat; ulcus vero abstergere mellitis, saponaceis et sputum moventibus, corruptioni obsistere subacidis vulnerariisque antisepticis, et demum excitantibus mitissimisque balsamicis cicatricem inducere. Sputum movendi laude non immerito celebratur *dulcamara*, sive *solanum scandens*, cuius ex decocto WERLHOFIUS pulmonum ulcere laborans magnum emolumentum percepit, et bene [1]) habuit. Magnam enim vero puris vim expellunt aqua decocti eius stipites, sicque pulmonum ulcera validissime repurgant. Ad exsiccantia et balsamica referri debent suffitus [2]) grati et redolentes, aër siccus et purus, saccharum e rosis rubris, aqua calcis tam simplex, quam composita, plantae vulnerariae, uti sanicula, millefolium, hedera terrestris, consolida, veronica, hyperici summitates, equisetum, agrimonia aliaeque id genus. Ad rosas quod attinet, CLERICUS [3]) testatum facit, in Hispania phthisin et febres lentas curari solitas esse AVENZOARIS methodo, videlicet largiori usu conservae e rosis damascenis, lactea diaeta et hydrogalacte potui dato. Dignum profecto esset *ornithogalon*, vulgo *lac gallinae*, de quo pericula a sagaci consummatoque medico fierent. Nam a GEDEONE HARVEIO uti antacidum, abstergens et leniter siccans ad phthisin ulcerosam [4]) mirifice commendatur. Transsylvanis in usu est helianthemi, sive chamaecisti flore albo aut aureo dilutum, quo solo, ut CRAMERUS narrat [5]), phthises cum sputo sangui-

Ulcus abstergendum.

Dulcamara.

Exsiccantia et balsamica quae.

Lac gallinae, sive ornithogalon.

Dilutum helianthemi.

neo et purulento difficilique respiratione depellunt. Dilutum vero hoc, si fuerit saturatius, nauseam et vomitum movet.

1) CLERIC. *l. c. p.* 35. 36.

Sicci suffitus, quales et quando.

2) BENETUS, WILLISIUS, NICOL. PISO etc. memorant suffituum utilitatem in phthisi. BILLARDUS, referente LOUISIO (*Mém. de l'Acad. Royal. de Chirurg. T. V.* 1774. *p.* 549.), eorum excellentiam extollit, allatis observationibus. Humidos suffitus noxios censet ob pulmonum laxitatem. Balsamicos vapores utiles admodum esse testatur. Ipse sumit cerae flavae et recentis libram unam et par pondus resinae communis aut picis siccae, aut, quae praestat, terebinthinae, atque haec in terreo vase super ignem imponit in media cubiculi parte, ubi aeger degit, sicque medicatis vaporibus aër imbuitur. Addi etiam potest aliquid balsami canadensis albi, aut peruviani, aut alius. Hisce vaporibus ipse multum confidit, experimentis felicibus edoctus. *Humidos* autem et *vapores* etiam non damnat in *tussi pectorali sicca*, phthiseos veluti prodromo, in *asthmate sicco* aut *convulsivo*, aut in *comica*. *Ex sched. auct.*

Quando humidi.

3) *Id. ibid.*

4) *De art. curand. morbos exspectatione p.* 230.

5) *Commerc Norimb. ann.* 1732. *p.* 19. et *ann.* 1738. *hebd.* 3.

§. LXXVIII.

Lactis usus utilissimus.

Nihil vero utilius, nihil praestantius ex omnium ferme sententia reputatur lacte ipso cum ad acritates obtundendas alendumque corpus, tum ad glutinandas ulcerum oras. Id iam perspexerat vetustissimus medicinae parens HIPPOCRATES, cum memoriae proditum reliquerit: *lac tabidis dandum esse* [1]), dummodo tamen non valde febricitent, nec capite doleant, ut ego interpretor, ex stomachi quidem imbecillitate, nec hypochondria elevata, scilicet, obstructa, aut a flatibus distenta habeant, nec admodum sitiant, nec quidquam aliud adversetur. Arcendos pariter ab eius usu monet eos, qui febre acuta torrentur, qui biliosa deiiciunt, aut ob sanguinis egestionem in summo omnium facultatum languore versantur sic, ut metuendum sit, ne digeri queat, sed corrumpatur.

Quibus noxium lac.

1) *Aphor. LXIV. sect. V.*

§. LXXIX.

§. LXXIX.

Lac muliebre ceteris anteferendum, et quare.

Lac autem *muliebre* reliquis antecellere universim creditur, quod ab imbecillo quovis viribusque destituto, utpote tenue et minus caseosum, digeratur, nec ita facile acescat, cum ob victum animalem, quo homines utuntur, natura quodammodo sua ad *alcalescendum* aeque pronum existat. Hoc igitur tum potissimum convenientius est, cum acrimonia acida vel iam praesto est, vel imminens metuitur, uti in pueris debilibusque corporibus. Cumque tenuius, serosius atque etiam nostris humoribus magis affine videatur, facilius et promptius in succum animalem et alibilem converti potest. Exsugi vero debet e mammis ipsis mulieris, ne quidquam tenuioris halitus volatilisque principii amittatur. Mulier etiam, quae lac praebet, iuvenis et sana sit oportet, et cibo salubri atque aegrotantis rebus accommodato nutriatur. Post muliebre a nostris commendari solet *asininum*, neque a nobis dissentit FRID. HOFFMANNUS [1]), qui id serosius et maiori *salis essentialis* copia praeditum invenit; ideoque ad diluendum, resolvendum abstergendumque paratissimum iudicavit. Asinino succedit ordine *caprillum*, deinde *vaccinum;* illud tenuitate et vulneraria virtute praestare, hoc crassitudine et nutriendi facultate, quia plus butyri et casei continet, certis compertum est observationibus atque experimentis. His *ovillum* nonnulli adiiciunt, quod crassius et caseosius minusque butyri habens passim reputatur. *Equinum* propius ad asininum accedere, communior opinio est. Seligendum ergo est illud, quod indicationibus rebusque circumstantibus idoneum videatur.

E mammis exsugendum mulieris, quae sana et iuvenis sit oportet.

Lac asininum.

Caprillum.

Vaccinum.

Ovillum et equinum.

1) *Dissertat. de lacte asinino.*

§. LXXX.

Ordo et ratio sumendi lactis.

Plerique arbitrantur, imo iubent ab asinino incipiendum esse, deinde ad caprillum progrediendum, tandemque ad vaccinum. Neque statim largiter dari illud oportet, sed paulatim ascendere, quasi tentando, ad eam, qua opus est,

quantitatem. Si propinatum hae ratione rite digeratur, non acescat, non corrumpatur, non nauseam creet, neu vomitum, non tormina, non alvi fluxum moveat, non febrim augeat, licet largiori manu et repetitis haustibus lac ita dare, ut ex eo solo vivat aeger per aliquot hebdomadas. Quo vero facilius et certius feratur, expiandae primum leni medicamento viae sunt, deinde crebris enematibus alvus aperta servanda, nec omittenda ea ex alcalicis atque absorbentibus, quae tutiora existimantur, minusque ventriculum atque intestina gravare posse creduntur. His enim acoris causa, si qua est, quoad fieri potest, prudenter et provide antevertitur. Id saponis tantillo praestare conantur alii, quo illud etiam assequuntur, ut alvus blandissime ad egerendum sollicitetur.

Auxilia, quibus lactis usus facilius tutiusque feratur ab aegris.

§. LXXXI.

Medicatio lactis.

Neque desunt, qui arte serosius lac reddere student, aut additionibus quibusdam medicantur. Defloratum hinc nonnulli propinant, alii aqua Nuceriae dilutum, decoctis vulnerariis alii, aut saccharo aut melli admixtum. Duplici vero nomine aquae calcis adiectio celebratur; quod hac non modo lac a coagulatione atque aciditate arceatur, verum etiam blandam abstergendi exsiccandique sordida ac impura ulcera facultatem sortiatur. Sed prae ceteris cum aquis thermalibus aut acidulis verno aestivoque tempore utplurimum copulari consuevit, qua de re consuli possunt practicorum fere omnium non infrequentia pericula. In unum vero collectas *lactis* laudes, praesertim ad phthiseos curationem, eiusque adhibendi methodum spectantes, qui rescire cupit, pervolvat is eruditissimam *dissertationem*, quam non multis abhinc annis edidit Io. Michael Gallus [1]), medicus plane non ignobilis. Praeterea legi merentur, quae passim in *consultationibus* Francisci Redii, Iosephi Delpapii, Nicolai Cyrillii, Iac. Barthol. Beccarii, Frid. Hoffmanni aliorumque de lactis usu eiusque varia administratione doctissime traduntur [2]).

Qui libri legendi de laudibus lactis et eius sumendi ratione.

1) *Dissertatione del vero e sicuro metodo dell' uso del latte, e suo abuso nella medicina di* GIAMMICHELE GALLO.

NOTA HISTORICA.

2) Intimam vero lactis naturam medicasque facultates illustrarunt non pauci, inter quos (ut Cl. BECCARII opusculum *de lacte meamque analysin* [1]) praeteream) non infirmum locum obtinent THOMAS YOUNGIUS, A. M. Britannus artis obstetriciae P., et FRANC. XAVER. DE WASSERBERG Germanus. Illius exstat *dissertatio medica inauguralis de lacte, quam pro gradu Doctoris eruditorum examini subiecit Edimburgi* 30. *Novembris* 1763. Reperire eam poteris in *Thesauro dissertationum, programmatum aliorumque opusculorum selectissimorum* etc. collectorum ab EDUARDO SANDIFORTIO *Vol. II. Art. XXIII. Roterodami* 1769. Huius vero *Examen chemicum lactis* insertum legitur *fasciculo secundo operum minorum medicorum et dissertationum Vindobonae* edito *anno MDCCLXXV.*

1) *Anno* 1772. *Papiae editum ab auctore.*

§. LXXXII.

Lac, nisi ratione habita causae proximae, non praebendum in omni phthisi.

Si a scirrhis, strumis, obstructionibus ulcus oriatur, vel cum iis complicetur, tunc lac noxium. Item, si ulcus nimio pure scatens, vel ita profundum sit, ut minime cum bronchiis communicet.

Etsi vero lac phthisicis, et praesertim iis, qui ex haemoptysi in phthisin inciderint, opportunissimum videatur, non tamen indiscriminatim cuilibet ea laboranti, nec quocunque tempore promiscue dandum est. Nam praeter ea, quae ex HIPPOCRATIS monito (§. LXXVIII.) consideranda primum docuimus, magni interest diligenti examine disquirere, an pulmonum ulcus cum obstructione viscerum abdominalium, vel cum tuberculis crudis, strumis scirrhisve complicetur, aut ex illis suppuratis ortum fuerit. Tunc enim a caseosa lactis parte, quae glutine et mucagine abundat, augeri malum potest, et fieri deterius. Interdum etiam tanta puris copia ulcus scatet, ut non omne excerni per sputa possit, aut ita alte latet, ut minime cum bronchiis communicet. Utroque casu sanguis resorpto pure inficitur, cacochymia purulenta colliquescit, sicque depravatus lac ipsum citissime corrumpit, novumque ex hoc fomitem suppeditari malo non pauci perhibent [1]). Plerumque alvi fluxus, qui liquationem huiusmodi aut consequi aut comitari solet, immodice, si iam praesens fuerit, increscit augeturque, vel, si nondum accesserit, celerrime provocatur. Nec iuvat tum

Alvi fluxum

adstringentia lacte remixta rarissime sistunt.

lacti incoqui rosas rubras, aut chalybe ignito aquam alteratam admisceri, aut alia adstringentia adiici, ut nonnulli praecipiunt. Rarum enim est per huiusmodi praesidia lactis corruptionem alvique profluvium, quo vires prosternuntur, satis averti aut praecaveri. Attamen si acida aut putrida saburra in primis viis causam praebet lacti, qua corrumpatur, interdum eccoprotica, amara et absorbentia eam removent, unde lac porro bene cedat. Inter amara post lenia purgantia cortex peruvianus excellit. DELISLIUS etiam prudentem emetici usum admittit [2]). Satis tunc est ad diaetam avenaceam, ad cremores hordei aut oryzae, ad serum lactis dulce HOFFMANNI, ad panis albi decocta aliaque huiusce generis confugere. Lacti etiam substitui solent iura ex ranis, caudis cancrorum fluviatilium et carne testudinum nemorensium parata, quae ni morbum tollant, saltem efficiunt, ut quam minimum afferat detrimenti.

Quando eccoprotica et amara prosint.

Quae lacti substitui possint utilia.

1) RAULINIUS *Observat. de médec. sect. III. Artic.* 3. et 4. ROZIER DE LA CHASSAGNE *l. c. p.* 308. DELISLIUS *l. c. P. III. Cap.* 3. *p.* 287.

2) *De la Phthisie pulmonaire. P.* 3. *chap.* 1. *p.* 225.

§. LXXXIII.

Phthisis scrophularis et scorbuticae supradictae alia remedia indicantur.

Cum hoc in casu (§. LXXXII.), tum in phthisi *scorbutica* aut *scrophulari*, ut vocant, in qua febris vel omnino abest, vel exigua, vel non continua est, sputumque glutinosum atque asthmaticorum simile eiicitur, curationem non modo ab initio, sed morbo etiam provecto, mirifice promovent adiuvantque pilulae balsamicae MORTONI [1]), quae incidendo et resolvendo causam morbi proximam subigunt [2]) exstirpantque. Quoniam vero earum vis irritans aut tussim, aut phlogosin, aut febrim quandoque exasperare potest, idcirco reformari, prout res postulat, opportune possunt. Mihi in usu est, eas ex gummi ammoniaco et millepedum pulvere succoque concreto hederae terrestris aut scabiosae subactis componere, omissis reliquis, quae nimium calefaciunt, et motum sanguinis concitant. Interdum sapone veneto utilissime usus sum. Hic etiam locum merentur succi

Pilulae balsamicae MORTONI.

Reformatae ab auct.

Sapo venetus. Succus antiscorbut.

recenter expressi ex plantis antiscorbuticis temperatioribus et decocta leniter aperientia ex iis, quae pectori potissimum accommodata existimantur. *plantar. recentium.*

Formula pilular. MORTONI.

1) Rec. *Pulv. milleped. pp. drachmas* iij. *Gumm. ammon. optim. depurat. drach.* j. *semis. Florum benzoës scrup.* ij., *vel drachm.* j. *Extract. croc. Balsam. Peruv. an. scr.* j. *semis. Balsami sulphur. terebinth., vel anisat. q. s. M. f. pil. mediocr. deaurandae.*

2) MORTON. *Phthisiolog. l.* 2. *c.* 8. *p.* 63. GEOFFROYIUS *mater. med. T. I. p.* 100.

§. LXXXIV.

In ea vero phthisi, quae a pulmonum atonia et laxitate proficisci videtur (§§. LIV. LX.) cortex peruvianus egregiam opem saepe praestitit. LOESEKIUS in se ipso ita prospere eo usus est, ut neque pus, neque sanguinem amplius extussiret [1]). Non semel puris et *sanguinis sputum*, quo *imminens phthisis pulmonaris* non obscure significabatur, in iis, qui ex hypochondriaca passione in id mali genus inciderant, et macie iam confici coeperant, paulatim diluto corticis peruviani, modo sine lactis additione, modo cum lacte adiecto compressum exsiccatumque feliciter vidimus. Sed multo certius eius mirifica virtus elucet in illis, qui a pueritia strumosis affectibus laborarunt, si quando ad phthisin pulmonarem inclinare observentur. Imminens enim malum *divino hoc auxilio* ab eisdem arceri, auctor est MEADIUS [2])

Corticis peruviani usus prodest in phthisi pulmonari, quae ab atonia est. Quibus praesertim conveniat modo solus, modo lacte mixtus.

1) Vid. *Comment. de reb. in Sc. N. et M. gest. Vol. V. p.* 116. GEOFFROY. l. c. *T. I. p.* 282.

2) *Monit. et praecept. medic. cap.* 1. *sect. X.*

§. LXXXV.

Neque in *phthisi confirmata* tutum est emeticis [1]) aut catharticis acrioribusque diureticis uti. Vires enim, quae iam propemodum fractae sunt, facile his penitusque exsolvuntur; corpus vero, quod undique diffluit atque arescit, magis magisque liquatur atque emungitur. Hac ipsa de causa

In phthisi confirmata ab emeticis et a diureticis acrioribus abstinendum.

Nec tuta sudorifera proprie dicta, etsi a multis commendentur.

sudorifera proprie dicta suspecta esse debent, et iure merito reprobantur. Novi quidem, decocta ligni guaiaci, sassafras, radicis sarsaeparillae aliorumque ad resolvendas congestiones, et cacochymiam serosam aut lymphaticam repurgandam, sanguinemque purificandum a compluribus commendari, imo ad ulcera ipsa pulmonum cum detergenda, tum exsiccanda, ubi a malo totius corporis habitu pravaque humorum colluvie permanare videntur, magna emolumenti spe adhiberi solita esse.

Quare reprobata.

Verum haec humores nimium exagitant, corpus magis siccant, maciem augent, et febrim exasperant, praesertim in calido et sicco temperamento praeditis, et habitu gracilioribus, aut iam morbo emaciatis.

Si quando usum habere queant.

Quapropter, si unquam, incipiente tantummodo phthisica affectione, et nondum corporis habitu destructo, et in hominibus succosioribus et prope pituitosis locum habeant, potiusque ad antevertendam, quam curandam phthisin in usum veniant.

1) Hippocr. *Aphor. VIII. sect. IV.*

§. LXXXVI.

Mitiora proponuntur.

Quae tamen mitius agunt, quaeque ex radice chinae, smilacis asperae, arundinis montanae aut lappae maioris, quam *bardanam* vulgo vocant, hordeo, carne vitulina, ranis similibusque parantur, atque addita boragine, soncho, cichoreo quodammodo contemperantur, aut cum lacte remiscentur, non penitus improbantur. Acritates enim diluunt, solvunt, mitigant, et per urinae ac diaphoreseos vias tutissime propellunt. Nil vero antiquius frequentiusque est, quam in phthisi ulcerosa aut eius appropinquantis metu balsamica medicamenta nedum a medicis, verum etiam ab imperitis quibusque et passim proponi et temere usurpari.

Balsamica improbata et merito reiecta.

At plerumque apud nos ab exercitatioribus sapientioribusque reiiciuntur, quippe quae ventriculo nocent, febrim adaugent, calorem intendunt, et oras ulcerum inflammant. Nec a nobis dissident aliarum regionum clinici prudentiores [1]), cum

crebra nimium viderint exempla tristium effectuum, quos genuit eorum propera imprudensque administratio.

1) Geoffroy. *Mat. med. T. I. p.* 444. Fothergillius *Comm. de reb. in Sc. N. et M. gest. Vol. XVIII. Par.* 3. *p.* 400.

§. LXXXVII.

Balsamicis (si quando conveniunt) quibus uti liceat.

Attamen ulcera pulmonum ita quandoque pure scatent, sordibusque obducta atque oppleta videntur, ut balsamicis detergi et mundificari debeant. Tanta item non raro est cacochymiae purulentae diffusio, ut eidem coërcendae balsamicorum adiumento opus sit. Itaque si quando iis uti hisce de causis liceat, tutiora tantum adhibeantur, nempe mitissima, uti balsamum tolutanum, syrupus balsamicus pharmacopoeae Londinensis, aut terebinthinae, terebinthina veneta leviter aquae incocta, itemque aqua thedae, sive de *goudron*, vel de *catrame* vulgo dicta, quae etiam acore quodam mitissimo putridae dissolutioni obsistit. Sed nihil fere ulceribus mundandis claudendisque, aut corruptioni cohibendae et praepediendae aptius valentiusque putaverim, quam camphoram liberali manu diuque intrinsecus datam, a qua vix noxa, quam balsama afferre possunt, metuenda est.

§. LXXXVIII.

Lichen Islandicus et elixir vitrioli anglic. a nuperis laudata. Lichenis Island. examen.

Non possunt hic silentio praeteriri duo medicamenta, quibus hodie video passim tribui antiphthisicam nescio quam facultatem, muscum nempe, sive *lichenem islandicum*, atque *elixirium vitrioli anglicum.* Quo iure ea celebrentur, non definiverim. Temporis potius atque iteratae experientiae iudicium esto. Quod attinet ad muscum, de eius vi purgante iam Borrichius mentionem aliquam fecit [1]). Sed de ipsius *antiphthisica* virtute qui aliquid dixerit ante Linneum, non novi. Succos enim ex lichene islandico cum lacte pulmentum non ingrati saporis parare, quo adversus phthisin utuntur, ex eius dissertatione *de usu muscorum* anno 1760 publice propugnata intelleximus [2]). Primam

vero coctionis aquam abiiciunt, ne alvum ducat. Verum id beneficii non lacti potius acceptum referamus? Deinde eo non modo sues, equos et boves intra breve tempus saginari, sed etiam cum lacte decocto egregios in phthisi, rhachitide, cachexia praestitos effectus fuisse in *anno secundo historico naturali Lipsiae edito ann.* 1769 narrat SCOPULUS, et pluribus observationibus confirmare nititur. Vim ergo ei tribuit nutrientem et roborantem [3]). At peculiarem atque insignem in eo medicam facultatem insidere adversus morbos pectoris, quando omnis inflammatio et febris abest, repetitis periculis patuit IOANN. HENRICO SCHOENHEYDERO [4]). Is enim duodecim pueros, qui ex *morbillis in tussim purulentam* cum dolore et oppressione pectoris et macie, appetitu tamen integro, inciderant (oxymelle scillitico, kermes minerali, vesicatoriis pectori admotis, linimentis oleosis, theriaca *Andromachi*, et cortice peruviano frustra usus), tandem *musco islandico* [5]) pristinae sanitati restituit. Initio statim dolor imminutus est, deinde post unam vel alteram hebdomadam omnia in melius vertebantur, donec intra quinque hebdomadarum spatium omnino convaluerint. Quibus diarrhoea movebatur (nam ab eo alvum solvi monuimus) emulsione arabica compressa fuit. Animadvertendum vero est, tusses huiusmodi, etsi sputis purulentis stipatas, post quoddam temporis spatium, quod percurrere solent, plerumque sine ulla aut certe communi artis ope sponte desinere; idque monitum velim, ne remedio plus quam par est virtutis inesse, ab eiusmodi observationibus concludatur. Ceterum remedium acre est atque irritans, videturque hac proprietate et alvum ducere, et obstructa reserare, et urinas ciere. An hinc vires antiphthisicae?

SCHOENHEYDERI *observatio de curatione eodem praestita.*

Auctoris monitio, ne nimium tribuatur laudatae observationi.

1) *Act. Havnien. ann.* 1674.

2) LINN. *Amoenit. acad. Vol. VII. n.* 145.

3) *Ann. II. Hist. nat. pag.* 107.

4) *Collect. Soc. med. Havniens. Vol. I. p.* 126.

5) Formula, qua utebatur, erat haec: Rec. *Musci islandic. unc.* j. *Decoq. in aqu. communis unciis XVI ad remanentiam*

unc. XII. Colaturae adde syrupi scillitici unciam dimidiam. Detur unc. j. quovis trihorio. Vid. *Cap. I. de Tussi* §. *XVI.*

§. LXXXIX.

Vires elixirii vitriol. expenduntur.

Laudatur in Anglia, inquit Cl. HAENIUS [1]), *elixir vitriolicum in dyspnoea et suppuratoriis pulmonum morbis.* Exstat in *pharmacopoea Londinensi* eius descriptio [2]), quae tincturam quandam aromaticam exhibet, acido vitriolico quodammodo temperatam. Hinc aromatica vis, quae suspecta esse potest, acido vitriolico infringitur, et vicissim vitrioli acidum a spiritu vini aromatico, ne praevaleat, egregie edulcatur. Pericula in *phthisicis purulentis* facta adeo prospere cesserunt, ut Cl. PATE clinicus Londinensis doctissimus, qui nec remedium ab initio admittere audebat, nec curationibus eodem praestitis fidem adhibebat, experientia tandem victus eius strenuus laudator evaserit. Frequentissimus autem usus huius *elixirii* fieri perhibetur in *phthisi*, quae *diuturniores febres insequatur*, quae *linguae sorditiem*, quae *virium collapsum nocturnosque sudores habeat coniunctos, praestantiaque ipsius aliquorum annorum spatio in aliquot centenis aegrotis orbi universo innotuisse* [3]). Datur autem istud remedium *a guttis duodecim ad quinque et viginti semel, bis, vel ter in die in ea aquae copia, quae acidum saporem vix reliquum faciat.* Pueris ex *melle* et *aqua* propinatur. In his sensim a *parca dosi ad guttas XL.* in singulos dies ascendi potest. Sed in remedii usu ad duos, tres et ultra menses persistere oportet, imo etiam ad annos, si morbus non omnino cesserit, et tantum imminutus sit. Angli eodem tempore adhibent *decoctum chinae-chinae cum lacte remixtum*, nec ullam noxam inde oriri asserunt, uti timeri potest a lactis coagulatione. Testatur HAENIUS pluribus *annosioribus* etiam *phthisicis* id remedii dedisse *cum emendatione omni spe maiori, sputorum* autem *tussisque multa imminutione*, sed imprimis in ea *phthisi*, in qua *inflammatoria et suppuratoria materies universi corporis in integros pulmones colligitur* (§. LX.)

Pericula in aegris a PATE *instituta, et eius laudes.*

Laudes eius aliis HAENII *periculis confirmatae.*

sputorumque forma eiicitur, plurimum prodesse, *hancque sanguinis diathesin potenter elixirio huiusmodi emendari, multiplici exemplo comperisse* [4]).

1) *Rat. med. P. XII. cap. VI. pag.* 239.

Formulae elix. vitrioli pharmacop. Londin. et tinct. aromat.

2) Rec. *Tinctur. aromat. M. lib.* j. *Spirit. vitriol. fortis, olei dicti P. unc. IV. M. gradatim, et postquam faeces subsederint, per chartam cola.* Tinctura vero aromatica sic paratur.

Rec. *Cinnamom. drachm.* vj. *Semin. cardamom. minor. decorticat. drachm.* iij. *Piper. longi, Zingib. singulor. drachm.* ij. *Spirit. vini tenuioris m. lib.* ij. *Digere sine calore, et cola.*

3) Haen. *ibid. d.* 243.

4) Id. *ib. p.* 250.

§. XC.

Iura et carnes viperarum commendantur, et defenditur eorum usus auctoritate et ratione.

Nec deficiunt suae laudes iuribus et carnibus viperarum peculiari artificio paratis [1]), quidquid non experti de earum medicis viribus contra sentiant nonnulli vel celeberrimi [2]). Pluris enim faciendam ducimus Galeni [3]), Aretaei [4]), Antonii Musae [5]), Coelii Aureliani [6]), Meadii [7]), Morgagnii [8]), Haenii [9]) aliorumque complurium auctoritatem atque experientiam, quam derisorum quorumdam ineptias. Neque in *phthisi* solum *incipiente*, quam *cachexia*, aut *cutanei ulcerosique morbi* foverint, sed in *confirmata* etiam atque in *abscessibus internis viperarum* usus mira praestat, ut observationibus luculentissimis, praesertim Morgagnii [10]) et Haenii [11]) edocemur. Vis enim iisdem inest analeptica, nutriens, roborans, lenissime diaphoretica, qua et vires, et color et nutritio redintegrantur, sanguinisque vitia atque acritates tolluntur.

Methodus veterum utendi viperis.

1) Galenus vel *vinum*, in quo *viperae maceratae* essent, vel *viperas in olla coctas* anguillarum in modum adhibebat. Aretaeus *coctas et sale oleoque conditas* in coena obsonii loco dabat. Edendas pariter (fortasse piscium instar coctas) ad ulcera persananda iubebat Antonius Musa, qui in Italia Augusti medicus degebat, quique id remedii a Cratero, cuius forte discipulus fuit, ut putat Meadius, didicisse videtur.

Methodus nuperorum. Iuris et carnium usus praestans.

Pulverem nostri et *iura* conficiunt. Sed in pulvere vix ulla vis superest. Non ita in *iure* et *carne* ex viperis recentibus. Decoquitur *viperae* dimidium, vel tota cum pulli aut vi-

tuli carnibus vase clauso in balneo maris cum ea, quae par est, aquae quantitate, et ius inde factum propinatur mane vel vesperi; vel utroque tempore ad longum tempus. Addunt alii ranas vel testudinis terrestris carnem, vel plantas morbo accommodatas; sed etiam sine his suas exserunt vires viperae. Carnes vero conciduntur, et concisae cum pane trito, carnibus tenerioribus minutim dissectis et ovi albumine commiscentur, pulmentique in modum coquuntur, et esui dantur. MORGAGNIUS, quem imitatus est HAENIUS, viperae carnes a decocto reliquas cum saccharo, quod vocant, rosato veteri subigi et dari curabat, eique superbibi ius, quod decoctae suppeditaverant.

2) Vide *notam* 1. ad §. *CXLII. Vol. III.*; in hac enim auctor contra vituperatores huius remedii, inter quos etiam Cl. TISSOTIUS, eius praestantiam et vim pluribus persequitur ac defendit.

3) *De simpl. medicam. facultat. lib. II. cap.* 1.

4) *De curation. morb. chronic. lib. II. cap.* 13.

5) PLINIUS *Histor. natur. lib. XXX. cap.* 13.

6) *Morb. chronic. lib. IV. cap.* 1.

7) *De venen. Tentam.* 1.

8) *Epist. anat. med. LV. n.* 14. *et seqq.*

9) *Rat. med. Part. XIII. cap. VII. pag.* 227. *et seqq.*

10) *L. c.*

11) *L. c.*

§. XCI.

Symptomatum mitigatio.

Denique ad symptomata etiam, quamquam primarius morbus incurabilis videatur, lenienda animus convertatur. Tussis molestior noctesque insomnes efficiens opium, et quae opium habent, remedia postulat. His enim eius impetus infringitur, et aliquot horas conquiescit. Opio pariter evacuationis cuiusque excessus refraenatur et sistitur. Tussis quoque feritatem syrupus papaveris albi, emulsa ex seminibus frigidis, pulvis *Haly Abbatis* recens paratus [1]) aliaque, de quibus alibi (§. X. usque ad XV.) monuimus, demulcent et continent. Alvi fluxum comprimunt absorbentia et roborantia; sed diascordium FRACASTORII et theriaca ANDROMACHI primas tenent, quia opium habent. Sudoribus vero, speciatim quando a solidarum partium laxitate profluunt aut foventur (foventur autem ab huiusmodi causa

Ad tussim et evacuationes nimias.

Ad sudores colliquativos.

saepissime), aliquod fraenum iniicit corticis peruviani aut foliorum salviae decoctum frigide potui datum. Nec alienum est eidem instillare guttas aliquot spiritus vitrioli dulcis aut elixirii vitriolici, imprimis si putrida corruptione omnia liquari suspicio non desit. Colliquativos huiusmodi sudores certo reprimi aqua calcis, si detur ad libram unam singulis diebus cum lactis recens mulcti tantillo admixtam, experientia compertum est [2]). Sputa etiam purulenta, quando non facile prodeunt, aut suppressa pulmones materiae copia gravant, expectorantibus elicienda sunt. Apta ad hoc iam pluries alibi a nobis recensita fuere. Modo etiam *solani scandentis* sive *dulcamarae stipites* aqua decoctos [3]) proponimus, quibus saepe vidimus magnam puris vim e pulmonibus exscreatam prolectamque. Ulcerato etiam pulmoni eos mederi ferunt. Exemplum WERLHOFII supra §. LXXVII. allatum, qui pulmonis ulcere laborans ab huiusmodi remedio bene habuit, feliciterque convaluit, ut narrat CLERICUS, nostrae favet sententiae. Interdum dolor peculiari thoracis loco infixus phthisicos torquet, cui auferendo sedandoque nihil praestantius esse quam *setaceum* dolenti loco insertum, PRINGLIUS [4]) et LIEUTAUDIUS [5]) tradunt. Utplurimum dolor hic a pulmone exeso pureque pleuram et musculos intercostales arrodente proficiscitur. Tunc quid mirum, si exitu per setaceum puri reserato dolor evanescat? Interdum, quin revera evanescat, a maiori extrinsecus ad cutim excitato veluti obliteratus videtur, quia huius intensior gradus alterius gradum vix sensibilem reddit [6]).

Aqua calcis. — *Ad sputa purulenta.* — *Dulcamara.* — *Setaceum.*

1) Vide descriptionem in *Antidotario Bononiensi.*

2) Formulae, quibus *dulcamara* praescribi solet, huiusmodi sunt:

Formulae ex CLERICO.

Rec. *Solani scandentis sive stipitum dulcamarae in frustula sectorum unciam dimidiam. Decoque in libris tribus aquae fontanae ad unius librae remanentiam. Colaturae adde sacchari parum ad gratum saporem. Dentur singulis horis duo cochlearia. Ex* CLERICO.

Vel ex eodem CLERICO *alia.*

Rec. *Stipit. dulcamar. sciss. et leviter contus. drachm.* ij. *Infunde in s. qu. aqu. ferventis per horam dimidiam, deinde*

momento ebulliant. Colaturae lib. j. *et semis adde oxymellis simplicis, syrupi florum papaveris rhoeados ana unciam* j. *Misce. Dentur omni bihorio unciae* ij., *vel.* iij.

3) PRINGLIUS *Osservaz. interno alle malattie d'armata P. III. cap.* 3. *p.* 218.

4) *Synops. univers. prax. med. lib. I. sect.* 3. *p.* 165. *edit. Venet.* Vid. etiam BRENDELII dissertationem *de phthis. et hectic. discrimine, et setaceorum utrobique usu. Gotting.* 1754. et Cl. LE ROY *sur l'écorce de Garou pag.* 123.

5) *Fas sit historiam ex* diario italico *anni* 1783. *cl. auctoris depromptam hic transcribere, ut pateat in phthisi pulmonari tam* calcis aquam, *tum* balsamica *et* setacea, *aliaque calidiora remedia, nisi parca et prudenti manu administrentur, interdum nocere potius quam prodesse, et naturam ipsam in eius curatione simplici magis quam composita medendi ratione delectari. En historica narratio sancte et fideliter ex autographo ad verbum latine reddita.* *Observatio auctoris.*

„Maio mense huius anni iacentem puellam ESTHER CASSIAM duos et viginti annos natam conveni, quae *phthisi pulmonari ulcerosa* cum tussi molesta, sputis purulentis, febri hectica symptomatica et macie summa laborabat. Iam ab anno superiore eius menstrua, quae tunc fluebant, nec posthac amplius rediere, terrore quodam repente substiterant. Hinc morbi origo. Nam paulo post sicca tussi puella corripitur, quam duobus integris mensibus ut catarrhalem plane despexit. Ast accedente febri magnaque tum spirandi, tum decumbendi difficultate (medico accito) pluries ei sanguis e vena mittitur, aliaque generosiora artis adiumenta absque ullo emolumento in usum vocantur. Decies nimirum vena secta, quater applicita vesicantia (quinto etiam inter omoplatas adiecto), setaceum sub axillam insertum, tum pilulae balsamicae MORTONII et aqua calcis saturatissima (quotidie ad uncias triginta sumenda), quae prope ad interitum aegram impulit, aliaque huius census plura exhibita sunt. Sed diu multumque misera puella incassum vexata. Quam ob rem hisce nimiis validisque remediis exulare iussis, sola diaeta lactea instituitur. Eius ope omnia symptomata remittunt. Tussis imminuta, facilior expectoratio, sputa parciora, minus foetentia meliorisque notae, spiritus liberior, commodus in quodcunque latus decubitus, febris quoque minor. Ex quibus, ni fallor, simplicioris medicinae, quae in hac potissimum pulmonum labe anteferenda sane compositae ac multiplici est, praestantia apparet. Nonnulla ego rogatus, aëremque imprimis apricum ruris suasi, licet vix ab arte curatio ulla exspectanda videretur. Quoniam vero ad ἀκμὴν, sive tertium, ut vocant, gradum nondum pervenisse morbus videbatur (nulli enim sudores nocturni, nulla diarrhoea, nullae urinae oleaginosae adhuc aderant), de salute penitus desperandum non erat. Hanc ego historiam refero, ut ostendam, vehementem nimis efficacioremque medicinam inter nos quoque germanico more adhiberi, sive quod nonnulli in transalpinis scholis instituti sint, sive quod poliatros transalpi-

nos imitari, servum pecus, incaute nimis velint." *Hactenus auctor. Nolim vero quis putet ab eo unquam transalpinos medicos fuisse despectos; quinimo multorum doctrinam atque in arte excellentiam sicut optime norat, ideo magno in pretio habuit, habendosque semper ab omnibus iure ac merito contendebat. Id unum a recentiorum quibusdam exposcebat, ne nimia medicaminum copia aut vehementia, longe a maiorum exemplis recedendo, in morbis curandis quandoque abuterentur, neve plus quam par est hisce incertis fallacibusque auxiliis confiderent; in quam sane reprehensionem Gallorum aeque ac Germanorum complures eorumque vestigiis inhaerentes quosdam etiam Italos cadere interdum, non sine artis medicae et aegrotantium iactura, querebatur. Videtis eius* monita saluberrima *in adnotatis ad* §. *L. Voluminis I. de Febribus, quaeque ubique hac de re consulta ipse animadvertit.*

§. XCII.

Curatio secundariae phthiseos et symptomaticae.

Haec de *phthisi primaria*. In *secundaria* autem et *symptomatica* (§. LV.) omne studium dirigi debet ad morbum, a quo permanavit prius, vel a quo adhuc perseverante dependet. Namque nisi is propulsetur, neutiquam ipsa poterit ullis vel efficacissimis medicamentis superari.

Scorbuticae, hypochondriacae, scabiosae, herpeticae quae medentur.

Quapropter cuique primario morbo opponenda curatio est. Si exempli causa a scorbuto phthiseos origo sit, aut ab affectione hypochondriaca, tunc ea profecto in usum vocanda, quae in hisce morbis primum tollendis conveniunt. Sic, si a scabiosa, herpetica aut alia eiusmodi labe phthisis processerit, succi taraxaci, fumariae, cichorei, lapathi, oxalidis, aut harum plantarum decocta, serum lactis, balnea tum aquae dulcis, tum sulphureae et medicatae, atque alia huiusce census curationem pollicentur.

Antimonium crudum pulveris. ceteris praestat.

Sed prae ceteris convenientissimum est antimonium crudum in subtilissimum pollinem redactum, et super porphyritim, ut appellant, praeparatum. Hoc enim acre illud peculiare emendat, crassos humores attenuat, vitiatos diaphoresi aucta expellit, corpusque ad pinguescendum reddit paratius.

Curatio venereae.

Sublim. corrosivum SWIETENII

Antivenerea opem ferunt ei, quae luem veneream subsequitur. Huiusmodi phthisin cum ulceribus faucium, doloribus nocturnis, macie, febre lenta, tussi et puris sputo devicit Cl. CLEMENS TODIUS *mercurio sublimato* methodo *Swietenia* [1]) adhi-

bito, duosque menses continuato; sed toto eo tempore dabat etiam intrinsecus *dilutum corticis peruviani* et *sarsaeparillae* et *iura carnium teneriorum*, *musco* sive *lichene islandico alterata*, et praeterea *lac* cuiusvis alius alimenti loco. Interim ulcera detergi curabat solutione aquosa eiusdem *sublimati corrosivi*, adiecta mellis idonea portione [2]). Similem curationem *sublimato corosivo* perfecit etiam Cl. CHRISTIANOPULUS, exemplumque edidit in opusculo, quod de morbis SWIETENII *medicamento curatis* vulgavit. Ad hanc quoque phthisin adhiberi utiliter *mercurium gummosum* PLENCKII [3]), non dubitat affirmare Cl. BOURRU [4]). Alii litus mercuriales parca et prudenti manu administratos praeferunt. Sed ubi iam ulcere pulmones exeduntur, mercurium quocunque modo adhibitum vix sine noxa ferunt. Tutius satiusque est ad decocta lignorum confugere, quibus non raro phthisin pulmonarem veneream depulsam vidi, febremque hecticam discussam. In his principem fere locum tenet *decoctum* SEPTALAE [5]). Reliquae phthises ex aliorum viscerum vitiis (§. LIII.) cum eandem paene postulent curationem, quae phthisi pulmonari accommodata est, ex hac ideo earum quoque curatio desumenda erit.

una cum aliis antivenereis et antiphthisicis remediis.

Mercurius gummosus PLENCK. *Litus mercuriales.*

Decocta lignorum tutius remedium quam mercurialia.

Praecipue illud SEPTALAE.

Curatio phthiseos ex vitiis aliorum viscerum.

1) Methodus *Swietenia*, qualem ipse cl. auctor anno 1755. cum Cl. IOSEPHO BENVENUTO Lucensi medico per binas epistolas communicavit, est haec: „*Mercurii* usum magni facio, sed multa hic prudentia opus est, imprimis dum crudus datur, vel affricatur cuti. Non omnibus bene cessisse hacc tentamina scio. Si mercurius *sublimatus corrosivus* solvatur in spiritu frumenti rectificato, hac lege, ut in singulis unciis spiritus haereat medium granum, et deinde huius detur mane ac vesperi cochlear adultis, vel ad summum duo cochlearia, potando simul largam copiam decocti hordei, vel alterius cuiuscunque emollientis, mira efficacia observatur in lue venerea et aliis morbis difficillimis. Usus remedii tamdiu protrahitur, quamdiu aliquid de luis symptomatibus superest. Tuto sumitur etiam diu .... A pinguibus, sale vel fumo induratis, lardo imprimis abstinendum iubeo; iuscula, olera mollia, carnes paucas concedo facile. Ptisanam hordei cum quarta parte lactis copiosam do, vel aliud quodcunque decoctum emolliens.“ Nos spiritui frumenti substituimus spiritum vini dilutum, et solutionem deinde syrupo violarum edulcandam curamus. *Ex sched. auct.*

SWIETENII *methodus adhibendi sublimati corrosivi.*

2) *Collect. Soc. med. Havniens. Vol. I. p.* 171.

3) *Descript. histor. quorundam morbor.* Hist. XII.

4) Pilulae mercuriales gummosae PLENCKII.

Formula pil. PLENCKII.

Rec. *Mercur. vivi drach.* j. *Gummi arabici drachm* ij. *Terantur invicem, addito dimid. cochleari aquae in mucum; huic bene subacto add. extract. cicutae drachm.* j., *pulver. liquirit. q. s. M. f. pil. gr.* ij. *Dentur n. sex pro dosi mane et vesperi.* Videatur *nova et facilis methodus argentum vivum aegris venerea labe infectis exhibendi, quam Vindobonae ann* 1776. edidit IOS. IAC. PLENCK. *Ex sch. auct.*

5) Vid. MICHAELIS FRID. BOEHM. dissertatio: *Varia Syphilidis Therapia. Argentorati* 1781. §. *XXI.*

Form. decocti SEPTALAE.

6) Decoctum SEPTALII. Rec. *Rad. sarsaeparillae minut. incis. unc. VI. hordei excortic. unc. IV. Infund. per hor. XXIV. in aq. calent. lib. XV., vase clauso. Deinde lento igne decoq., donec quinque librae consumtae sint. Tunc extrahatur sursaparilla, et tundatur in mortario marmoreo, mox in eandem aquam immittatur, et add. carnis vitulin. macr. lib.* iij., *sem. coriandr. unc.* j., *vel ligni sancti ras. tantumdem, vel santal. citrin. drachm.* iij., *et operto vase iterum decoq. lento igne, donec remaneant lib. V., et in fine aromatisentur drachm. tribus cinnam. electi. Colentur cum forti expressione. Dentur summo mane unc. VI. vel VII. quatuor horis ante cibum, vesperi autem unc. IV. vel V. ante coenam. Assumatur per quam plurimos dies, quandoque usque ad centum.* LUD. SEPTAL. *Animadvers. med. l. VII. n.* 214. *Ex sch. auct.*

§. XCIII.

Curatio phthiseos trachealis.

Ulcera demum *laryngis* et *tracheae*, sive *phthisis trachealis* (§. LVII.), quando ab acri in laryngem illabente humore oritur (quod frequentissimum est), postulant, ut destillatio a laryngis ostio avertatur, acerque humor emendetur, quo facilius ulcera consanescant. Hac laboranti Cl. MORGAGNIUS auctor fuit [1]), ut, quoad fieri magis posset, sileret, decumberet capite demisso et humiliori, in conclavi amplo, sed tepido (nam hiems erat) degeret, ventum et solem, ut praecipit HIPPOCRATES [2]), vitaret, lac mane e mammis mulieris sanae, optimoque victu utentis exsugeret, et pulmenta ex *ferculo* SAXONIAE sine saccharo lacti incocta in coenam sumeret, hisque praeter spem multorum eum restituit. Aliam idem cl. Vir *phthisin trachealem*, quae iam ad *pulmonarem* vergebat, cum ab herpetica et scorbutica acrimonia videretur orta et fota, curavit sequenti ra-

Observationes curationum MORGAGNII. *Hist. I.*

Hist. II.

ratione: *Quotidie dabatur pauxillum resinae terebinthinae, qua fauces pectusque non leviter iuvari affirmabat aeger. Post id diebus viginti primis* (nam aestas tum erat) *potabatur aqua, ut vocant lactis, in qua erant fuerantque antea anagallis aquatica, hedera terrestris, hyperici flores et pauxillulum corticis sassafras macerata, cuius aquae potio semper quinta a prandio hora etiam iterata est. Sed matutinae post dies illos XX. substituta potio est iuris viperini cum ranis et caudis fluviatilium cancrorum parati. Quo postquam uti coepit,* maculae pruriginosae eruperunt, *color faciei melior factus,* vires auctae, *corporis habitus paulo minus macilentus, rarior tussis, levior raucedo, sputa pauciora fuere.* Cibus erat ex solis pullis gallinaceis foeminis, qui *ventre herbis* supra memoratis *farcto elixabantur,* et *ex pulte, quae ex oryza aut avena cum amygdalis conficiebatur. Potio in mensa aquae semper radice chinae et cortice sassafras quam levissime* medicatae, *extra mensam aquae Brandulae, quae aestivo calore et siti urgente paulo etiam largius propinabatur.* Cum autem sub initium septembris *adhuc tamen* tussis, sputa, macies pergerent, nam macilentior post tot remedia videbatur, quam debuisset, *sputa,* matutina praesertim, etsi non uti olim *cruenta* et *corrupta, tamen nondum colorem ex subflavo cinereum, saporem autem subsalsum amiserant. Tussis denique molesta adhuc erat vespertinis et matutinis horis,* et paulo profundiori e loco, quam larynx est, *videbatur oriri.* Quare etiam atque etiam admonito aegro, ut a frigida aëris regionisque inclementia se tueretur diligentissime, lac *asininum ad mensem,* quo sputa ferme ad naturalem modum redierunt, *deinde vaccinum,* in quo *ad extremum usque decembrem* perseveratum est, sumendum iussit. Quibus factum est, ut sputa, tussis omniaque symptomata evanescerent, pristinusque vigor, color et habitus omnino cum integra valetudine redirent [3]).

At non omnis *phthisis trachealis,* neque omne ulcus huiusmodi ita facile artis auxiliis obtemperant. Plerumque *Transit*

saepe in veram phthisin pulmonarem.

in *veram phthisin pulmonarem* desinunt, morteque finiuntur, aut suffocatione interimunt.

1) *Epist. anatom. med. XXII. n.* 27.
2) *De morbis lib.* 2.
3) MORGAGN. laud. *Epist. n.* 31.

§. XCIV.

Vitae regimen.

Demum aliquid dicendum de vitae regimine. Irritus inanisque erit quicunque medici labor, nisi causae, quae malo originem aut occasionem dedere, diligentissime arceantur, et simul recta non naturalium rerum instituatur ratio. Imprimis victum esse oportet tenuem, temperantissimum facilisque coctionis. Olera recentia et tenella, fructus maturi et non facile putrescentes, ova sorbilia, pisciculi fluviatiles lacti incocti parca et prudenti manu carnibus praeferuntur. Carnes vero, si concedi debent, sint e pullis gallinaceis hordeo, oryza, aut frumento turcico, quae lacti incocta fuerint, enutritis. Sed evitanda est omnis repletio. Crassa, glutinosa, nimium nutrientia, aut nimia copia sumta, iuscula pinguia, *gelatinosa*, pulmenta farinacea atque alia huiusmodi, quae vulgo, vix audito phthiseos nomine, sine delectu utplurimum, solent in cibum dari, iure a Cl. SWIETENIO uti noxia damnantur [1]). Languente enim ventriculi actione digeri haud bene possunt, chylumque suppeditant viscidum, inertem, glutinosum, qui in sanguinem receptus pulmonem ipsum iam infarctum, aut atonia laborantem, magis magisque obstruit, aut opplet obruitque. Non tamen negaverim interdum *ferculum* SAXONIAE, polentamque ex farina frumenti turcici, sive *mais*, aut saracenici, quod *fagopyrum* dicunt botanici, aut etiam tritici et secalis [2]), unde pulticulas aqua vel lacte parant, mirifice quibusdam phthisicis profuisse; dummodo quae narrantur facta pericula, de phthisi tantum incipiente et a tenuitate nimia humorum vel acritate summa proficiscente intelligantur.

Victus ratio. Olera. Pisces fluviatiles. Quibus uti carnibus liceat. Ferculum SAXON. quomodo et quando possit prodesse.

1) *Commentar. in* BOERHAAV. §. 1200. *n.* 3. *et.* §. 1208. *n.* 3.

2) Apud *Brunsvicenses pulmentem ex farina secalina*, aqua pura et butyro insulso coctione paratur, quod vel solum, vel lacti admixtum ieiuno stomacho mane per longum tempus datur phthisicis, quos saepe, ni confirmati fuerint, levari asserit LANGEUS *Miscell. verit. Fascic. I. p.* 33. *Ex sch. auct:*

Brunsvicensium pulmentum.

§. XCV.

Cremores hordei, avenae, oryzae etc. magis conveniunt.

Facilius a ventriculo subiguntur cremores, non valde condensati, hordei, avenae aut oryzae, neque gluten largiuntur viribus vitae non superandum. Farina etiam hordei, si clibano leviter torreatur, multum amittit glutinis, quo ventriculo reliquisque visceribus noxia esse posset. Pultes ex ea in iure carnis aut lacte decocta conficiuntur, quae optime feruntur nutriuntque. Alii farinae eius loco panem subtiliter contritum adhibent, atque ex lacte, pauxillo sacchari et farinae triticeae addito, decoquunt, ut molle, iucundum leveque edulium praestent. Hodie maximo in pretio, praesertim apud Germanos habetur illud edulii genus, quod *sago* aut *sagou* appellatur. Defertur ad nos ex India orientali, diciturque esse medulla palmae cuiusdam farinifeгae in grana quaedam conformata. De *sagou* autem iam ann. 1645 Parisiis peculiarem habuit dissertationem IACOB. MALLOVINIUS, tamquam *summo optimoque remedio adversus phthisin.* In eo Cl. LANGEUS [1]) agnoscit *partium lubricarum praesentiam, earumque* utilitatem *in pulmonum morbis levandis* constare, ac *frequenti experientia evinci* asseverat. Praeterea *concoctu*, inquit, *facillimum est sagou, ideoque bonum lautumque praebet nutrimentum, fereque totum in succum et sanguinem convertitur.* Decoquendum autem docet *cum duabus partibus aquae unaque lactis* in pulticulae modum, neque ab eiusmodi alimento timendum esse aut glandularum aut viscerum infarctum ullum.

Pultes farinae hordei torrefactae.

Pulmentum ex sagou.

Eius vires et laudes ex LANGEO.

1) *Miscell. verit. fasc. I. p.* 109.

§. XCVI.

His accenseri meretur aliud pulmenti genus, quod CLE- *Aliud pul-*

menti genus, quod cibum album vocat CLERICUS.

RICUS vocat *cibum album* *), quodque magnis laudibus extollit. Principem foeminam, qüae ex haemoptysi in phthisin confirmatam inciderat, lactis, quo diu alta fuerat, tandem fastidio captam, solo hoc pulmento tres menses cum dimidio adhibito, atque hinc pruriginosis pustulis universo corpore erumpentibus, feliciter a se curatam ipse gloriatur [1]). Sed longum esset omnia, quae alimenti et medicamenti simul loco ab auctoribus laudantur, sumique utiliter interdum ab aegrotantibus possunt, singillatim persequi. His igitur missis, ad reliqua diaetae praecepta progrediar.

Reliqua diaetae praecepta.

Vinum, dum lacte utuntur, interdicendum est. Coena levissima esto. Mature cubitum petant. Somnum nimium, non secus ac nimias vigilias vitent, exerceantur moderate, atque venerem omnino fugiant.

Aëris mutatio.

Aëris demum exercitationisque prudens fiat delectus. Pessimum enim coelum, in quo morbus exorsus est. Aër temperatissimus eligatur, et, si fieri possit, campester; hic enim purior est, quia vegetabilia putridum aut phlogisticatum, ut vocant, aërem mirifice defaecare dicuntur. Neque cuique eadem motus atque exercitii mensura convenit, neque omnibus, ut fere consuevit, equitatio aut vectio imperanda est, sed iis solum, qui solidarum partium atonia laborant, et fluidarum crudo inertique muco obruuntur, neque adhuc ad phthisin *confirmatam* [2]) pervenerint.

Navigatio.

Navigatio plerisque vel infirmioribus accommodatior est. CICERO ipse [3]), ut phthisin, in quam eum proniorem natura fecerat, a se averteret, longa navigatione usus est. PLINIUS vero iunior non frustra suasit liberto haemoptysi obnoxio, ut in Aegyptum navi proficisceretur. Sed quid veterum exempla memorem in tanta nostrorum et paene domesticorum frequentia? Unum addam, aegros in regiones hieme temperatissimas, ut Neapolitana et Pisana est, transferendos esse, ut ibi hiemale tempus transigant.

1) CLERC *Histoir. naturelle de l'homme T. II. p.* 33.

2) Ita etiam observavit RAULINIUS loco supra (§. LXXXII.) laudato

3) *De claris Oratoribus.*

*) *Alba comestio.* Sumito carnem albam caponis aut gallinae assatae sine pelle et pinguedine, semunciam amygdalarum dulcium mundatarum, quatuor amygdalas amaras, sex drachmas seminum papaveris albi, et omnia contundito in mortario marmoreo, ut redigantur in pastam, quam humectabis subinde et paulatim affusis duabus libris lactis recentis. Deinde in linteum excepta exprimantur, ut emulsum habeatur, in quo dissolves semunciam aut sex drachmas farinae oryzae. Admoveatur huiusmodi mixtum igni leni, semper miscendo, ne comburatur, donec cremoris formam acquirat. Adiice sacchari rosacei vel violacei quantum satis ad aegrotantis voluptatem. Remoto deinde ab igne vase, addi potest aqua florum aurantii, aut totius citri, alteriusve aromaticae. Ex hoc pulmento potest aeger ter vel quater in die congruam quantitatem assumere.

Confectio albae comestionis CLERICI.

Conferantur *Phthisiologia* RICHARD. MORTON., *Theatrum tabidor.* BENETI, RAULINII *Observat. de médecine,* DUPRE' DE LISLE *De la phthisie pulmonaire etc.*

CAPUT IV.

DE PULMONUM PECTORISQUE INFLAMMATIONIBUS ATQUE ALIIS AFFINIBUS AUT SUCCEDENTIBUS MORBIS.

§. XCVII.

Pulmonum inflammatio duplex est, altera περιπνευμονία, [1]) πλευρίτις altera. Hae, mea quidem sententia, non sedis diversitate, non natura differunt, sed symptomatum tantum ratione. Id anatome, ratione atque auctoritate celeberrimorum scriptorum videtur potissimum comprobari. Neque me ab hac sententia deiiciunt ea, quae alios probe novi contra afferre solitos esse. Neque quidquam me movent loca quaedam ex spuriis operibus HIPPOCRATIS a viris alioquin doctissimis contra huiusmodi opinionem prolata, cum idem auctor in germano libro *de locis in homine* [2]) scriptum

Utriusque differentia a symptomatibus tantum peti potest, non vero a sedis natura.

Vera HIPPOCRATIS *sententia.*

reliquerit, *utraque pulmonis parte inflammata fieri peripneumoniam*, si vero altera tantum pars inflammetur, *pleuritidem esse.*

1) *Peripneumonia, peripleumonia, pneumonia etc. pulmonia* synonyma sunt.
2) *Num.* 24.

§. XCVIII.

Peripneumoniae etymologia.

Peripneumonia, si etymon tantum spectetur, inflammationem pulmones circum ambientem significat. Sed si laxiori sensu sumatur, ut plerisque hodie mos est, eam *pulmonum inflammationem* complectitur, quae acuti et pungentis doloris expers sit, aut si quem inferat, obscurus hic, aut omnino profundus, potiusque gravans percipiatur. Notae eius praecipuae sunt hae: febris acuta continua, quam plerumque rigor praeivit, ingens respirationis difficultas, paene suffocans, cum aegros saepe cogat erecta cervice spiritum ducere, creber et calidus anhelitus, tussis primum sicca cum exspuitione pauca, spumosa, tenui, cruda, flavente, aut sanguine tincta, deinde humida cum uberiori et faciliori materiae magis crassae et coctae excretione, praecordiorum totiusque pectoris pondus, gravitas ac distentio, nullus dolor, aut qualis descriptus modo est, atque ad sternum utplurimum et spinam propensus, imo tunc solum saepe se prodens, cum tussis vehementius concutit pectus. Praeterea genae tument rubentque, subinde igneo quasi fervore incalescunt, temporum et colli venae turgent, oculi protuberant, caput dolet, lingua arescit, et primum flavo quodam colore inficitur, postea viscido obducitur muco, nigricat demum, et quandoque in sulcos dehiscit. His accedunt cibi fastidia, frigidi potus atque aëris desiderium, pulsus plerumque magnus, interdum undosus et mollis, saepe vero durus et vehemens (quidquid alii ex hypothesi, nulla experientia suffulti, contra docuerint), quandoque dicrotus aut intermittens, vel parvus et celer, decubitus in dorsum commodior, in latera vix possibilis ob maius suffocationis peri-

Eiusdem signa diagnostica.

culum, virium languor, urinae modo tenues et aquosae, modo rubrae, crassae et subiugales.

§. XCIX.

Symptomata graviora.

Si gravius malum est, aut in deterius ruit, spiritus aegerrime trahitur, continua vexat vigilia, aut soporosus somnus, licet brevissimus, obrepit, mens aberrat, sputum admodum cruentum ac floridum extussitur, quod demum repente supprimitur, intus ebullit et strepit, extrema frigent, labia unguesque livent, frons et collum frigido sudore madent, animi defectiones instant, oculi languent, illacrymant et quasi velo obtenebrantur, nares pulverulentae fiunt, et pinnis diductis moventur, pulsus obscuri, vermiculares, formicantes, aliaque teterrima symptomata agmen claudunt.

§. C.

Pleuritis et eius notae.

Similia propemodum patitur is, qui *pleuritide* correptus fuerit. Nam a GALENI usque temporibus [1]) haec in pleuritide concurrere crediderunt, febrem acutam continuam, difficilem respirationem, tussim molestam, sputum crudum, interdum cruentum, aut striis sanguineis variegatum, pulsum durum et *serratum*, et dolorem non profundum nec obtusum, uti in peripneumonia, sed acutiorem et saepe pungentem in aliqua thoracis parte, aut in alterutro latere, quavis inspiratione et tussis concussione ita exacerbantem, ut inspirationem et tussim aegrotantes prae dolore cohibere cogantur. Qui dolor modo febrim antecedit, modo subsequitur, prout nimirum *pleuritis* primaria est, aut secundaria. Hinc *pleuritidis* peculiaria symptomata, quibus, si minus definiri, describi certe potest, a CULLENIO sic enumerantur: *pyrexia, dolor lateris pungens, inspiratio dolens, decubitus plerumque in latus affectum molestus, tussis dolentissima, initio sicca, postea humida, saepe cruenta* [2]).

Pathognomonicum signum dolor acutus et vehemens.

Dolor ergo vehementior et semper praesens differentiam, si ullam, facit inter *peripneumoniam* et *pleuritidem*.

1) Riverius *Prax. med. lib. VII. cap.* 3.
2) *Gen. morb. Ord. II. Phlegmas. gen.* 12.

§. CI.

De sede pleuritidis dissensus.

Pleuritis tamen lateris aut pleurae costas succingentis inflammatio habita a plerisque fuit, ut eam a *peripneumonia*, quam in pulmonibus inflammatis locabant, apposite distinguerent. Alii vero, cum utramque *pulmonum* esse morbum dissectione cadaverum [1]) cognovissent, causam quaerentes, cur in altera dolor nullus aut obscurus tantum esset, in altera vero atrocissimus saeviret, sibi eam visi sunt convenisse in loci affecti diversitate. In exteriori enim pulmonis ambitu, quem a *pleurae* involucro sensibiliorem putabant, *pleuritidem* collocandam duxerunt [2]), *peripneumoniam* vero in interioribus pulmonum recessibus, quos obtusiori sensu praeditos ob pleurae ibidem defectum credebant. Verum nec *pleura* tanti doloris sedes esse potest, cum paucos aut nullos nervos habeat, nec a pleura ideo pulmo sensibilior est, neque interiores eius partes, quas nervi copiosius perreptant, obtusiori sensu donantur. Discrimen igitur omne inter *peripneumoniam* et *pleuritidem* cum doloris atrocitas faciat, verosimillimum cum Michaele Sarcone arbitramur, in illa plerasque pulmonum partes minus sentientes lentiusque ab inflammationis causa affici, in hac vero aliquam ex illis, quae exsquisitiori sensu donantur, nervisque insignioribus instruuntur, quales interiores esse videntur, aut proximius vehementiusque ab acri inflammatorio nervos ipsos attingi et vexari. Quid ergo opus est, ut nonnullis placet, sibi confingere, in *pleuritide* arteriam *bronchialem* magis, in *peripneumonia pulmonarem* potius inflammatione tentari? An ita distinctae sunt harum arteriarum distributiones, ut seiunctim procedant? ut nullibi inter se communicent? ut nullibi sibi mutuo iungantur?

Pleura non est sedes doloris acutioris in pleuritide.

Unde atrocitas doloris oriatur, probabilior coniectura.

Vana hypothesis, bronchialem in pleuritide, in peripneumonia vero pulmonarem arteriam magis inflammari.

1) Vid. Zecch. *l. II. de corp. human. structur.*, atque *Append. consult. med.* 26., Lindestolp *de venen. p.* 314., quibus accedit Morgagnius cum plerisque recentiorum.

2) Invictissima vero argumenta, quibus demonstratur, *pul-*

monem esse pleuritidis sedem, legantur apud TISSOTIUM in *Epistola* ad Cl. HIRTZELIUM *pag.* 28. *et seqq., Ex sch. auct.*

§. CII.

Non tamen inde inficiamur, *pleuram* interdum rubescere, et quaquaversum inflammari, quod sane ex innumeris cadaverum sectionibus comprobari facile potest; sed solum contendimus, eam ob fere nullum, aut plane modicum, quo donatur, sensum tanto dolori excitando, quantus in pleuriticis (§. XCVIII.) esse consuevit, ineptam prorsus esse, nec tantam spirandi difficultatem, nec tussim, nec sputum copiosum et cruentum efficere posse, nisi simul pulmo aut nervi per posteriora cellularia spatia decurrentes, aut musculi intercostales una afficiantur. Compertum enim est iteratis observationibus, quando *pleura* sola inflammatione corripitur, nec dolorem adeo acutum esse, nec inspiratione (quia inspirando ipsa potius laxatur) exacerbari, nec tussim adeo frequentem et molestam excitari, imo saepe eam abesse [1]). Imo non desunt cadaverum sectiones a viris celebrioribus institutae, ex quibus patuit, inflammatam quidem pleuram fuisse, quin tamen ullum dolorem questi fuerint aegrotantes [2]). Hanc *pleurae* inflammationem multi cum veterum, tum nuperiorum aperte docent, *veram* proprie *pleuritidem* esse, quod *pleurae,* a qua nomen eam accipere arbitrantur, reapse insideat. Rarissimum esse morbum ultro quidem fatentur, neque mirum videri aiunt, si sectio cadaverum ostenderit, raro in *pleuritide* pleuram inflammatam reperiri. At in pleuritide hac cunctane pleuritidi propria symptomata (§. XCVIII.) occurrunt? An tanta doloris acerbitas, an tanta spiritus difficultas, an tussis sanguinisque exspuitio, ut vera *pleuritis,* qualem clinici describunt (§. C.), dici possit?

Pleurae inflammatio.

Inepta per se acutissimo pleuritico dolori excitando.

Inflammatio pleurae absque dolore.

An haec vera pleuritis.

1) ZEVIAN. *Della parapleuritide cap. III. p.* 30. 31.

2) FRID. MEDICUS *Collect. observat. med. T. I.*

§. CIII.

Interdum *mediastinum* seorsum inflammationi subiicitur, morbusque pleuritidis instar affligit. Eo inflammato,

Mediastini inflammatio

eiusque symptomata.

plerique affirmant dolorem cum reliquis pleuritidis symptomatibus (§. XCVIII.) medianı fere atque anteriorem pectoris regionem excruciare, si videlicet anterior *mediastini* pars, qua sterno adnectitur, inflammatione correpta sit, posteriorem vero, si posterior spinaeque proxima, vel utrumque locum, si utraque pars afficiatur. PETRUS vero SALIUS DIVERSUS [1]), qui in huiusce morbi signa plurimum inquisivit, animadvertit, *angustiam et offendiculum quoddam ad sternum*, dum aegri inspirant, *potius* percipi, *quam dolorem* (quod sane exiguae mediastini sensibilitati rite respondet), atque *ubi dolor* reapse affligit, neque *insignem, neque vehementem* esse, *spirationem* vero *frequentem admodum et celerem*, non tamen difficilem aut anhelosam. Praeterea asserit, se vidisse, eiusmodi aegros *febri acuta detineri*, ad quam accedebat magna iactatio atque ingens sitis et *cetera, quae febres ardentes comitari solent, in thorace maximum incendium* conqueri, *unde et frigidum aërem inspirare desiderarent, et calidum spiritum reflarent*, tussi omnes vexari, sicca in principio plerumque, deinde humida, qua excernebantur *colorata*, vel *rubra*, vel *flava*, *plurima flavi coloris, paucissima rubri*, pulsumque eos prae se ferre, *qualis pleuriticorum esse solet.* Remque peculiari observatione cuiusdam aegrotantis, cuius sectionem affert, illustravit, addens, syncopen tum concurrere, cum *inflammatio mediastini* ad pericardium se diffuderit. *Pericardium* etiam, imo *cor* ipsum per se et seiunctim inflammatur interdum. Quod ubi incidit, praeter dolorem et anxietatem, aeger patitur frequentes lipothymias atque ingentes aestuationes, febrem acutissimam, sitim ardentem, imo ardentiorem, quam in pleuritide et peripneumonia [2]). Pulsus sunt vehementes, celerrimi, inaequales et quandoque intermittentes [3]). Neque rarum est, *pulmonum inflammationem* ob partium contiguitatem aut connexionem ad *pleuram, diaphragma, mediastinum, pericardium* atque ad *cor* propagari; et contra ab his ad pulmones protendi, et pro locorum et partium, quae afficiuntur, ratione magnam dolo-

Signa eiusdem a P. SALIO DIVERSO deprompta.

Pericardii et cordis inflammatio eiusque signa.

Interdum a pulmone ad reliquas partes, et ab his ad pulmonem inflammatio propagatur.

ris atrocitatem, tussim assiduam ac vehementem, orthopnoeam, delirium, singultum, convulsionem, miras pulsuum perturbationes summamque anxietatem subsequi. Id mali genus, quando tot partes simul occupantur, a quibusdam appellatur *pleuro-peripneumonia* [4]), sensu nimirum latiori, quam passim (§. CXII.) hoc nomen accipi soleat.

Tunc pleuro-peripneumonia a nonnullis dicta.

1) *De affect. particular. cap. VI.*

2) *Ibid.*

3) Riolan. *Enchirid. anatom. med. l.* 3. *p.* 206.

4) Hallerus *Opusc. patholog. obs.* 13. Morgagnius *de sedib. et causs. morb. epist. anat. med. XX. et XXI.* Haenius *Ratio medend.*

§. CIV.

Etsi autem multa cum peripneumonia communia habeat *pleuritis*, in hac tamen, ut supra dictum est, acutus et lancinans dolor urget, imprimis si sinistrum latus laboret, isque modo sursum ad iugulum, modo ad claviculam, modo ad omoplatam, modo deorsum ad praecordia sive hypochondria procurrit, modo in utroque latere sedem figit. Interdum tunc solum se exserit, cum aeger in dextrum vel sinistrum latus reclinatus fortiter inspirare aut tussire iubeatur. Eum enim ut inspiratio et tussis praesentem adauget, sic abditum et latentem excitat detegitque. Quando id evenit, *occultam* dicunt *pleuritidem*. Causa vero, cur dolor ad varia loca percipitur aut propagatur, secundum Hippocratis mentem in *Coacis praenotionibus* [1]) hisce verbis affertur: *Quibus ad unam claviculam dolor subit, iis una superior pulmonis ala laborat; quibus vero ad ambas claviculas dolor extenditur, ambae superiores pulmonis alae laborant; quibus ad mediam costam, media; quibus vero, ad quam partem pulmo extenditur, dolor permeat, inferna ala laborat; quibus una tota ala laborat, quae ei parti respondent, omnia aegrotant.*

Signa pleuritidis reliqua.

Varia doloris ratio.

Causae varietatum doloris ab Hippocrate *assignatae.*

1) *N.* 400. et alibi.

§. CV.

Alia symptomata explicantur.

In ipsa febris accessione, quam saepe horror et rigor antecedit, subsequiturque calor et sitis, quandoque vomitus aut vomendi conatus infestat, atque urinae tenues, multae, postea paucae saturae et rubrae redduntur. Respiratio est frequens et parva, imo difficilis, sed non semper ita, uti in peripneumonia. Difficilis quoque utplurimum in sanum latus decubitus; tunc enim difficilior redditur inspiratio, increscit tussis atque anxietas, et saepe etiam dolor recrudescit. Quod facile explicatu est. Pulmo enim inflammatione affectus tumet et distenditur, et ob congestionem solidior graviorque est. Si in sanum latus reclinatur, mediastinum urget, impellit contra pulmonem liberum, eum comprimit, coarctat, irritat, sic ut respirationi minus inservire possit. Hinc difficilior sanguinis per pulmones traiectio, a qua tussis atque anxietatis augmentum. Quando vero dolor simul invalescit in huiusmodi decubitu, probabile est, id evenire ob aliquam pulmonis cum ipsa pleura adhaesionem, pondere enim suo pulmo, dum ad latus sanum reclinatur, qua pleurae adhaeret, distractus et quasi discerptus magis etiam doleat oportet, eoque vehementius, si pleura et musculi intercostales, quibuscum concrevit, inflammatione una affecti sint. Pulsus vero, ut supra posui, plerumque durus et *serratus* est, nunc magnus et vehemens, nunc parvus, debilis et inaequalis, nunc etiam mollis, undosus et bis feriens.

Cur difficilis in latus sanum decubitus.

Pulsuum natura.

§. CVI.

Sputorum varietas secundum varios morbi gradus.

Initio vel nihil, vel tenuis tantum pituita, vel crassum quid et tenax et rotundum extussitur, sanguine tamen plerumque tinctum. Procedente morbo sputum facilius et copiosius educitur, atque ex liquido crassius, ex cruento albidius fieri incipit. In stadio, cui *status* nomen est, concoctum, album, aequale, levans evadit. In declinatione denique dolor, febris, tussis et spirandi difficultas sensim evanescunt, signis coctionis in omnibus excretis apparentibus. Contra vero si inflammatio (nequidquam natura atque arte

Quando pleuritis in

reluctantibus) ingravescat, latiusque pulmones occupet, aut ex pleura et latere thoracis, quo insederit, ad pulmones metastasi feratur, tunc *pleuritis* in *peripneumoniam* migrare dicitur. *peripneumo-moniam transire di-citur.* Infarctis enim glutine inflammatorio pulmonibus, plerumque non solum dolor sensu quodammodo obruto ac retuso se remittit, et respiratio brevis, sublimis, orthopnoica evadit, pectus opprimitur ac ebullit et stertit, verum etiam sanguis in ventriculo auriculaque cordis dextra et venae cavae trunco restitare et congeri coactus obicem refluenti ex quacunque pectoris plaga humori opponit. *Pessimi con-gestionis effectus.* Vi autem cordis in vasa pulmonaria sic oppressa adactus ea dilatat, ex poris inorganicis aut ex lateralibus vasis mucosum gluten exprimit, loca omnia obstruit ac replet, unde vesiculae aëreae compressae nec dilatari possunt, nec circuitum per pulmones adiuvare et promovere. Hinc interrupto vitali sanguinis circuitu vitam subita suffocatio et mors excipit, antequam suppuratio aut gangraena consequatur. *Suffocatio et mors.* Praeterea in tanta pectoris anxietate et viarum interceptione mucosus humor undique per exhalantia vascula copiosius exstillat, non vero ab absorbentibus recipi potest, cum plenissima sint; quo fit, ut circa pulmones, mediastinum, pleuram, pericardium et cor collectus, frigefacto post mortem cadavere, concrescat, et dissectoribus deinde sub muci cuiusdam puriformis specie, quo partes illae plus minus obducuntur, sese exhibeat. *Post mortem circa praecordia concretiones.* Imo quandoque ob circuitum sanguinis sic retardatum, et quasi cohibitum serosa eius pars a reliquis secedens in cavum thoracis exsudat, hydrothoracem [1]) peripneumoniae adiiciens (*hydropneumoniam* vocant), et pressis undique iam laborantibus organis spiritum et vitam elidit. *Hydrothorax peripneumoniae quandoque adiicitur.* Quod ubi evenit, urinae parcius fluunt aut supprimuntur, inexspectata supervenit anxietas atque tanta spirandi difficultas, quae intra paucas horas suffocet aegrotantem. *Eius notae praecipuae.* Quod vero ad sanguinem e vena eductum attinet, is tam in *pleuritide*, quam in *peripneumonia* postquam refrixit, concrescit in massam duram, cohaerentem et pauco sero circumdatam. Plerumque si non in prima venae sectione, sane in altera *Crusta san-*

guinis inflammatoria. aut tertia ad summam superficiem apparet mucosa albida quaedam crusta, quam vocant *inflammatoriam*, interdum ita coriacea, compacta et concreta, ut vix dividi aut pertundi possit, et in medio concava, circum retorta sursum et reflexa videatur. Interdum non alba est, sed flava et subviridis; interdum coccinea, aut ex albo et coccineo colore permixtis coalita. *Malarum rubor.* Rubent quoque malae rosea quadam macula, et multo frequentius ex eo latere, in quo inflammatus pulmo est. *Linguae albedo et asperitas.* Nec linguae inspectio est negligenda; nam praeter siccitatem et sitim, quae acutos morbos comitari solet, eius albedo et asperitas animadversionem merentur. HIPPOCRATIS *aphorismi.* In *Hippocraticis* quippe oraculis scriptum est: *In pulmonis inflammatione, si lingua tota alba fiat et áspera, ambae pulmonis partes inflammatione vexantur; quibus vero dimidiata lingua, qua parte id apparet, inflammatio affligit* [1]).

1) COACAR. *n.* 400.

2) STÖRCKIUS, MONROUS, SCHÖLLINGERUS et ZIMMERMANNUS (*Tom. II. p.* 31.) tradunt, saepe *peripneumoniae* accedere *hydrothoracem*, et vicissim huic *peripneumoniam*. *Ex sch. auct.*

§. CVII.

Causae remotae peripneumoniae et pleuritidis. Causae, quae utramque (§. XCVII.) gignunt, sunt illae ipsae a nobis alias recensitae, a quibus reliquae oriuntur inflammationes; sed imprimis vehemens corporis, pectoris pulmonumque exercitatio, tempestate potissimum rigente aut aestuante, aut aëre ventis exagitato, potus frigidissimus excalefacto corpori ingestus, repentinae austrinarum constitutionum in boreales mutationes, catarrhi et rheumata graviora neglecta, hiemale et vernale tempus [1]), venenati, caustici, adstringentis, coagulantis vel cuiusvis incogniti principii acris, miasmatis, vaporis, halitus inspiratio aut ingestio, metastases, morbificae materiae, morbi pectoris praegressi tum acuti, tum chronici, phthisis, asthma, hydrothorax, respiratio diutius compressa aut cohibita, prava thoracis et pulmonum constitutio, ac demum peculiaris sanguinis

diathesis, quam inflammatoriam vocant, licet haec quandoque non causa, sed inflammationis effectus esse possit.

1) *Vernales* et *hiemales* multum inter se differre, pluribus demonstratur *in Comm. de reb. in Sc. nat. et Med. gest. Vol. VII. P. I. p.* 155. Videsis. *Ex sch. auct.*

§. CVIII.

Peripneumonia et pleuritis, quas hactenus descripsimus, *verae, exquisitae et legitimae* appellantur. Exstant vero etiam *nothae* sive *spuriae*, ex eo ita nuncupatae, quod nec gradu, nec symptomatum numero illarum adaequent gravitatem. Interdum tenuis et acer humor, sive lympha tenuis et acris confertim in pulmones illabitur, et catarrhi instar ardorem praeter naturam excitat, aestum et febrim inferens. Tunc et tussi et spirandi difficultate et lenta febri conficitur aeger sine cruenta exspuitione, sine abscessu aut ulcere. Hanc cum veterum plerisque *peripneumoniam spuriam* esse tradit Nicolaus Piso [1]), ab *exquisita* sive *vera* tum ratione causae, tum symptomatum mediocritate plane diversam.

Peripneumonia et pleuritis vera.

Notha sive spuria.

Peripneumonia spuria veterum.

1) *De cognoscend. et curand. morb.*

§. CIX.

Est alia *peripneumoniae nothae* sive *spuriae species*, quam cum Riverio [1]) et Sennerto [2]) *pituitosam* licet appellare, quia a crassa, viscida et lenta pituita in pulmones ruente, eosque inferciente videtur oriri. Senes verno utplurimum tempore corripit frigidos, pituitosos, vino deditos, aëremque palustrem incolentes, cachecticos praesertim, qui hieme minori perspiratione usi sunt. Haec exorditur a tussi catarrhali, non tamen assidua, raucedine, frigore et calore se mutuo excipientibus, febre quidem manifesta, sed mitiori leniorique, quam in *peripneumonia vera* esse solet. Pectoris oppressio, pondus, obscurus et gravativus dolor, sputum album, viscidum, spumosum, raro cruore conspersum, pulsus mollis, non valde creber, saepe parvus

Peripneumoniae nothae species, pituitosae dictae.

Quinam magis ei obnoxii.

Eiusdem notae.

et debilis, sitis exigua, lingua muco albo obducta sunt eius reliqua symptomata, quibus plerumque adiungitur soporosus somnus. Hanc credo observatam esse a SYDENHAMIO [3]), seduloque sub *peripneumoniae nothae* nomine descriptam. Sed ipse animadvertit monetque, aegrotantem in ea vertigine etiam tentari, caput ei inter tussiendum dissilire videri, doloribus toto pectore passim vexari, vomitu omnia, quae bibuntur, reiicere, et sanguinem e vena missum crusta pleuritica contegi. *Peripneumoniae nothae* nomen a BOERHAAVIO ei quoque tribuitur pulmonum infarctui, qui plerumque morborum finis esse consuevit, mortemque communiter antecedit. At SYDENHAMII ut incertum et dubium morbum reiicit LIEUTAUDIUS [4]), et BOERHAAVII opinioni non subscribit, nemini, ubi occasio tulerit, parcere solitus.

Peripneumonia notha SYDENHAMII.

Alia BOERHAVII.

Utraque a LIEUTAUDIO *reiecta.*

1) *Prax. med. Cent. I. Obs.* 98.
2) *Pract. l. II. P. II. cap.* 16.
3) *Obs. circa morb. acut. Hist. Sect. VI. cap.* 4.
4) *Synops. T. I.*

§. CX.

Pleuritis vera et spuria quorundam.

Qui *pleuritidem* in pleurae et lateris inflammatione (§. CI.) consistere docent, hi [1]) *veram* repetunt a pleura et musculis intercostalibus externis inflammatis, *spuriam* vero habent eam, quae a musculis intercostalibus externis inflammatione correptis pendeat. Verum tanta est earum partium propinquitas et connexio, ut vix seorsum inflammari possint, aut certe si id acciderit, non facile singularum morbus distingui. *Pleuritidem* igitur *notham* vocabimus eam inflammationem, quae latus ipsum occupat, musculos imprimis intercostales eorumque involucra; neque multum interest quaerere, an simul pleura ipsa, quod probabile est et interdum accidit, afficiatur. A *vera* enim *pleuritide* (§. XCVIII. ad §. CVIII.) longissime abest *spuria* haec, quod in hac dolor tactu pressioneque ingravescit, aeger in latus affectum ob doloris incrementum nequit decumbere, commodius in sanum convertitur, interdum exteriora tument, calent, et non

Pleuritis notha qualis auctori.

Diagnosis.

Decubitus difficilis. Externus tumor.

non raro ruborem etiam aliquem exhibent. Febris et spirandi difficultas minor est, quam in pleuritide vera, neque pulsus adeo durus est et *serratus*. Tussis vel nulla, vel exigua et sicca, nisi una concurrat pulmonum labes, esse consuevit. Imo ZEVIANUS *tussim et sputum* abesse a *pleuritide pleuram* occupante affirmat [2]), quod ego quoque non semel observavi.

Febris ratio. *Respiratio qualis.* *Tussis quae.* *Interdum nulla tussis.*

1) Inter hos primi veniunt RIVERIUS, LOMMIUS, NICOLAUS PISO et SENNERTUS.

2) *L. cit.*

§. CXI.

Quibusdam [1]) *pleuritis notha* est etiam *dolor lateris rheumaticus*, quem plerumque aliarum partium, ut cervicis scapularumque, dolores vagi antecedunt, nullaque, aut certe exigua atque ex lymphaticarum genere febris adesse solet. Dolor hic pressione, inspiratione profundiori et trunci motibus recrudescit quidem et crescit, non tamen tussim movet, nisi cum tussi catarrhalis morbus copuletur, aut tussim siccam movet tantum, et sine sanguinis sputo. Quo spectant *dolores laterales scorbutici*, *venerei*, aut *hypochondriaci*, aut *flatulenti*, sub costis spuriis defixi, qui febre carent, et saepe vagi ac incertae sunt sedis. Huc quoque refertur illa lateris affectio, sive *notha pleuritis*, quae ex cruditatibus primarum viarum, cibis crassis et pituitosis, fungis, bulbis aliisque similibus, ventriculum et intestina irritantibus, ac per consensum loca superiora afficientibus oriuntur [2]). *Pleuritis* quoque *verminosa*, nempe a vermibus orta, huc spectat, quae profundius hypochondria excruciat, sympathiceque pectus, et quandoque pulmones affligit. Nec desunt, qui *pleuritidem spuriam* vocant quemcunque dolorem, qui costas spurias tenet divexatque; quia illuc neque pleura, neque pulmo perveniunt.

Aliae pleuritidis spuriae species. *Rheumatica.* *Scorbutica, venerea, hypochondriaca, flatulenta.* *Gastrica.* *Verminosa.*

1) Haec est *pleuritis notha* PLATNERI, LIEUTAUDII aliorumque.

2) Vid. NIC. PISO *de cognosc. et curand. morb. lib. II. p.* 186.

§. CXII.

Pleuroperipneumonia BARONII.

Fieri etiam potest, ut *pleuritis* (§. CX. CXI.) cum ipsa peripneumonia tum a principio, tum in progressu coniungatur, conficiatque morbum, quem VINCENTIUS BARONIUS [1]) speciatim et pressius *pleuroperipneumoniam* vocavit. *Pleuritis* porro ratione loci, quem dolor tenet, dividitur in *ascendentem* et *descendentem* [2]), item in *posteriorem* sive *dorsalem* [3]) et *anteriorem*. HIPPOCRATES [4]) aliam etiam proponit pleuritidis differentiam, qua in *siccam* et *humidam* distinguitur. *Pleuritis* praeterea aeque ac *peripneumonia* vel est *primaria*, vel *secundaria*, vel *symptomatica*. In secundariis aut symptomaticis principes sunt *putridae*, *biliosae* [5]), *gastricae*, *arthriticae*, *phthisicae*, *exanthematicae* [6]), *miliares*, *variolosae*, *morbillosae*, *ardentes*, *convulsivae*, *catarrhales* [7]), *periodicae*, *metastaticae*, *hydrothoracicae*, *lacteae*, *lochiales* et sic porro. Quamquam vero ex his, quae *biliosae* dicuntur, utplurimum sint *secundariae* et *symptomaticae*, interdum tamen *primariae* sunt, et cum ipsa febre incipiunt. Talem descriptam legere est apud Cl. GUIDETTIUM [8]), qui animadvertit, in eiusmodi *biliosis pleuritidibus* dolores fuisse vagos, tusses siccas et molestas cum pauco sputo seroso, vel subflavo, vel subcruento et spumoso, difficillime et nonnisi per magnum tussiendi conatum eiiciendo, pulsus valde celeres et frequentes, calorem intensum, genarum ruborem roseum, anxietatem vehementem, sitim permolestam, vigilias et iactationes assiduas. Sanguis in his missus semel iterumque eleganter rubellus remanebat, et aegri post sanguinis missionem in deterius ruebant. Quinta autem peribant. Non secta vena, septimo, nono aut undecimo moriebantur. Sola emesis remedio erat. Hiems frigida praecesserat, et ver austrinum successerat. *Erysipelatodes* fuisse auctor laudatus arbitratur [9]).

Pleuritidis differentiae. — *Sicca et humida iuxta* HIPPOCRATEM. — *Primaria, secundaria et symptomatica.* — *Quae secundariae.* — *Biliosa pleuritis interdum primaria est.* — *Eius signa a* GUIDETTIO *descripta.*

1) *De pleuroperipneumonia etc.*, HUXHAMIUS *de pleuritide etc. p.* 305. DEPLAIGNE *Recuil d'observations de médecin. etc. Juillet* 1757. *T.* 7. *p.* 168.

2) Hippocr. *II. acutor.*

3) *Id. III. de morb.*

4) *Id. I. acutor.*

5) *De pleuritide* et *peripneumonia biliosa* vid. Tissot. *Epist. ad* Zimmermannum, Morgagnium *de sed., et caus. morbor.;* Manetti *consulto con annotaz. e giun.;* Angelum Galli *adversaria medica;* Dallarmium *saggi di med. pratic.,* Aloysium *saggi di med. pratic.;* Aloysium Targionium *gazzetta salutar. n.* 12. 13. 14. *etc. a.* 1783. *praeter* Baglivium, Lancisium, Sydenhamium, laudatum Guidettium aliosque bene multos. *Ex sch. auct.*

6) De *secundariis exanthematicis* suis locis noster auctor opportune disserit. Videsis *de morbillosa Vol. II.* §§. 135. 146. *De variolosa ibid.* §§. 249. 254. 276. *etc.* Item *de miliari* nonnulla *eod. vol.* §§. 403. 405. 408. Omnia huc transferre licet, utpote *primariae* etiam accommodata. *Editor.*

7) Vid. *Vol. I. de Febr.* §§. 346. 356. et alibi, ubi de *intermittentibus* eodem volumine sermo est.

8) *De pleuritide biliosa dissertat. II.*

9) *Id. ibid.* Vide etiam Deplaignium *l. c.*, a quo tum symptomata, tum curatio morbi describuntur. *Ex sch. auct.*

§. CXIII.

Benignae et malignae. Peripneumonia gangraenosa. Signa eius.

Aliae item dici possunt *benignae*, aliae *malignae*, prout signis malignitatis carent aut stipantur. Ad malignas refertur peripneumoniae genus, quam ob celerem in gangraenam transitum *gangraenosam* [1]) vocant. Plerumque epidemica est, interdum uni tantum hominum generi, aut loco, aut domui, aut coenobio peculiari infesta, et saepissime lethalis. Haec a miasmate venenato, aut putrido, aut a caustico quodam acri et siderante principio, pulmonibus inspirato ac adhaerente, aut sanguini primum infuso, et postea per febrim moto, et ad pulmones delato, quod eos celerrime sensibilitate atque irritabilitate exuit, oriri videtur. Saepe a bile corrupta, aut a primis viis adeo infestum et necroticum principium suppeditatur. Sed plerumque tunc *symptoma* est febris *gastricae* aut *biliosae*. Aegri ea correpti queruntur de immenso pectoris pondere, difficillime respirant, tussiunt, plerumque nihil exspuunt, aut tantum biliosa, sincera, admodum liquida, spumosa, minime cocta, interdum etiam saniem fere subatram. Nonnulli vix tussiunt, suspiria tamen

Interdum symptoma febris gastricae aut biliosae.

Quando ir-

ritabilitas ac sensibilitas deleri videntur.

trahunt, ut anxietatem et pondus, quo opprimitur pectus, quodammodo sublevent, luctum facie atque oculis prae se ferentes. Pulmones tunc videntur, sensibilitate iam atque irritabilitate destructa, propemodum emori, et vitam emittere. Pulsus insuper habent initio validos, sed mox debiles, languidos, interdum raros ac inaequales. Non raro exanthemata superveniunt maligna et peticulae violaceae. Quod communius est omnibus malignis morbis, huic etiam non deest, nimirum virium languor.

Exanthemata interdum apparent.

Virium languor.

1) Vid. Galenum, Bartholettum, Trillerum, Huxhamium *Essai sur les fievres, dissert. sur les pleurésies et peripneumon. chap.* 2. *p.* 239.; *et observat. de aëre Vol. II. mens. Ian. Feb. Mart.* 1746. Vid. etiam *Saggi di med. prat. di* P. P. Dall'Armi *P.* 3 *p.* 235. usque ad *p.* 241.

§. CXIV.

Sanguinis e vena missi phaenomena in hac gangraenosa peripneumonia.

Sanguis in his e vena primum missus apparet coccineus, et diu seri tenax, sed mollis, tener parumque cohaerens. Altera vice detractus *crassamentum* lividum exhibet, maxime laxum, plurimo flavo, turbido aut subviridi aut subrubicundo innatans sero. Tertia vero nigrum fere, saniosum, dissolutum. Si qua contegitur inflammatoria pellicula, flava haec est et mucosa, ac tardissime concrescens. Sic se res habet plerumque. Vidi vero non semel in quibusdam huiusmodi *peripneumoniae malignae* et *gangraenosae constitutionibus* sanguinem crusta phlogistica densissima tectum, fortasse quia venenatum miasma nondum sanguinis texturam corruperat. Neque perpetuum est in huiusmodi malo vires sub initium, ut in reliquis malignis, deficere, saepe enim ante morbum, eoque incipiente satis valent; etsi progressu orta gangraena, ut par est, resolvuntur.

Observatio auctoris.

Virium languor an perpetuum symptoma.

§. CXV.

Erysipelas pulmonum. A Lieutaudio an iure negetur.

Erysipelate interdum prehendi pulmones, auctor est Hippocrates [1]), et post eum Ballonius, Baglivius aliique non pauci [2]). Lieutaudius negat id fieri posse, quod erysipelas cutis morbus tantum esse videatur, non in-

teriorum partium. Sed tanti eius auctoritas a nobis fieri non debet, ut ceteris magnis viris fidem denegemus [3]). *Pleuritides* enim et *peripneumonias erysipelatodes* dari, nos quoque compertum habemus, *siccas* plerumque, quas, ut ait BALLONIUS [4]), serum acre, subtile, malignum, efferum, coctionem atque anacatharsin eludens efficit, et id phlogosin potius vagantem, quam phlegmonen fixam excitat, a qua pulmones repente quasi siderantur. Morbum praesentem ostendunt rubores genarum fugaces, tussis inanis, magna linguae ariditas, interior viscerum ardor, assidua anxietas et iactatio, virium subitus lapsus et exiguus dolor. HIPPOCRATES [5]) vero addit dolores acutos, pungentes, modo ad spinam dorsi, modo ad sternum excurrentes, sed vagos et transitorios, quales egomet ipse non raro observavi. GORTERIUS [6]) praeterea his accenset pulsum velocem, non valde durum, urinas flammeas, facilem metastasin et crustae pleuriticae in sanguine e vena misso absentiam. Sectio cadaverum ostendit pulmones vehementer rubros aut nigricantes et gangraena affectos, sed molles et flaccidos, non duros et infarctos, ut in *vera pleuritide* et *peripneumonia*. Nec rarum est, febrem ardentissimam esse, pulsum vehementem et velocissimum, et spiritum ore praecalidum exire; neque haec, sanguine pluries etsi emisso, qui ruberrimus et spumosissimus plerumque est, quidquam de suo vigore remittere. Qui hoc morbo corripiuntur, brevissimo tempore pereunt, imo repente nec cogitantes, testante BAGLIVIO [7]), iugulantur; quod sane nostra experientia confirmamus. An haec *varietas* est peripneumoniae *gangraenosae* (§. CXIII.)? Nonnulli, inter quos SAUVAGESIUS [8]), cum hac *pleuritides biliosas* confundunt, quae saepe *gastricae* sunt et *symptomaticae*. *Biliosas* quoque *erysipelatodes* fuisse credit GUIDETTIUS [9]).

Signa morbi praesentis.

Dolores ad dorsi spinam et sternum quandoque, teste HIPPOCRATE, *decurrentes.*

Ex GORTERIO *alia signa.*

Quid ex cadaverum sectionibus.

Mors cita et fere repentina.

Quaestio.

Pro biliosa pleuritide a quibusdam hic morbus habitus.

1) *Lib. de intern. affection. n.* 8.

2) SCHENCKIUS *peripneumoniam erysipelatosam* recenset *observat.* 46. *in scholio.*

3) MORGAGNIUS (*de sedib. et caus. morb. Epist.* XX.

n. 12.) pulmonis inflammationem in *rubore fugace* aliquando consistere non negat, quando nimirum est de genere *legitimi erysipelatis.* HAENIUS quoque eandem sententiam tuetur (*Part. IX. cap. IV. p.* 125.), cum inflammatos quidem pulmonum infimos lobos observavit, non tamen ut in reliquis peripneumoniis aut pleuritidibus duros.

4) *Epid. I. p.* 83. et *III. p.* 20.

5) *L. c.*

6) *Prax. med.*

7) *Append. de pleuritide.*

8) *Nosologie T. I.* 466.

9) *Dissertat.* 2. *cit.*

Prognosis.

§. CXVI.

Signa fausta et prava.

Peripneumonia semper plus habet periculi, quam doloris, et tunc potissimum fere mortifera est, cum ad summam spirandi difficultatem delirium etiam accedat, aut quando ex angina nascitur, aut acuto alicui morbo supervenit; nam vel intra *septimum* diem occidit, aut in abscessum et tabem abit. Interdum sub graviori casu, si sanguis e naribus ubertim fluat, et venter bibliosa multa et spumosa deponat, spes aliqua salutis affulget; contra *quarto* die aut, quod longissimum est, *septimo* morte finitur. *Malum autem est, phrenitidem* [1]), aut *nervorum rigorem* [2]), aut *alvi profluvium* [3]), quod sputum supprimat, supervenire, aut *aegrum residere velle* [4]), aut *urinam celeriter post potionem prodire* [5]), aut quae ab initio *cocta* erat, post *quartum* diem *tenuem* evadere [6]). Saepe ubi levis inflammatio est, neque multum diffusa, solvitur solo sputo copioso, facili, leviter sanguineis filamentis distincto, interdum urina multum sedimenti habente, non raro solo sudore, rarius diarrhoea mucosa cum striis sanguineis commixta, aut biliosa. Sed illud frequentissimum est, quod, cum inflammatoria congestio resolvitur, pars quaedam in bronchia sibi viam parat, ut per sputa expelli possit, pars vero alia in venas traducta et cir-

Urinae notae vel bonae, vel malae.

Si levis inflammatio est, quomodo solvatur.

cumacta variis excretoriis se applicat, ut excernatur. Renes vero saepius eam recipiunt, atque excernunt urinis crassis, turbidis et copiosius emissis, quae sedimentum rubrum et lateritium deponunt. Futuram autem huiusmodi inflammationis resolutionem plerumque indicant urinae saturatiores et iumentosae, quae ad latera vitrei vasis, quo continentur et refrigescunt, albam, adhaerentem mucosamque materiem demittunt, cuticulamque in superficie exhibent eiusdem naturae, circulum quasi formantem, qui vasi adhaerescit. Nec rarum est, *peripneumoniam* et *pleuritidem quarto* vel *septimo die*, vel paulo tardius, erumpentibus *pustulis miliaribus* [7]) *critice iudicari* et solvi; quod saepius vidimus.

Quid resolutionem inflammationis praenuntiet.

Exanthemata miliaria signum bonae criseos.

1) *Aphor. XII. sect. VII.*

2) *L. c.*

3) *Aphor. XVI. sect. VI.*

4) COAC. PRAENOT. *n.* 497.

5) COAC. *n.* 579.

6) COAC. *n.* 415. 580.

7) Vide *Saggi di med. pratic. di* PIETRO PAOLO DALLARMI *P.* 2. *Giunta all' osservaz. XXXI.* Cl. LE ROY vidit *pleuritidem* cum sputo sanguinis, difficultate cubandi in latus sanum et sudoribus multis et frequentibus, non tamen foetidis, *iudicatam die quinto eruptione pustularum miliarium rubrarum, multarum et prurientium. (Melang. de physique et de medec. Prém. mém. sur les fièvres aigües. p.* 209.*). Ex sched. auct.*

Observatio Cl LE ROY.

§. CXVII.

Sputa optimae notae esse consueverunt, quae alba, laevia atque inodora sunt, quae quarta die maturescunt [1]), atque alba et subcitrina fiunt, quaeque facile et copiose prodeunt. Si tertia die appareant, brevem morbum, si tardius, longum futurum significant. Neque inter initia terrere debent sputa rufo colore et sanguineo tincta, dummodo facile excernantur, respirationem levent, et mitiorem habeant febrim comitem. Quae die septima non maturescunt, fere lethalia, aut certe ancipitem exitum reddunt Liquida et salivae instar morbi longitudinem indicant; mala sunt spu-

Sputum bonae notae.

Sub initium morbi an rufus sanguineusque color malus.

Sputum malae notae.

mosa, viscida aut aquosa, quia inutilia; deteriora, si cruenta et sincera. Liquida, viridia, nigra aut putrida *gangraenam* utplurimum et mortem imminentem praenuntiant [2]).

1) Sputum *concoctum* est puri simile *non claro, non viscido, nec nimium flavo, nec nimium cruento, nec virdi, nec livido*, ut ait HIPPOCRATES *de vict. acutor. sect. IV.*

2) Vid. COAC. PRAENOT. *n.* 13. 14. 15. 16. 17.

§. CXVIII.

Alia fausti infaustique exitus signa.

Lingua biliosa, si inter initia appareat, malum septem diebus desiturum, si vero *tertio* aut *quarto* talis fiat, ad *nonum* perventurum esse portendit. Quibus autem dolores ab initio leves sunt, et *quinto* et *sexto* intenduntur, hi plerumque ad *duodecimum* producuntur, raroque servantur; praecipue septimo et duodecimo periculum subeunt. Quod si *decimum quartum* evaserint, sani fiunt. Sani quoque fiunt illi, quibus ad *interiora auris dolor* et *abscessus oboritur*, et *pus inde dimanat*, ut BAGLIVIUS testatur. Plerumque etiam non infausti exitus est, si sanguine emisso morbus levetur, etsi deinde iterum recrudescat. Spes enim est, repetitis venae sectionibus cessurum esse.

Auris dolor et abscessus ad interiora quid.

§. CXIX.

Sequuntur prognostica signa tam prava quam bona.

Siccae, sine videlicet sputo, *pleuritides* certam perniciem plerumque minantur, nisi urinae profluvium eis superveniat. Metuendae quoque sunt ad superiora aut posteriora tendentes, nisi hae spuriae sint, et musculis exterioribus insideant (§§. CIX. CX.). Quae vero *quatuordecim* diebus non repurgantur [1]), saepe suppurationem subeunt, ni suffocent. Discipuli vero HIPPOCRATIS [2]) tempus hoc extendunt ad *duos et viginti* dies usque, quibus si non repurgentur, suppuratio imminet. Senibus atque utero gerentibus plerumque perniciosae sunt, aut abortum et partum sollicitant; nec minus periculi afferre iis consueverunt, qui in illas recidunt, aut pluries eodem morbo laborarunt, quamquam ex his quoque complures evadere non rarum sit.

Quid de senibus et utero gerentibus. Quid in recidivis.

1) Hippocr. *sect. V. aphor. VIII.*
2) *Lib. I. de morb. n.* 24.

§. CXX.

Metastaseos aut suppurationis notae.

Nec tutum est, dolorem prius evanescere, quam febrim. Eo enim desinente, si febris persistat, neque ab alia causa pendeat, aut quod peius est, subinde ingravescat, atque aliae partes novis gravibusque symptomatibus affici incipiant, alterutrum fieri solet, nimirum aut *suppuratio*, qua dolor fuit, aut tetra ad eas *metastasis*. Si vero pulsus fiat parvus, frequens atque intermittens cum sudore frigido, et post *duodecim* horas delirium subsequatur, inflammationem *gangraena* excipi et terminari perspicuum est. Si demum febris, quae adhuc pergit, cum horrore circuitus quosdam habeat, aut vespere utplurimum recrudescat, dolorque subinde, praesertim in accessionibus, iterumque delitescat, *suppuratio* certe in suspicionem venit, quam certius praedixeris, si strangulatus se hisce adiungat, et febris iam a multo tempore teneat, et sputorum sapor subdulcis percipiatur.

Signa gangraenae.

Certiora suppurationis indicia.

§. CXXI.

Malus pleuritidis in peripneumoniam transitus et quare

Malam *pleuritidis* in *peripneumoniam* mutationem dixit Hippocrates [1]), et iure profecto; nam latius inflammationem per pulmonem diffundi id ipsum significat. Inflammatione autem latius diffusa, cellulosus textus, quo vesiculae pulmonum colligantur, et vasa eorum minima inflammatorio glutine tenaci et polyposo ita replentur et inferciuntur, ut ipsa aërea spatia et vesiculae compressae aërem ad inspirandum non amplius admittere possint; quo fit, ut non solum, quia pulmones nequeunt expandi, sanguis per minimas arterias traiici non possit, atque adeo pulmonum infarctum augeat, verum etiam nervis ubique fortius sive distractis, sive dilaceratis, sive quasi praelo contusis et pressis, omnis doloris sensus pereat, eique mortalis succedat anxietas. Et reapse pulmones e flaccidis et mollibus duri et compacti fiunt, hepatis substantiam omnino aemulantes, uti eorum, qui

Stillae sanguinis e naribus, vel nimia copia malum. Pessimum signum quale.

obierunt, cadavera ostenderunt. Mala quoque est sanguinis e naribus stillatio, si pauca sit, aut si uberior vires infringat. Pessimum denique signum erit, si multum materiae in pulmonibus strepat, facies moerentem referat, atque oculi aurigine suffundantur.

1) *Aphor. XI. sect.* 2.

§. CXXII.

Pulsui bono non fidendum, et cur.

Difficilior respiratio in prognosi maxime attendenda.

Pulsui vero, qui varius, ut supra monitum est, esse potest, etsi magno et valido ac aequali, non temere fidendum est; potest enim ad ultimum usque vitae momentum spem alere, et repente nec opinanti deficere. Interdum enim ex duro, inaequali et parvo fit mollis, aequalis et magnus, qualis esse solet, qui *criticus* appellatur. Interim tamen, aucta magis magisque spirandi difficultate, aeger fere inter loquendum, aut dum loci mutationem parat moliturque, extemplo animam efflat. Itaque ad respirationem magis respiciendum est, quam ad reliqua signa. Illa quo facilior, eo prosperiorem eventum spondet, et vicissim.

§. CXXIII.

Crusta phlogistica deficiens ex BAGLIVIO, LANCISIO *et* BOERHAAVIO *quid portendat. Cur eorum opinio improbetur.*

Periculum ex defectu crustae phlogisticae non pendet ab eadem intus retenta.

Exitiosum quoque censet BAGLIVIUS, LANCISIUS et BOERHAAVIUS, si sanguis e vena missus floridus sit, et crusta albida sive *pleuritica* careat; materiem enim crassam, tenacem, concrescentem, quae prodire deberet, pulmonibus inhaerere credunt, graviusque malum inde reddi. At si quid ego iudicem, non semper huiusmodi crusta phlogistica absens peiorem morbum portendit, quia saepe altera, aut tertia, imo quarta venae sectione demum apparet, et quia multa sunt, ut demonstravit imprimis SYDENHAMIUS et HAENIUS, quae glutinis inflammatorii concretionem quominus in conspectum veniat impedire possunt. Nec ubi ab eius defectu (§. CXIV.) periculum imminet, id eidem intus retentae tribuendum forte est; a tenui enim atque acri humore, eoque ad dissolvendum idoneo tunc inflammatio

erysipelatis instar pulmones occupat, et cito ad *necrosin* perducit.

§. CXXIV.

Prognosis complicatarum, uti pleuroperipneumoniae et inflammationis mediastini et pericardii.

Multa ex his accommodari etiam possunt diversis multiplicibusque horum morborum complicationibus, hoc tantum discrimine, quod si *simplices peripneumoniae et pleuritides* ingens periculum continent, tanto maius inerit *pleuroperipneumoniae*, quocunque sensu accipiatur (§§. CIII. CXII.), aut inflammationibus utrumque pulmonem infestantibus. De *mediastini* vero et *pericardii* (§. CIII.) inflammationibus par erit ratio. Utraque enim iisdem obnoxia est vicissitudinibus, sed praeterea sputorum caret atque exscreationis auxilio. Altera vero etiam ob cordis viciniam et complicationem multo deterior est.

Curatio.

Indicationes.

Quod vero attinet ad curationem, singulae fere eandem exposcunt, quam *peripneumonia* (§§. XCVIII. IX.) et *pleuritis* (§. C. *et seq.*). Cumque ea iisdem indicationibus, quae cuiuslibet inflammationis propriae sunt [r]), inniti debeat, protinus ab initio larga sanguinis missio imperanda est, et parvis interiectis aliquot horarum intervallis eo usque repetenda, donec pulsuum durities ac impetus et symptomatum inflammationisque furor atque acerbitas se remittant, eorumque loco resolutionis et coctionis signa (§. CV.) appareant. Remitti autem inflammationem novimus, quando dolor plurimum imminuitur, respiratio liberior redditur, tussis mitior fit, pulsus ad pristinam mollitudinem redit, aequalior rariorque evadit, febrisque mitigatur, et simul sputum facilius excernitur, et urinae crassae subsidunt, aut universa cutis sudore madet. Itaque mature et liberaliter, praesertim in *pleuritide*, quae largiorem sanguinis missionem prae *peripneumonia* requirere et ferre existimatur, sanguis detrahen-

V. S.

Iteranda usque quo.

Coctionis signa.

Quantitas sanguinis mittendi.

dus est, modo vires, aetas, temperamentum, habitus corporis, anni tempus et constitutio non repugnent. Ad uncias XII. vel XV. vel etiam XX. *prima* venae sectione educere non dubitant clinici exercitatiores; imo aliqui interiecto exiguo temporis intervallo eandem quantitatem effluere ex eodem vulnere sinunt [2]), testanturque, sic confestim morbum iugulari. Virium autem habenda potissimum ratio est, utpote quae ad coctionem atque excretionem, quae per sputa plerumque in morbi *statu* et declinatione fieri debet, necessaria sunt. Praestat autem ex loco parti affectae proximiori, sive ex latere dolori respondente sanguinem mitti, cum certior promptiorque hinc sequatur *revulsio*, uti omnium ferme clinicorum experientia [3]) compertum est, atque ea repeti potest, donec doloris acerbitas, respirationis angustia et pulsus durities exposcere videntur.

Cautio.

V. S. e loco parti affectae proximiori.

1) Vide *Commentarium de inflammatione Vol. I. et alibi.*

2) Simsius *Malad. Epidem. chap. V. p.* 123.

3) Etsi sanguis ab affecto latere emissus communiter magis prosit, id vero non ita perpetuum est, ut quidam sibi persuadent. Rozierius enim (*Traité des maladies de la poitrine p.* 65.) monet, Gesnerum observasse, in *pleuritidis epidemicae* et *malignae* specie sanguinis missionem e brachio inutilem, e pede vero plurimum salutarem fuisse. *Ex sch. auct.*

Monitum et exceptio regulae circa sanguinis missionem.

§. CXXV.

Iugularium quoque sectio, quando opportuna.

Quod si tanta videatur pulmonum repletio, ut non solum *inspiratio* multum laboret, verum etiam sanguinis e capite reditus retardetur inhibeaturve, ideoque venae iugulares turgeant, facies cum livore rubeat, inexplicabilis anxietas cum pulsu obscuro et depresso delirioque accedat, non suppetit praestantius auxilium, quam alteram ex *iugularibus* incidere ac aperire. Sectio haec quam citissime caput relevat, et propius a *pulmone revellit* [1]), venam *azygam* atque adeo venam *bronchialem* exonerando.

An revulsio in morbis pectoris fieri possit.

1) *Revulsionem* in pectoris morbis nullam haberi posse contendunt plerique. At falluntur. Nam *arteria bronchialis* vel ab aorta sub arcu eius, vel a prima intercostalium inferiorum, vel ab intercostali superiori oritur. Sanguinis refluxus

per venam bronchialem et venas intercostales ad venam azygam fertur. Depletis autem axillaribus bronchialibusque per basilicam sectam venis, sanguis uberius in respondentes arterias derivatur. Hinc minus in intercostales, atque adeo in bronchialem arteriam influunt. En *revulsionem* ab ipso *pulmone*, quam nonnulli negant. Sed et *vena cava*, aliquantum hac ratione detumescente, dat venae azygae spatium, in quod se citius exoneret, facitque, ut possit ab arteriis, quae in eam desinunt, maiorem sanguinis copiam et recipere et absorbere. En quomodo inflammatus cum pulmo, tum thorax a vena sive *brachii* sive *colli* secta sublevetur; demum *bronchialis* communicat ubique cum arteriae *pulmonaris* ramusculis. Ergo etiam ab his fiat *revulsio* necesse est. Sic animadvertit Cl. Placentinus in libro *de venae sectionis usu p.* 88. *et* 89.

§. CXXVI.

Si vero id auxilii nequaquam iuverit, aut nimia colli pinguitudo, quominus administretur impedimento fuerit, nonnulli cum Aretaeo et Huxhamio suadent, sanguinem uno eodemque tempore ex utroque brachio mittendum esse, simulque aërem frigidiorem inspirandum exspirandumque, quo facilius humor e pulmone excutiatur [1]). Nec inutile est, vaporem aceti aqua calida temperati per os haurire, fomentis abdomen laxare, pedes et manus in balneum tepidum demittere, ligaturis frictionibusque artus quodammodo irritare.

V. S. synchrona in utroque brachio.

Aër frigidus et vapores inspirandi.

Revellentia.

1) *Arteriotomiam* a nonnullis hic proponi, posseque eam emolumento esse, animadvertit Cl. Rozierius loco citato. Sed monet, hanc vix sine periculo, nisi in *arteria temporali* fieri. Non enim imitandum censet Avenzoarem, qui pectoris inflammatione laborans, sibi *radialem* arteriam bono eventu secuit. *Ex sch. auct.*

Arteriotomia quo loco facienda.

§. CXXVII.

Interdum accidit ob celerem virium vitalium lapsum, qui sanguinis missionem in malignis praesertim subsequitur, ut vena, quousque opus esset, secari non possit, aut peculiaris aut epidemicae constitutionis conditio eam non ferat. Tunc post primam, vel alteram leviorem sanguinis missionem, vel etiam continuo ab initio expedit, cucurbitulas tam siccas, quam scarificatas dorso et pectori admovere, aut hi-

Cautio circa venaesectionem, si virium lapsus adsit.

Cucurbitulae tam siccae, quam scarificatae.

Hirudinum

applicatio haemorrhoidibus. rudines haemorrhoidibus, in iis praecipue, qui earum fluxui assueti sunt, applicare, et tantum sanguinis haurire, quantum vires ferant, et urgens morbi vis requirat. *Cautio circa sanguinis missionem in peripneumonia a metastasi.* Cautissime etiam sanguis mittendus est in ea, quae *a metastasi* oritur, *peripneumonia*, si vires iam fuerint fractae, et pulsuum magnitudo et totius habitus bonitas animum non faciant. *An V. S. post quartum diem.* Sunt etiam qui non ultra diem *quartum* secandam venam praecipiunt, metuentes coctionem sputorumque, quibus morbus solvi solet, excretionem impedire. *Non semper fit coctio morbi intra 4. diem.* At quamvis intra diem quartum saepe morbus ad coctionem perveniat, id tamen non omnibus commune est. Non raro hosce limites excedit morbi vis, et longius producitur eius cruditas. Quando id incidit, quovis tempore (dummodo gravia symptomata inflammationis crudae et saevientis, praesertim dolor, difficilis respiratio, febris magna et pulsus vehementes atque duri perseverent) detrahendus sanguis est, quemadmodum expertissimi clinicorum facere consueverunt. *Sanguis mitti potest recrudescente morbo, etiam post VII. XIX. XX. et ulteriores dies.* Imo id omitti haud debet etiam tum, cum inflammatio, postquam iam conquieverat, iterum recrudescat, quaecunque demum fuerit dies, *septima* nimirum, *quartadecima* et *vigesima*, aut alia ulterior.

§. CXXVIII.

V. S. ad praecavendam peripneumoniam. Sanguinis igitur missio cum inflammationibus habeatur auxilium longe praestantissimum, sic ut in ea maxime confidendum sit, et sine ea vix aliquid boni praestent cuncta alia artis adiumenta, sequitur, ut vel in ipso peripneumoniae imminentis metu locum habere debeat ad hanc videlicet praecavendam. *Abstinendum a venae sectione, quando natura suis viribus opus salutis perficiat.* Interdum tamen morbus adeo levis est, febris ita exigua et moderata, respiratio vix laborat, sputum protinus ab initio flavum et striis sanguineis intermixtum libere prodit, aut urina hypostasin albam copiosamque deponit, aut biliosa multa alvo egeruntur, et cutis universa sudore perfunditur, atque hinc pectoris gravitas aut dolor ita remittitur, ut inflammationem resolvi pateat; quo in casu sanguinis missionem praetermitti posse plerique au-

tumant, ne utile ipsius naturae opus innopportune interturbetur. Idque eo magis tenendum est, quominus resolutioni se opponere videatur laxa solidarum et fluidarum partium constitutio et corporis benigna temperies.

Quo in casu id maxime attendendum.

§. CXXIX.

Alienum quoque est in eo casu (§. CXXVIII.) quamcunque aliam evacuationem moliri. Id unum tunc curandum est, ut salubres naturae motus conatusque perficiantur. Quod praestant aëris tepor eiusque iterata renovatio, aquae calidae vapor inspiratus, potus diluens, saponaceus, temperans calide haustus, blandi clysteres in anum immissi, abdomini admota fomenta quae molliunt, animi et corporis quies, victus tenuis atque omnia alia, quae meatus laxant et reserant, humores temperant, mulcent et solvunt, et materiae haerentis aut corruptae per sputa, urinas, sudores, excretionem promovent atque adiuvant.

Tunc inutilis quaelibet alia evacuatio ab arte promota.
Quid ars praestare debeat.

§. CXXX.

Dolori autem pleuritico leniendo valent extrinsecus admota quae molliunt et discutiunt, aut reprimunt, spongia nempe ex decocto malvae, chamaemeli, meliloti, florum sambuci (aceti tantillo adiecto) expressa, vesica oleo aut lacte semiplena, cataplasmata ex radicibus althaeae, foliis malvae, seminibus lini et foenugraeci lege artis parata, linimenta ex unguento populeo, aut oleo violarum, nymphaeae, hyoscyami similibusque, et si valentius discutere velimus quam relaxare, his camphoram et crocum adiicere oportet. SWIETENIUS pannos laneos decocto emollienti, cui sapo adiectus sit, aut lacte aqua diluto imbutos admoveri iubebat, renovarique saepe, ne frigescendo nocerent. Imo lateres calentes desuper dabat hunc in finem. Dosis saponis est semuncia pro qualibet libra decocti. Si vero per haec dolor non remittat, nec cedat, dolenti loco, cute profunde incisa, admoveri cucurbitula debet, et quantum fieri potest sanguinis detrahi. Sic enim quam proxime et sine virium dispendio

Quae dolori leniendo conveniant.
Emollientia et discutientia.
Camphora, crocus, sapo etc.
Cucurbitulae, cuti profunde incidendae applicatio.

Cantharides. inflammatae parti, sive ea sit interior, sive exterior, succurritur. Utilissime etiam, ut iamdiu notissimum est, emplastrum ex *cantharidibus* imponitur, quod egregie cum discutit et resolvit, tum ulcere inducto extrorsum humorum allicit cursum. Sed haec utilius adhiberi in ea *pleuritide*, quae continentibus thoracis partibus insidet (§§. C. et CX.), et praesertim, quae a dolore *rheumatico* (§. CXI.) fit, et a frigore suscepto orta est, quam in ea, quae *pulmones* solum tenet, verosimillimum est, quamquam negari haud possit, aliqua revellendi laude praestare in hac etiam, atque in ipsa *pleuroperipneumonia* (§§. CIII. CXII.), quod avocata fortasse ad thoracica exteriora vasa maiori sanguinis copia, tanto minor fiat eius ad interiora, et speciatim ad arteriam bronchialem, ideoque ad pulmonem appulsus. At quacunque demum id ratione contingat, illud experientia compertissimum est, huiusmodi praesidia citissime atque incantamenti instar dolorem interdum fugare. At si cantharides nulla praemissa venae sectione, aut post sanguinem semel tantummodo missum applicitae extemplo dolorem discusserint, nec sudore aut alia critica excretione morbida materies e corpore prodierit, prudentis medici erit, venam iterum aperire, ne metastasi malum alias partes corripiat [1]).

Animadversio.

1) Rozier. *l. c.*

§. CXXXI.

Quod si dolor atrocius excrucians perpetuas vigilias inferat, aut nervorum consensu cor spasmodice, ut aiunt, lacessi ita incipiat, ut pulsus parvi, celeres, profundi evadant, respiratioque praecludi videatur, necesse est, ut ad παρηγορικὰ confugiatur. Ex his opium crudum, aut laudanum liquidum Sydenhamii, aut pilulae de cynoglosso, aut diascordium Fracastorii, aut syrupus de meconio tamquam usu et nostra etiam observatione saepius comprobata imprimis excellunt; eoque erunt opportuniora, si tussis quoque molestior compesci debeat. Tanta enim est interdum inflammatoriae causae acritudo, et tanta partium laborantium irritabilitas,

Probatiora.

bilitas, ut perpetuum ad tussim siccam incitamentum percipiatur, omnemque pectori atque aegrotanti adimat quietem. Quo in casu utendum est praeterea demulcentibus, anodynis atque oleosis. Decocta igitur radicis althaeae, aut hordei, aut saleb, mucilagines gummi tragacanthae, aut arabici, aut seminum psyllii, foenugraeci, bismalvae, emulsiones ex amygdalis dulcibus et seminibus papaveris albi, linctus ex oleo lini, aut amygdalino recenti et syrupo papaveris erratici, vel althaeae in usum veniant. Ubi vero magnus pulmonum infarctus est, a quo, si somnus vi accersatur, suffocationis periculum instare possit, aut ubi coctionis signa adsunt, facilisque sputorum excretio est, cavendum est ab iis, quae opium habent, aut certe iis cautissime utendum. Sputa enim supprimi, et aeger suffocari opio possunt [1]). *Decocta.* *Gummi.* *Emulsa.* *Linctus.* *Cautio circa usum opii.*

1) *Opio vis narcotica adimitur, si methodo utaris a* Cl. BOUCQUETO *tradita, quam describit auctor noster in adnotatis ad* §. 232. *C. VII. Vol. III.*

§. CXXXII.

Post unam vel alteram sanguinis missionem, si amarus oris sapor, lingua viscido muco obducta, nausea aliaque cruditatis aut putridae in primis viis saburrae adsint indicia, aut alvus compressa sit, lenienti aliquo medicamento eam solvere oportet. Inanis autem timor est quorundam, ne per alvi ductionem exspuitio in hisce morbis pernecessaria inhibeatur, dummodo alvus in principio et morbi cruditate mitioribus medicamentis, quae nec exagitent, nec valentius agant, subducatur. Oleum ex seminibus lini, olivis aut amygdalis dulcibus sine ignis ope expressum, manna, cassia, passulae praeparatae, sal mirabile *Glauberi*, serum lactis cremori tartari aut tamarindis incoctis alteratum, syrupus aureus *solutivus* commodissime adhibentur, et tunc praesertim, cum coacervata et stagnans in duodeno vicinisque locis biliosa colluvies deturbanda sit. Tutissima vero omnium etiam in morbi progressu omnibusque eius stadiis sunt enemata. Haec innoxie alvum servant apertam, et clausam opportune aperiunt non sine magno morbi levamine. *Quando alvus ducenda.* *An alvi ductione exspuitio impediatur.* *Blanda proponuntur ad alvi ductionem.* *Enemata.*

§. CXXXIII.

Temperantia, demulcentia et resolventia.

Praeter sanguinis iteratam detractionem [1]), quousque refracta sit inflammationis vis, et praeter alvi ductionem, qua a sordibus primae viae liberentur, humorumque fluxus ad inferiora provocetur, illud quoque sedulo curandum est, ut solidis partibus laxitas quaedam inducatur, sanguinis fervor temperetur, acritudo obtundatur, lentor, si quis est, diluatur solvaturque ptisana ex hordeo, vel avena affatim et calide potui data, dilutis florum violarum, papaveris rhoeados, bellidis minoris, sambuci, verbasci, decoctis radicum graminis, glycyrrhizae, malvae, althaeae, passularum, iuiubarum, emulsis ex seminibus frigidis, quibus pro re nata adiicienda sunt, quae leniter attenuant, incidunt, et saponacea virtute resolvunt, uti nitrum purificatum aut stibiatum mel, oxymel simplex, roob baccarum sambuci, syrupus ex aceto et succo mali medici, violarum, ribesiorum, berberum aliorumque similium fructuum, quibus non solum facilius haerens inflammatoria materies discutitur, verum etiam sanguinis serique ad concrescendum proclivtas emendatur.

Decocta et diluta.

Incidentia et attenuantia.

Monitum de sanguinis mittendi quantitate.

1) Quantitas sanguinis, quae detrahi debet, varianda sane est pro diversa aetatis, temperamenti, habitus corporis, tempestatis, constitutionis ratione. In adultis SYDENHAMIUS XL. uncias non excedebat. Sed nostris in regionibus, quando *exquisita* et *legitima* est *pleuritis* aut *peripneumonia*, et pertinacior perstat, et vires satis firmae et validae, temperamentumque sanguineum concurrant, saepe ad LX., LXXX. et ultra ascendere solent. Neque pueritia ab eiusmodi evacuatione secludenda est. Pueris enim, servata proportione, non semel tantum, sed iterum, et tertio vena similiter secari debet, secarique solet maximo cum emolumento.

§. CXXXIV.

Alia incidentia et resolventia. Calegualа. Polygala. Carduus benedictus aliaque diaphoretica

Eo etiam spectant antimonium diaphoreticum non ablutum, camphora, spiritus MINDERERI, radix calegualae, polygalae virginianae vel nostratis [1]), filicis maris ex aqua decocta, diluta summitatum cardui benedicti [2]), genepi Taurinensium, herbae scabiosae, veronicae etc., quibus illud etiam conficitur, ut sudor leniter motus a centro ad cir-

cumferentiam vim morbi utiliter avertat expellatque. Quod praecipue proficuum est, quando coctionis signa iam in urinis saltem appareant. Neque omnino hic excludendae videntur *gelatinae* c. c. acido succo citrei aut mali medici imbutae, et in longiori aquei potus copia solutae, utpote quae diaphoresin promovere dicuntur. Laudantur passim oculi cancrorum, dens apri, sanguis hircinus, quae hodie uti vana et futilia antipleuritica iure a sanioribus medicis flocci fiunt. Hisce addunt nonnulli sperma ceti, de cuius tamen molliendi resolvendique facultate exstant apud clinicos documenta non levia.

quando utilia.

C. C. gelatinae.

Futilia quaedam antipleuritica.

Quid de spermate ceti.

1) *Polygala* utraque tam *virginiana*, quam *nostras* incidens et expectorans est. Eius laudes celebrant D. Tennent *Mém. de la Société Roy. ann.* 1739 et magis adhuc D. Bouvart *ibid. ann.* 1744. Imprimis laudatur in curatione pleuritidis *siccae*, videturque quidpiam continere *specifici*. Vomitum prima vice excitare solet, deinde alvum movet, sputa elicit, citoque etiam urinas ciet. Modus eam adhibendi huiusmodi est. Rec. *Polygalae virginianae unc. unam. Decoq. in aq. comm. pinta* j. *ad medietat. consumption. Coletur. dentur* ij. *vel* iij. *cochlearia singulis horis.* Etiam D. Paul eam plurimum commendat in suo *de peripneumon. tractatu.* Vid. *Extract. litterat. Europ. T. III. ann.* 1762. *Ex sch. auct.*

2) „In gravissima pleuritide, praemissa larga sanguinis missione *(inquit* Langeus *Miscell. veritat. fascicul. I.* 75. 76.*)*, ac pro circumstantiarum ratione repetita in latere dolente, non obstante fato, senectute, diaetae vitio, aut contagione virulenta *solo extracto cardui benedicti* ad minimum in dies singulos ad *scrup.* IV. dato sanitatem millies reddidi. Id vero iam Geoffroyo notum fuit, qui huius plantae necessitatem Parisiis in *pleuritide* observavit.“ *Ex sched. auct.*

CXXXV.

Sputum, quo solvi saepe morbus debet, non raro ob nimiam visciditatem et cohaerentiam vix educi potest, imo difficillime exscreatur. Interdum etiam *irritabilitate* aut *sensibilitate* fatiscentibus omnino supprimitur. Tunc, praeter saturatius polygalae aut dulcamarae decoctum, cuius aliquot cochlearia subinde danda sunt, ad oxymel scilliticum, syrupum nicotianae, de erysimo Lobelii, ad spiritum fuliginis, salis ammoniaci, ad kermes mi-

Expectorantia praecipua.

nerale, radicem helenii aut iridis florentinae prudenter confugiendum est. Nonnulli tincturam cantharidum intrinsecus etiam dare non reformidant [1]). Verum tutius est cantharides cuti admovere, ut vesicas excitent. Sic enim non modo extrorsus malum avocant, et languentem solidarum partium vim sollicitant, sed lentos quoque humores immisso sale caustico dissolvunt, atque ad excretiones organa omnia incitant [2]).

Vesicantia.

1) Fantili *Breve istoria di due mediche osservazioni ec. Faenza* 1777.

2) Usum vesicatoriorum in *pleuritide* commendat D. Mareta (*Mém. de l'Acad. de Dijon. T. I. p.* 93.) Monet tamen in *spuria* adhiberi posse, quin praemissa sit venae sectio, quam in *vera* necessario requirit. *Ex sch. auct.*

§. CXXXVI.

Quo loco applicanda, et quando.

Quam ob rem pectori, brachiis, femoribus, suris, plantis pedum apponi possunt etiam in morbi principio, ubi venae sectioni minor locus sit (§. CXXXI.), aut ubi sputa aegre prodeant (§. CXXXIV.), aut dolor atrocius urgeat. Tantae enim iis vires sunt, ut quamplurimos ab orci faucibus eripuisse pluries visae sint. Non parum vero constitutio et temporum, et regionum, et aegrotantium confert, ut haec beneficia praestent. Nam interdum his nihil omnino proficitur, nisi etiam velis noxam afferri. Scire autem licet, sputa quandoque alia de causa, nempe recrudescente inflammationis acerbitate, supprimi. Quod ubi accidit, febris et dolor, et spirandi difficultas, et reliqua symptomata excandescunt. Tunc si pulsus sint validi, duri aut magni, viresque non deficiant, nihil praestantius sputo revocando est, quam sanguinem iterum detrahere, deinde ad ea properare, quae supra (§. XXX. *et seqq.*) proposuimus.

Quando sputa supprimuntur, quomodo revocanda.

§. CXXXVII.

Curatio peripneumoniae spuriae veterum.

Huc usque de *verae* peripneumoniae et pleuritidis curatione. At non omnia semper praesidia, quae recensui, in usum trahi opus est. Saepe sola venae sectio et copiosus

aquae diluens potus sufficiunt. *Peripneumonia* vero *spuria veterum* (§. CVIII.), quam NIC. PISO descripsit, parcam et repetitam sanguinis missionem, demulcentia et involventia, sive incrassantia, lenia eccoprotica ex cassia et manna, epispastica, revellentia atque attemperantia, uti serum lactis et lac ipsum videtur requirere. *Peripneumoniae* autem pariter *spuriae*, quam *pituitosam* RIVERIUS et *notham* SYDENHAMIUS vocavit, conveniunt quidem sanguinis missiones, sed non ita repetitae, veluti etiam lenia cathartica, aut certe mitia emetica, et omne genus revellentium incidentiumque (§§. CXXXIII. CXXXIV. CXXXV.). *Maligna et gangraenosa* (§§. CXIII. CXIV.) vix unicam fert sanguinis missionem, et quidem statim ab exordiis administrandam. Repetita enim vires plerumque prosternit, anxietatem adauget, vigilias deliriumque mox affert, tremores item, sudores frigidos ac mortem denique inter gemitus et colloquia inopinatam. Interdum tamen constitutiones quaedam epidemicae observantur, quae magis favent sanguinis missioni. Sed hic quoque summa prudentia opus est. Ceterum post sanguinem illico inter initia missum, vomitus tartaro emetico magna aquae copia diluto, et partitis vicibus propinato, vel oxymelle scillitico, vel ipecacuanha semel iterumque eieatur. Deinde *alexipharmaca* et *antiseptica* usurpentur. Camphora, chinachina, scordium, chamaemelum hic excellunt. Vapor praeterea ex aqua spiritu salis ammoniaci imbuta, ex resinis leviter crematis assidue inspiretur. Mature autem cantharidibus pectori et cruribus admotis vis morbi extrorsum elicienda est. In his etiam gangraenosis malignisque pectoris morbis paulo largius nutriri aegros expedit, et vino etiam dato recreare.

Parcior s. m.
Demulcentia, involventia etc.
Revellentia et, temperantia.
Curatio pituitosae RIVERII, *sive nothae* SYDENHAMII.
Parcior s. m.
Revellentia.
Curatio malignae et gangraenosae.
V. S. vix una initio morbi.
Exceptio.
Emetica.
Alexipharmaca, antiseptica.
Qui vapores inspirandi.
Vesicantia.
Victus et potus ratio.

§. CXXXVIII.

Ita vero variant huiusmodi morbi (§. CXXXVII.) peculiares *constitutiones* ab auctoribus in lucem editae, ut singulas recensere longissimum esset [1]). Et quod caput est, saepe vel praestantissimam medendi rationem eludunt, imo

Multiplices morbi constitutiones epidemicae.
Fallax me-

dendi ratio plerumque est. *Quid agendum.*

illud, quod olim profuit, in alia novaque epidemia nequaquam bene vertit. Hinc medicus, licet peritissimus, saepe haeret dubius, hoc potius, an illo utatur artis auxilio. Itaque inquirat necesse est in peculiarem morbi grassantis indolem *epidemicumque characterem*, et quasi tentando naturam ipsam interroget, ut aptum possit invenire et seligere curationis genus.

1) In laudato *Recueil d'observations de médec.* saepe occurrunt *epidemicae constitutiones* legendae. Praeter supra allatam a DEPLAIGNIO *l. c.*, describitur *ibid Octobr.* 1757. *p.* 295. alia, quae observata Telone est. Vide ibid. *Ex sched. auct.*

§. CXXXIX.

Erysipelatis pulmonum curatio. *V. S. saepe noxia.* *Item in biliosis tam primariis, quam secundariis.* *Cur noxia V. S.* *Frigidus potus.* *Eccoprotica et subacida.*

Nunc venio ad eam speciem, quam *erysipelas pulmonum* (§. CXV.) vocant. In hac cautissime sanguis educi debet; saepe enim nocet. Nocet quoque in *biliosis* pleuritidibus tam *primariis*, quam *secundariis*, in quibus emetica et eccoprotica praestant. Cum enim summa humorum tenuitas et *calida acritudo* morbum faciat, non gluten illud phlogisticum, quo sanguis ad concrescendum cohaerendumque pronus est, reperitur, nec viscera defunctorum mucosa membrana (§. CVI.) obducuntur, ut calore opus sit, quo diffluat. Praeter parciorem igitur sanguinis missionem, tunc frigidis potionibus [1]) uti praesertim licet, quandoquidem regio, temperamentum, aetas, anni tempus vehementer fervent, vel solidae partes ita languent, ut ad pristinum robur nisi frigido potu redire nequeant. Tunc etiam eccoprotica diluentibus interponenda sunt, subacida imprimis, ut biliosa sive fervens colluvies alvo deturbetur. In his tamarindi, cremor tartari, serum lactis acidulatum primas tenent.

1) Aqua frigida usus est in pleuritide (fortasse *erysipelatode*) BERTINIUS feliciter. MAR. GHISI *lett. med. Lett. I. p.* 33. *Ex sch. auct.* Videsis DEPLAIGNII methodum. *Recueil d'observations de médec. T. VII. Juillet p.* 168.

§. CXL.

Acida fossilia tam in erysipelate

Interdum non modo in *erysipelate pulmonum*, sed etiam in *peripneumoniis* et *pleuritidibus biliosis* et ardenti-

pulmonis, quam in biliosis ardentibusque pleuritidibus. Edulcanda et aqua superbibenda.

bus quibuscunque febris adeo vehemens est, ut sanguine etiam pluries detracto, parum aut nihil remittat, et arteriae creberrimis validissimisque micatibus tangentis medici digitos repellere pergant. Ad hunc febris concitatiorem motum compescendum aptissimum credo spiritum sulphuris sextuplo syrupi violarum edulcatum, et singulis horis ad cochlear unum sumendum, longa semper aquae copia desuper hausta; quod remedii genus a TISSOTIO etiam propositum video. Acida enimvero omnia vim cordis irritabilem potenter imminuunt, acritatem alcalescentem emendant, sanguinisque fervorem egregie refraenant [1]). Quare ubi immoderatus motus excedit, facile hisce refringi poterit. Verum acida acriora tussim exasperant, et quae e fossilibus depromuntur etiam sanguinem cogunt, aut ad concrescendum reddunt proniorem [2]). Cautissimus igitur eorum usus sit, neque sine prudentis hominis examine indiscriminatim proponendus.

Vis acidorum irritabilitati officit.

Cautio circa usum acidorum fossilium.

1) Vid. *Vol. I. de Febrib.* §. *CCXCV. et Vol. II.* §. *CCLXXI. in nota* 4. ibi apposita.

2) Vid. *Vol. IV. de morb. pector.* §. *XXXIV. et l. c. Vol. I. et Vol. II.* §. *CXXX.*

§. CXLI.

Curatio pleuritidum notharum.

Pleuritidi a nobis *nothae* dictae (§. CX.) fere eadem conveniunt, quae adversus *veram* iam §. CXXIV. et sequentibus commendavimus. At nisi haec resolvatur, facile in abscessum abit, qui ad exteriora prorumpens molli tumore saepe se prodit, et ferro tunc aperiri debet ad citam puris evacuationem [1]). *Notha* vero, quae *rheumatica* etiam dici potest (§. CXI.), ut rheumaticae affectiones curanda est, nempe una vel altera sanguinis missione, cucurbitulis tam siccis, quam scarificatis, fomentis emollientibus, lenibus eccoproticis et demum diluentibus ac blande diaphoresin promoventibus. *Dolores* porro fixi, et sine febre, qui *scorbuticos, venereos* atque *hypochondriacos* (§. CXI.) affligunt, cum alterius morbi effectus sint, a morbo primario curationem exspectant. Hinc medicus antiscorbuticis, antivene-

Rheumaticae.

Dolores scorbutici, venerei et hypochondriaci qui curentur.

reis, antihypochondriacis, carminativis atque alvum lenientibus eos oppugnet. *Si sine febre dolor.* Quandoque dolor lateris etiam sine febre adeo acerbus est, adeoque defixas radices habet, ut illinc amoveri non possit, nisi applicitis (§. CXXX.) et praesertim cantharidibus, ulcereque inducto diutiusque manante. *Curatio doloris convulsivi.* Id auxilii genus etiam profuit, quando dolor nervis costalibus insederit, *convulsivusque* videretur. Ceterum *convulsivus* emollientia, anthysterica atque anodyna expostulat. *Gastricae et verminosae.* Emeticis et alvum lenientibus atque anthelminthicis praecipue locus est, cum a cacochylia, a bile, a vermibus (§. CXI.) malum oritur. *Symptomaticae febris intermittentis.* Si a febre intermittente gignitur, et periodice recurrit, post sanguinis missionem expiatasque primas vias audacter ad corticem peruvianum deveniendum est [2]). *Supervenientis morbillis et variolis. Cita V. S.* *Variolis* et *morbillis* (§. CXII.) superveniens secta quam citissime vena profligari debet, ne dilatata ope subitanea morte negligentia mulctetur. *Aliarum, quae symptomaticae et secundariae sunt.* Reliquae *secundariae* et *symptomaticae* (§. CXII.) sic tractandae sunt, tamquam a febre *putrida* aut *biliosa* aut *gastrica*, ab *arthritide* aut *rheumatismo*, a *phthisi pulmonari*, a *miasmate miliari*, a *catarrho*, a *metastasi*, ab *hydrothorace*, a *lacte* aut *lochiis suppressis* aliisque morbis pendentes. *Monitum utilissimum, ne secundarius sumatur pro primario morbo.* Hic vero opportunum videtur animadvertere, non satis diligentes accuratosque medicos, cum in *pleuritides putridas biliosasque* incidunt, quae a primarum viarum putrida saburra originem ducunt, aut febrium biliosarum symptomata sunt, saepe eas pro *primario* morbo et sumere et curare, neminem fere servantes. Id in *epidemicis* quibusdam *constitutionibus* praesertim evenit, in quibus, qui morbi naturam assequuntur, parciori et cauta manu sanguinem fundunt, aut emeticis aut eccoproticis magis confidunt, sicque plerosque ab exitio praeservant.

1) Vide nostram additionem, sive — *Giunta alla osservazione XXVIII. della Part.* 2. *de Saggi di medicina pratica di* Pier-Paolo Dallarmi.

2) Vide item aliam — *Giunta al consulto* 3. *Part. III.* eiusdem operis *Faventiae* editi in 4.

DE VOMICA, EMPYEMATE, SCIRRHO ET GANGRAENA.

§. CXLII.

Morbi transitus in alios morbos chronicos.

Quaecunque tamen adhibita fuerit curandi ratio, interdum tanta vis morbi est, ut vel brevi occidat, vel in lenta alia mala transitum faciat. Itaque pulmonum aut thoracis inflammatio, quando intra dies *quatuordecim* aut *viginti duos* non resolvitur, nec per exspuitionem repurgatur, HIPPOCRATE monente [1]) in *suppurationem* abit. Si pus inde confectum non exscreetur simulac conficitur, sed intra pulmones peculiari in loco, quasi in cystide quadam coacervetur, *vomica* is abscessus dicitur [2]); quemadmodum *vomica* etiam appellari solet similis puris collectio, quae *tubercula* pulmonaria, aut catarrhalem congestionem suppuratam, vulnus, contusionem, haemoptysin subsequitur, aut quocunque alio in viscere fit. Si vero pus in thoracis cavum e pulmonibus aut pleura delabatur, spatiumque illud vacuum oppleat, morbus fit, quem ἐμπύημα vocamus; quamquam *empyematis* quoque nomen obtineat pus in cavo thoracis collectum, undecunque profluxerit, sive a *mediastino*, sive a *pericardio*, sive a *diaphragmate*, aut *hepate*, aut *liene* ipso, sive ab effusis in cavum pectoris humoribus, ibique putrescentibus pronascatur. *Empyema* ex suppurato atque exeso *pericardio* vidit FRID. CASIMIRUS MEDICUS [3]), a pure ex *hepatis* abscessu per arrosum diaphragma in cavum thoracis effuso refert MORGAGNIUS [4]), ex *liene* simili modo pus in sinistrum pectoris cavum per erosum perforatumque diaphragma eructante vidi egomet ipse, et sectione cadaveris confirmavi. Cognovi vero ex tumore *lienis*, qui dolore inflammatorio laboraverat, repente evanescente, et inde aucta difficili respiratione, maioreque puris copia ex foramine, quod in latere thoracis sinistro ob *suppuratam pleuritidem* apertum fuerat, profluente.

Suppuratio.

Vomica.

Observationes. Supparati pericardii, hepatis et lienis.

Observatio auctoris. Quomodo cognoscatur.

1) *Lib. I. de morb. n.* 24.

2) *Observat. med. T. II. p.* 648.

3) *De sed. et caus. morb. Epist.* 26. *n.* 4.

RICHAE *observationes de vomicarum natura.*

4) CAROLUS RICHA (*Constit. epid. Taurin. alter.*) describit pleuritides et peripneumonias, quae erysipelata epidemice vagantia subsecutae sunt, facile in *vomicas* transeuntes. Ibi §. LXI. narrat, monialem quandam *folliculum vomicae* etiam expulisse. Vocat vomicas *folliculatas* eas, quae ex aliqua pulmonari vesicula expansa et pure plena constant. Putat vasa circum vesiculas ludentia effundere posse sanguinem in ipsarum aliquam, ibique collectum pus conficere. 1) Et §. LXIII. pus fieri inquit vel a sanguine, vel a lympha, et pro varia materie, unde fit, varium quoque esse. Distinguit etiam verum pus a purulento. *Ex sch. auct.*

5) Etiam in pericardio effundi sanguinem posse sine ulla ruptura, patet ex *observatione* GUIL. THOMPSON, quae exstat in *Comm. Lips. Vol. XVIII. P.* 3. *p.* 404. *Ex sch. auct.*

§. CXLIII.

Suppurationis indicia.

Fieri autem suppurationem (§. CXLII.) indicium est, si dolore, qui prius torquebat, cessante, febris non desinat, quinimo sine manifesta causa inordinate exacerbetur, interdiu mitior, vesperi gravior rigoribusque interdum, genarum deinde rubore stipetur, demum doloris loco, qua antea erat, pondus percipiatur. Praeterea si sputum, quod exigua quidem copia eiicitur, iam ab initio magna tussi exscreetur, et salsum sit, deinde dulcius videatur, atque anima foeteat, respirationisque difficultas perseveret. *Puris facti.* Facto iam pure sive suppuratione absoluta, sudores multi et tenues circa pectus aut collum et cervicem erumpunt, tussis et tussiendi cupiditas sine notabili exspuitione vexat, oculi cavi atque ungues adunci fiunt, malae rubent, summi digiti praeter modum calent, appetitus prosternitur et deficit, alvus quandoque liquescit, et passim pustulae toto corpore erumpunt. Quod si in alterutro tantum latere suppuratio contigerit, aegrotans, quando in sanum se convertit, percipit quasi desuper suspensi ac impendentis ponderis sensum; latus etiam, in quo suppuratio facta est, et pondus insidet, altero calidius esse consuevit, et saepe dolet, exteriusque intumescit. *Empyematis signa.* Effusum porro in thoracis cavum pus fluctuatione aut strepitu,

dum corpus vel concutitur, vel circumvolvitur, se prodit, nisi plenissima omnia sint; quo casu nulla fluctuatio nullusque strepitus percipi posse videtur. Sed tum summa saltem inspirandi difficultas et febris lenta perpetuo tenet, diaphragma deprimitur, depressumque hypochondriorum atque epigastrii regionem cum ponderis sensu attollit, extrorsumque propellit, ut obstructiones aut asciten [1]) mentiatur, quod saepe observare mihi contigit, pedes et saepe etiam facies tument, urinae aliquid sedimenti albi, foetentis aut viscidi deponunt, sapor quidam putridus os inficit, similisque halitus inde emanat, macie corpus contabescit, atque alia fiunt, quae tabidis propria sunt. Difficilem vero respirationem, quae *empyematis* indivisibile signum quibusdam visa est, interdum abesse, facilemque in utrumque latus decubitum in huiusmodi morbo fuisse testantur cel. virorum observationes [2]). Denique, si AUENBRUGGERO [3]) fides habenda est, thorax in *empyemate*, inferiori et postica parte percussus, obscurum et mutum sonitum reddit.

An difficilis respiratio pathognomonicum signum.

1) SWIETENIUS §. 302. 303.

2) PANAROLII nimirum, MARCHETII, DRANII, MORGAGNII aliorumque. Vid. *Giornal. medic. veneto T. II. p.* 350.

3) *p.* 79.

§. CXLIV.

Vomicae plerumque rumpuntur *vigesimo* die, ex quo primum dolorem aut gravitatem aeger sensit, aut febricitavit, aut rigore prehensus est; interdum *quadragesimo*, imo etiam *sexagesimo*, uti ex *Coacis praenotionibus* habemus. Multo etiam tardius eas nos disrumpi vidimus, nimirum *tertio* usque a morbi principio *mense*, aegro deinde perfecte restituto. Illi autem servari solent, qui statim post vomicae ruptionem a febre liberi evadunt, pus album, odoris expers, leve, non variegatum, coctum facile et cito exscreant, nec alvi fluxu corripiuntur. Secus, quibus contraria accidunt.

Vomica quando rumpatur.

Boni exitus signa.

§. CXLV.

Vomica latens et a nulla causa manifesta genita.

Quae sensim et sine manifesta causa, sive sponte gignitur *vomica*, ita interdum latet, ut, monente TULPIO, vix ulla sui proferat indicia. Ceterum primum tussicula sissa, deinde humida eam comitatur. Postea spiritus difficilius trahitur, deficit anima, atque emarcescit corpus, licet interim nec pus, nec sanguinem sputa prae se ferant. HOFFMANNUS vero [1]) hisce notis eam significari scribit, diuturno fixo et comprimente spiritus dolore, qui nec per sputa, nec per sectionem venae, nec per alia remedia resolventia mitescit, nec tollitur, sed cum tussi sicca, pulsu celeri, halitus foetore, marcore corporis, virium languore, appetitu deiecto, largo sudore persistit. Magnitudo vomicae ex maiori spiritus angustia, ingenti anxietate, pulsu duro, quandoque erecto corpore intermittente dignoscitur. Verum Cl. UNZERUS [2]) signa *vomicae* incerta omnino esse, multiplici experientia demonstravit. Illud tamen fere constantissimum est, rigorem et febrim accedere, quando ruptioni propior est.

Huius notae ab HOFFMANNO descriptae.

Non tamen certa eius signa sunt.

1) *Med. systematic.*

2) *Promptuar. Hamburg. T. IX. p.* 309. Vide *Comment. Lipsiens. Vol. II. p.* 3. *p.* 480.

§. CXLVI.

Disruptae vomicae effectus tam boni, quam mali.

Rupta vero vomica vel subito pereunt suffocati, dum copiosum pus repente impellit, obstruitque aërea pulmonis vasa, vel si primum hoc discrimen effugerint, paulo post, illico prostratis omnibus vitae viribus, deficiunt [1]), aut lenta [2]) tabe pereunt. Constat tamen testimonio ac observatione cel. virorum, longe plures evadere ex *vomica*, quae *peripneumoniae* aut *pleuritidi* succedit, licet ingens puris copia simul et semel erumpat, quam ubi pus ex minoribus abscessibus effundatur [3]). *Empyema* raro absorptione et diadoche solvi visum est; rarissime per exesos pulmones sibi viam parat, exspuiturque; saepius pleuram musculosque intercostales traiicit, forasque sensim producitur.

Quomodo resolvatur empyema.

1) SWIETENIUS §. 1204. 1205.

2) HIPPOCRAT. MEADII, SWIETENII aliorum et nostra quoque experientia. Vid. SWIETEN. §. 2106.

2) Vid. DALLARMIUM *Saggi di med. pratic.* P. 3. *p.* 262. *et* 263. WILLISIUS observavit quandam speciem *vomicarum*, quae *callosae* sunt, et fundunt pus per plures annos. *Vomicae chronicae exempla.*

4) Vid. RICHA §. *LXII.* cit. *Constitut. epidem. Taurinens. Ex sch. auct.*

§. CXLVII.

Cognita per suas notas (§§. CXLII. CXLIII. *et seqq.*) *vomica*, eius disruptio becchicis, lubricantibus, emollientibus, vapore aceti vel vini calidi inspirato, cantu, concussione corporis, scalarum ascensu, sternutamentis, quin imo vomitu promoveri a nonnullis consuevit. Verum cautissime se gerat medicus in tribus ultimis praesidiis administrandis, viresque aegri et reliqua symptomata prudenter prius expendat. Puris evacuatio, ubi iam inceperit, adiuvanda iis est, quae alibi, ubi de *tussi* (*cap. I.*), aut *phthisi* (*cap. III.*) *pulmonari* actum est, proposuimus. Purgato probe vomicae cavo vulnerariis, victu vegetabili, lacte et peruviano cortice utendum est, ut coeat [1]). Aqua etiam calcis vivae, ubi vomica diutius pus amandat, exsiccarique non facile potest, vel sola, vel lacti mixta ab auctoribus non infimae notae celebratur. Ad id ipsum, ut detergens et simul consolidans medicamentum, commendat nicotianam ETTMUELLERUS [2]).

Curatio vomicae disruptae. *Cautio in quorundam remediorum usu.* *Quae sanent vulnus.* *Exsiccantia.*

1) Vid. DALLARMIUM *Saggi di med. prat. p.* 2. *osservaz. XXVII.* et quae sequuntur; item *osserv. XXVIII.*

2) *In Schröderi Dilucidat. phytolog.*

§. CXLVIII.

Empyemati autem paracentesi, quae interdum feliciter cessit, succurrendum mature est [1]). Haec in dorso intra *nonam* et *decimam costam* quinque vel sex digitis a spina instituitur. Veteres vero intra *sextam* et *septimam costam* e latere genus hoc chirurgiae adhibebant. Interdum etiam eo in loco fit, quo latus tumet et prominet. HIPPOCRATES diaphysin alicuius costae perforari praecipiebat. Suppurata pleuritide laboranti perforatum est latus affectum,

Curatio empyematis. *Paracentesis.*

Prosperae paracentesis observationes. et perbelle convaluit, vixitque plures annos [2]). Nec minus prospere huiusmodi punctionem pluries cessisse, observatum a nobis est [3]). Sed accidit quandoque, ut nihil ea profuerit. In aegro quodam *pleuritide biliosa*, quam saepe *hydrothorax* excipiebat, chirurgus paracentesi eduxit magnam seri copiam, sed die postera mors eum abstulit [4]). *Quando improspere cedat.* Id potissimum evenit, quando pulmo magnam partem corruptus exesusque est. Paracentesin vero nonnulli vituperant reiiciuntque ex eo, quod cum saepe pleura pulmoni adhaereat, ea vulnerari pulmo possit. *Quando punctione praestet sectio lateris. Ustio.* Quo casu non punctione quidem, sed incisione latus aperiatur, deinde digitis aut manubrio scalpelli leniter removendus pulmo est [5]). WILLISIUS fonticulo, qua thorax pertundi consuevit, inusto ac diu manante nonnullos restituit [6]). *Methodus Aegyptiorum in ustione peragenda.* Veteres ustione idipsum praestabant. Apud Aegyptios, ut narrat ALPINUS [7]), ustio sic peragitur. Gossypii pyramidem linteo lineo involvunt. Basin eius loco inurendo imponunt atque affigunt. Deinde apici flammam admovent, sinentque comburi, donec cutis subiecta, quantum opus est, inuratur. *Puris diagnosis ex HIPPOCRATE.* Quale demum pus ex sectione vel ustione prodire debeat, ut prosit, docuit HIPPOCRATES, quando dixit [8]): *Qui suppurati uruntur aut secantur, si quidem purum exeat pus et album, evadunt; si vero subcruentum* et *coenosum* et *graveolens*, *pereunt.* *Quaenam intrinsecus et extrinsecus adhibenda.* Sed dum haec aguntur, intrinsecus danda profecto sunt antiseptica et blandissima balsamica, et simul extrinsecus iniicienda quae abstergenti ac vulneraria virtute pollent. Nec aliter ferme tractandi, qui suppurationem in *mediastino* aut *pericardio* (§. CIII.) subierunt. Pus enim sub sterno collectum educitur *perforato sterno*, vel pyulco exhauritur [9]). Qua vero ratione e pericardio educi debeat, tradetur *capite* sequenti (§§. CXCI. CXCII.)

1) SWIETENIUS, LUDWIGIUS, BAYROTUS DE JONQUERES *Thes. Paris. a.* 1762; ORTESCHIUS *giornal. di Medic. t.* 11. *p.* 350.

2) GUIDETTIUS *dissert.* 11. *p.* 187.

3) DALLARMIUS *Saggi di Med. prat.*, *ubi a* BURSERIO in *additionibus* exempla afferuntur.

4) GUIDETTI *l. c.* §. 12. *p.* 187.

5) IOSEPH. WERNERUS curavit *empyema incisione* in dextro thoracis latere instituta. Nam inter *decimam* et *undecimam* costam quatuor circiter digitis procul a vertebris ita scalpellum infixit, ut secundum costarum directionem, et propius a margine superiori *undecimae* costae, ne *intercostalis arteria* laederetur, incisionem perageret. Statim ac musculos intercostales dissecuit, XX. puris unciae effluxerunt. Digito vero intra thoracis cavum immisso, nullibi pulmones pleurae adhaerentes detexit. Illico ab emisso pure symptomata remiserunt, nec multo post aeger convaluit. *Vid. Comm. Lipsiens. Vol. III. P.* 1. *p.* 45. *Ex sched. auct.* *Observatio* WERNERI.

6) *Pharm. rat. sect. I. cap. XI. p.* 120.

7) *De medic. Aegyptior. lib. III. cap.* 12., ORTESCHIUS *l. c. an.* 1764. *n.* 44. *p.* 350.

8) *Aphor.* 44. *sect. VII.*

9) RIOLANUS *Enchirid. anatom. lib. III. cap. IV. p.* 206. *Consulatur quoque si libet Cl.* LOURDIUS, *cuius doctrina de paracentesi optimo effectu et exitu exponitur sequenti* capite *ad calcem* §. 191. *Vide ibi.*

§. CII.

Quando in scirrhum vel gangraenam desinat.

Cum vero inflammatio (§. CVIII.) neque resolvatur, neque in suppurationem (§. CXLII.) desinat, neque illico, aut intra paucos dies vitam et spiritum (§§. XCIX. CXV. CXVI.) intercipiat, tum vel *scirrhus*, vel *gangraena* sive *necrosis* inflammationi finem imponit. Illud ubi evenit, lentum et diuturnum malum relinquitur, praesertim si indurata pars non exiguo spatio contineatur. Ibi enim ponderis cuiusdam sensus percipitur, difficilis respiratio est, quae, dum corpus movetur, redditur difficilior, decubitus vel in alterutro tantum latere, vel in dorso possibilis, quia aut dolore, aut tussi, aut spiritus oppressione aegri corripiuntur. Si vero parvi et sparsi sint per pulmonum varia loca scirrhosi tumores, qui ab inflammatione relicti sunt, tunc potius tussi sicca, frequenti, ad quemvis motum aut longiorem sermonem ingravescente, quam aliis signis dignoscuntur. Saepe etiam in his pulsus parvus est, inaequalis et iusto celerior. Sed malum plerumque id est, cui *neque gummi*, *neque sapo*, *neque cicuta*, *neque* alia vel ab ipso *mercurio depromta* tollendo plerumque valent [1]). Si alterum vero, nempe *gangraena* contigerit, lethale est. Id

Diagnosis scirrhi tam grandis, quam parvae molis.

Prognosis. Curatio nulla fermе.

Gangraenae prognosis et causae.

Diagnosis gangraenae. accidit, quando inflammatio vehemens in initio aut neglecta fuit, aut calefacientibus remediis exasperata. Ubi igitur gangraena incipit, iam dolor evanescit sine manifesta causa, eius loco pondus in pectore percipitur, viresque summopere deiiciuntur, pulsus fit omnino parvus, debilis, celer, inaequalis, facies pallida, tetra, interdum rubrocoerulea, extrema frigent, sputa livescunt, nigricant, saepe etiam foetent, latus interdum, quod dolor vexavit, macula nigra aut livida foedatur, mens movetur, et brevi mors scenam complet. *Quid praecavendae conducat.* Imminens huiusmodi malum vix praecaveri potest. Non tamen omittenda sunt pleraque antiseptica et cardiaca, de quibus mentio (§. CXXXVII.) iam facta est.

1) Hic in mentem revocentur, quae ab auctore tradita sunt §. 78. *Comm. de inflamm., vol.* 3. §. 389. *et alibi.*

PARAPLEURITIS.

§. CL.

Historia morbi. Interdum *pleuritis notha* (§. CX.) (quae vera quidem inflammatio est, sed *pleuram exterioresque* thoracis partes afficiens) neque in *abscessum*, neque in *gangraenam*, ne- *Eius propria symptomata.* que in legitimum *scirrhum* terminatur, neque demum ex toto resolvitur; verum plerisque symptomatibus remissis aeger ita videtur restitui, ut nihil aliud eidem supersit, quam dolor, qui eum diu tenet vexatque modo levior, modo gra- *Dolor.* vior. Sed interim huiusmodi lateris dolore angitur, et vires *Febris ratio.* vix potest pristinas acquirere. Deinde non multo post tempore circa vesperam de insolito quodam et molesto calore queritur, qui paulatim in continuam febriculam degenerat, horis pomeridianis quotidie invalescentem. *Amphimerinam* *Sudoris ratio.* dicunt. In eius augmento sudor emanat, viribus valde offi- *Differt a phthisico sudore.* ciens. In remissione vero, quae circa matutinum tempus accedit, nullus erumpit, contra ac phthisicis evenire solet.

§. CLI.

§. CLI.

Praeterea qui hoc affectu laborant vix in affectum latus possunt decumbere, spiritumque ita moderantur, ut quamminimum fieri potest pectus moveant attollantque, ne videlicet dolorem, qui inspiratione pleniore exacerbatur, intercostalibus musculis agentibus, ut costas elevent, reddant multo acerbiorem. Fieri tamen non potest, ut in tanta pectoris compressione pulmones non satis expansi sanguine congesto turgeant, et suspiriis aut oscitationibus frequentibus egeant, ut quodammodo ab anxietate liberentur. Nulla iis raucitas est, sed longo sermone si velint uti, defatigantur, anhelantque. Pulsus, quacunque hora explorentur, crebri et parvi sunt. Sanguis e vena missus arcte coit, induratur, crustaque pleuritica contegitur. Atque haec sunt propria et quasi perpetua huiusce morbi phaenomena.

Quomodo aeger decumbat et spiritum ducat.

Qui pulsus.

Crusta pleuritica in sanguine.

§. CLII.

His (§. CLI.) interdum adiunguntur tussis inanis, aut sputa plerumque tenuia, pauca et striis quandoque sanguinis tincta, ob difficilem nempe per pulmones compressos humorum circuitum, dolor capitis, oscitandi frequens necessitas, et demum aliqua macies, quae tamen tardissimo passu supervenit, et tunc solummodo, cum morbus ita processerit, ut sputa purulenta et sanguinea uberius exscreari coeperint.

Alia signa minus propria et frequentia.

Macies quando.

§. CLIII.

Hanc pectoris affectionem Zevianus Veronensis non incelebris in opusculo, quod de eadem evulgavit anno 1766, novo quodam vocabulo nuncupavit *parapleuritidem*, quae tamen, ut ipse animadvertit, saepius consistit in solo lateris dolore a *pleuritide notha* relicto nunc continuo, nunc intermittente, nunc ad tempestatum mutationes tantum, aut ad validiorem corporis motum sensibili. Is non raro post aliquod temporis spatium per se solvitur et omnino cessat; nonnunquam vero plures menses eo ipso, quem supra ex-

Qui primus hunc morbum parapleuritidem vocaverit.

In quo saepe ex Zeviano consistat parapleuritis.

Periodus morbi et exitus.

posuimus, circuitu miseros aegrotantes excruciat, donec in pectoris interiore pariete, aut in ipsis pulmonibus lethalia ulcerà induxerit.

§. CLIV.

Differt a phthisi secundaria incipiente.

Nec cuiquam in mentem veniat, huiusmodi morbum phthisin pulmonarem incipientem secundariam esse. Nam differre eam a phthisi contendit Cl. ZEVIANUS; quod in *phthisi* pulsus debilis et mollis plerumque est, sudor aut noctu, aut post somnum, praesertim matutino tempore oboritur, facilius in latus affectum decumbitur, sputa crassa et purulenta prodeunt, dolor obtusior et interior (si ullus est) videtur, maciesque celeriter progreditur. In *parapleuritide* vero pulsus subdurus et validior est, et omnia reliqua symptomata (§§. CL. CLI. CLII.) contrario pene modo se habent, ut praenotavimus.

§. CLV.

Curatio. V. S. iterata.

Quoniam igitur a congesto haerentique inflammatorio glutine in latere, quod pleuritis invaserat, proficisci ea (§. CL.) videtur, ideo venae sectione prudenter iterata potissimum discutienda est. Sanguis enim e vena missus crustam pleuriticam prae se fert. Neque metuendum est, ne per eam vires magis magisque elidantur, cum experientia ostenderit, id auxilii et optime ferri, et feliciter administrari. Praeterea, ut malum penitus exstirpetur, ea quoque in usum vocanda sunt, quae attenuant, incidunt et resolvunt, et praesertim quae contra pleuritidem (§§. CXXXIII. CXXXIV.) commendata fuerunt. Quandoque etiam in pertinaciori casu properandum erit ad saponem venetum, millepedes, gummi ammoniacum, lignum sassafras, radices bardanae, smilacis, chinae, arundinis montanae, ad diluta foliorum absinthii alpini, *genipi* vulgo dicti, cardui benedicti similiumque. Saepe enim haec a nobis adhibita magno cum aegrotantium emolumento fuisse testamur. An *parapleuritis* illa phthiseos incipientis species est, quam iuxta cel.

Remedia temperantia, incidentia et resolventia.

Quae praestantiora sint.

Quaestio de parapleuritide.

auctores expugnant parvae, sed repetitae sanguinis missiones?

INFLAMMATIO DIAPHRAGMATIS.

§. CLVI.

Diaphragmatis inflammatio.

In *pleuritide* non raro *diaphragma* simul inflammatione occupari, alibi (§. CIII.) monuimus. At diaphragma etiam solum inflammari, et quidem primario verosimile omnino est. Id rarum esse passim asserunt; HUXHAMIUS vero saepius huiusmodi morbum offendi, quam vulgo creditur, auctor est. LIEUTAUDIO autem non videtur a *pleuritide* prorsus differre. Illud sane certum est, quaedam peculiaria, cum diaphragma inflammatione correptum est, symptomata observari, quae a pleuritide sive *vera*, sive *notha* longissime absunt. *Diaphragmatis* igitur *inflammationem*, quam proprie *paraphrenitidem* nonnulli appellandam volunt, indicant acutissima febris, dolor immanis circa costas spurias ad lumbos dorsumque se extendens, et quasi cingulo circumambiens, tussis sicca, dolorem exacerbans, respiratio utplurimum parva et frequens, rarissime magna et minus frequens, interdum inaequalis ac inordinata, genarum rubor, palpitatio in hypochondriis, hypochondria distenta, dolentia, sursum introrsumque [1]) saepe retracta, suspiria aut suspirii desiderium, pulsus celerrimus, exilis, durus, tandem tremor, tendinum subsultus, convulsio, risus sardonicus, anhelatio, singultus, et non raro delirium et furor. BOERHAAVIUS [2]) delirium cum *inflammatione diaphragmatis* semper copulari censet. At MORGAGNII observationes aliorumque BOERHAAVII sententiae adversantur [3]). MICH. SARCONUS [4]) opportune animadvertit, diaphragmatis inflammationem neque delirium perpetuum, neque risum sardonicum, nec alia attulisse, quae cum BOERHAAVIO docuit SWIETENIUS [5]). Ego etiam observavi, haec a vera diaphragmatis inflammatione abfuisse [6]). Iure igitur MORGAGNIUS con-

An rara sit, vel frequens. Opinio LIEUTAUDII.

Paraphrenitis BOERHAAVIO est aliisque. Signa eius diagnostica.

An delirium semper comes paraphrenitidis.

9 *

cludit, modo delirium ab ea abesse, modo cum eadem reperiri [7]).

1) Introrsum *hypochondria* trahuntur tum a *diaphragmate* contracto eostasque spurias intro adducente, tum a *peritonaeo,* quo inferius diaphragma et ipsa hypochondria obvestiuntur, inflammato crispato et attraeto; quod RIOLANUS existimavit. *Encheirid. anatom. lib. III. cap. V.*

2) *Aphor. de cognosc. et curand. morb.* §. 909.

3) *De sedib. et caus. morbor. epist. VII. n.* 14.

4) *Part. I. p.* 209. *Istoria ragionata de mali etc.*

5) *In* BOERHAAVII *aphorism.* §. 909.

6) *De morb. capit. vol. III.* §. *CCXIV. et seqq.*

7) *L. c.*

§. CLVII.

Prognosis et curatio. V. S. largior, fotus, clysmata et antiphlogistica remedia. HUXHAMII *observatio.*

Exitiosum lethiferumque malum efficacissimis statim praesidiis oppugnandum est. Quo enim vehementiores causae intulerint, quo maior sanguinis acritudo concurrerit, eo maius periculum. Tota fere spes in venae sectione, in clysmatibus, in fotibus atque antiphlogisticis remediis posita est et locata [1]). At HUXHAMIUS sanguinis unciis ferme centum intra quatriduum detractis, multisque aliis adhibitis artis adiumentis non potuit quempiam *diaphragmatis inflammatione* laborantem servare [2]). En quantum morbi magnitudo quamcunque artis et medici praestantiam eludit!

1) Vid. *vol. III. de morbis capitis* harum *institutionum* §. *CCXV. et seqq.*

2) *Epid. T. II. p.* 11.

CAPUT V.

DE HYDROPE PECTORIS, PERICARDII ET PULMONUM.

§. CLVIII.

Definitio hydropis.

Uberior serosi lymphaticique humoris in aliquod corporis cavum effusio, atque in eodem congestio et stagnatio

proprie Ὑδρωπς appellatur. Hinc si in cava *capitis*, *thoracis*, *pericardii*, *abdominis*, *uteri*, omenti [1]), *tunicae vaginalis testium* serosus humor confluat et coacervetur, Ὑδρωκέφαλον, hydrops pectoris, sive Ὑδρωθώραξ, hydrops pericardii, sive Ὑδρωκαρδία, Ἀσκίτης, Ὑδρωκήλη proveniunt, de quibus partim alibi [2]), partim in praesentiarum.

Ex PORTALIO *observatio de hydrope omenti sine ascite.*

1) Hydrope *omentum* corripitur, qui solus interdum et sine *ascite* reperitur. Initio fluctuatio tantum in eo percipitur, cum laminae fuerint induratae per aquarum pressionem. PORTALIUS *Mém. de l'Académ. Roy. ann.* 1770 *et* 1771 *p.* 541. Disrupto autem omento, quod fit etiam emeticis, oritur *ascites*. *Idem ibid.* Exemplum pariter hydropis *peritonaei* legitur in *actis Helveticis T. VI. p.* 186. Similia habentur apud LITTRIUM *(Mém de l'Acad. Roy. T. VII. p.* 142. *edit. venet.)* et apud CHOMELIUM *ibid. p.* 170. *Ex sch. auct.*

2) Vid. *Vol. III. cap. II. de hydrocephalo et spina bifida etc.*

§. CLIX.

Tumores varii ad hydropem disponentes.

Sunt vero quidam veluti gradus ad *hydropem* proprie dictum, quos noscere oportet, quosque cum hydrope ipso nonnulli confundunt. Si enim vasa quaecunque sero turgeant, ut totum corpus candicet, morbum pariunt, qui Λευκοφλεγματία dicitur. Hanc alii ad Καχεξίαν tantum, alii ad Ἀνασάρκα referunt. *Cachexia* autem est malus totius corporis habitus, et depravatus eiusdem color et nitor. *Anasarca* vero fit, ut quibusdam videtur, si humor viscidior non tantum in vasis, praesertim lymphaticis, haereat, verum etiam per cellulosae telae spatia diffundatur, tumentemque corporis habitum ita reddat, ut digito alicubi pressa cutis non tam facile cedat, nec impressum vestigium sive foveam diu retineat; quamquam fatendum est, de hoc inter omnes non convenire. LUDWIGIUS enim in *leucophlegmatia* duriorem tactui tumorem, in *anasarca* molliorem existimat, qua in re consentientem habet Cl. SWIETENIUM [1]). Hic enim in *leucophlegmatia* scribit *pituitosum* magis humorem, in *anasarca tenuiorem* et *aquosiorem* peccare; in *leucophlegmatia* magis aequabiliter totum corpus intumescere, ideoque laxius esse et pastae instar mollius; in *ana-*

Quid cachexia.

Aanasarca quid.

LUDWIGII *et* SWIETENII *opinio.*

sarca ab inferioribus incipere tumorem, et sensim ascendere.

1) *In* Boerhaav. *aphor.* §. 72.

§. CLX.

Oedema quid sit et quotuplex.

Quod si *vasa* pleraque et *cellulosae telae* intercapedines *humore aqueo* in aliqua tantum corporis parte, veluti in *pedibus*, *manibus*, *capite*, *facie*, *palpebris*, *genis*, *faucibus*, *scroto* aliisque locis repleantur et tumeant, tumorque sit mollis, frigidus, albus, impressi digiti vestigium retinens, *oedematis* obtinet nomen, estque *hydropis* quoddam initium. Itaque pro varia partium ratione, quas serosa occupat colluvies, varia etiam *hydropis* genera oriuntur, et speciatim si totum corpus afficiatur, *universalis*, si pars, *particularis* hydrops exsurgit.

Divisio. Hydrops particularis et universalis.

§. CLXI.

Causa et origo morbi duplex. Sanguinis vitia quae et quot.

Duplex autem cuiusque *hydropis* origo et causa est, vel ab *universi* sanguinis vitio, vel a solidarum partium mala constitutione. Ab universi *sanguinis* vitio: si serosa eius pars supra ceteras immodice excrescat, aut a reliquarum mixtione secedat exuberetque, ut vel e vasorum tunicis per poros, quos vocant inorganicos, exsudet, vel vasa lymphatica praeter modum oppleat urgeatque, vel per arteriolas exhalantes in cellulas cavaque corporis transfluat, ibique congesta consistat, aut si acritudine tanta peccet, ut minima erodat vascula, atque inde in vacua spatia exstillet. *Solidarum* vero *partium* culpa: si vasa minima ita laxentur, ut nimiam serosi humoris vim admittant, tantumque eiusdem in cava effundant, quantum nec recipere, nec revehere venae inhalantes possint, aut ita repleantur extendanturque, ut in hydatides paene expansa et conversa demum lacerentur, liquoremque continenter eructent.

Quae et quot solidorum vitia.

§. CLXII.

Aliae causae hydropis generatim sumti.

Effusus autem humor a venis inhalantibus resorberi haud poterit, si crassus et viscidus ille sit, si ostiola earum

obstructa aut contracta viam ingressuro denegent, si atonia atque inertia laborent, ideoque eius propulsionem non adiuvent, si aliquod impedimentum in venis maioribus harumque truncis reperiatur, *obstructio* nimirum, *tumor*, *polypus*, *compressio*, *magna organica vitia* atque alia, quibus reditus sanguinis ad cor, adeoque venarum absorbentium in venas maiores exoneratio retardetur, aut penitus inhibeatur. Id profecto saepissime patet ex cadaverum dissectionibus, in quibus frequentissime detectum est, causam *hydropis*, praecipue *pectoris* et *pericardii*, de quibus hic potissimum agimus, aliquod in venis maioribus circa praecordia vitium, quo liber humorum in cor refluxus cohiberetur, exstitisse.

Vitia venarum maiorum, quibus sanguinis reditus ad cor retardatur.

Frequentior causa hydrothoracis et hydrocardiae ex anatome.

§. CLXIII.

Ex his (§. CLXI. et CLXII.) facile intelligitur, quam multiplices remotae *hydropis* causae universim esse queant, uti febres intermittentes aliique diuturniores morbi, immodicae, sanguinis praesertim, evacuationes, hepatis, lienis, pancreatis et ceterorum abdominis viscerum labes atque obstructio, suppressae perspirationis atque urinae excretiones, nimius potus, praesertim frigidus calente corpore [1]), scabies retropulsa, asthma, tumores varii, praesertim glandulae induratae, aneurysmata, varices, polyposae concretiones, mala thoracis conformatio aliaque sanguinis liberum cursum aut congruam eiusdem in pulmonibus et corde miscelam et elaborationem pervertentia, et imprimis pulmonum inflammatio, scorbutus etc.

Causae remotae hydropis.

1) MORGAGNIUS *Epist. XVI.* et HIPPOCRATES *Epidem.*

§. CLXIV.

His generatim praemissis, propius ad *hydrothoracem*, sive *hydropem pectoris* progredimur. Hic etiam Ὑδρος HIPPOCRATI dictus est. Serosus autem sive aqueus humor aut in *alterutra*, aut in *utraque pectoris cavea* continetur, vel in *cystide* quadam sive *sacco* includitur, quando nimirum cellulosa quaedam interstitia pone pleuram, aut circa

Hydrothorax HIPPOCRATI *est hyderos.*

Quo loco humor colligatur.

Duplex est.

Alius simpliciter hydrothorax, sive non saccatus, encysticus, sive saccatus alter.

pulmones et pericardium, aut in ipso *mediastino* ita expanduntur, aqueumque humorem sic recipiunt, ut vesicas sacculosque utris in modum aqua pleni referant. Prior *hydrothorax* simpliciter, sive *non* ἐγκύϛικος, id est non saccatus, posterior hydrops ἐγκύστικος, sive *saccatus* nominatur. Uterque quidem cognitu difficilis, sed *encysticus* multo difficilior est.

§. CLXV.

Signa hydrothoracis non saccati ex DUVERNEYO.

Nonnulla ab aliis adiecta.

Hydrothoracis tamen *non saccati* signa haec recenset DUVERNEYUS [1]), nempe summam spirandi difficultatem, facilem in latus affectum, si unum tantummodo latus aegrotet, decubitum, in latus sanum paene intolerabilem, respirationem erecta cervice, aut incurvato ad anteriora corpore minus impeditam, demumque faciem hippocraticam. His alii adiiciunt pedum oedemata, sitim inextinguibilem aut saltem faucium siccitatem, superiorum artuum extenuationem, urinam assumtorum quantitati non respondentem, paucam videlicet plerumque, rubram, crassam et lixivialem, anhelationem in ascensu locorum acclivium, vel in decubitu, vel inter dormiendum, noctu praesertim, ita ingravescentem, ut aegrotantes e lecto prosilire, ad fenestras se conferre, et liberiorem auram quaerere cogantur, tussiculam siccam, quae nocturnam illam *orthopnoeam* praecipue comitari solet, pulsum parvum et crebrum, fluctuationis sensum in pectore, dum decubitum mutant, aut concutiuntur, cordis palpitationem et reliqua.

1) *Mém. de l'Acad. des Scienc. Edition. Venet. T. VII. p.* 121.

§. CLXVI.

Incerta haec signa initio morbi praesertim.

Animadvertendum est tamen, signa haec vix, nisi morbus iam adoleverit, se prodere, et ubi se produnt incerta valde esse et dubia, uti Cl. HAENIUS post MORGAGNIUM demonstravit [1]); imo respirationem ipsam inter initia non valde affici, quod etiam ZIMMERMANNUS [2]) notavit. HAENIO consentit FEBURIUS, qui in nota quadam ad illum ZIM-

MERMANNI locum aperte profitetur [3]), nullis interdum indiciis *hydrothoracem* significari, nisi cum morti iam proximi fiant aegrotantes, miraturque in huiusmodi casu nullam spirandi difficultatem insurrexisse, nisi paulo ante mortem. Verum etsi id fieri interdum multis de causis posse ultro concedam, saepe tamen incompertum est, num *hydrops thoracis* antea adfuerit, an vero paulo ante mortem supervenerit. Quamobrem non semper fortasse credendum est, eos, in quibus liberum et facilem quemcunque decubitum facilemque respirationem fuisse narrant historiae medicae, vere tum hydropicos exstitisse; sed potius postremo tantum vitae tempore in hydrothoracem incidisse, ideoque eorum pectus aqua repletum prosectoribus apparuisse.

Facilis decubitus facilisque respiratio cur signum fallax.

1) *Rat. medend.*

2) *Traité de l'expérience T. II. p.* 31.

3) *Ibid.*

§. CLXVII.

Pulsum vero parvum atque humilem tussimque siccam aut fere siccam, et nisi aliquid catarrhale expellentem, quando simul concurrunt, indicia esse Cl. MORGAGNIUS existimat [1]) non hydrothoracis, sed potius alicuius alius vitii, quod cum pectoris hydrope coniungatur. Neque ipse iis assentitur, qui repentinam somni interruptionem cum suffocationis metu pro signo pathognomonico [2]) habent; nam HELVICHIUS [3]) et Cl. HAENIUS [4]) adductis in medium exemplis evicerunt, saepe eam quidem cum aliis hydrothoracis signis reperiri, saepe etiam abesse. Subditque cl. vir, huiusmodi symptoma aliis etiam pectoris morbis, pulmonum nempe, cordis, aortae, pericardii atque imprimis spasticis earum partium affectionibus esse commune, et, si quando pathognomonicum hydrothoracis signum haberi possit, tunc solum posse, IO. IACOBO VICARIO monente, cum pedum oedemata antecesserint, non vero cum subsequantur [5]).

MORGAGNII *monita circa diagnosin.*

An symptomata suffocationis vere pathognomonica sint.

1) *De sed. et caus. morb. epist. XVI. n.* 9. *et seqq.*

2) RIVER. *Prax. med. l. VIII. cap. V.* CAROL. PISO, *De morb. a seros. colluv. ort. De hydrop. pector.*

3) *Ephem. N. C. cent.* 10. *observat.* 32.

4) *Rat. med. P. V. p.* 44. *et P. VI. p.* 125.

5) *L. c. n. XI.*

§. CLXVIII.

Cur quandoque in sano latere decumbant aegri.

Quamquam vero, ubi altera solum pectoris cavea aqua oppletur, decumbere aeger in latus sanum nequeat, ut Cl. Duverneyus (§. CLXV.) tradidit, interdum tamen accidit, ut in sano tantum latere conquiescere et respirare possit. Id autem tum potissimum fieri videtur, cum pulmo, qui lateri ab aqua immuni respondet, vitium contraxerit, et ita labefactatus sit, ut respirationi obeundae impar ferme evaserit, pulmo vero in latere aqua oppleto sanus exsistat, et solus fere respirationem absolvat perficiatque. Nil igitur mirum, si hydrope laborans tunc facilius feliciusque lateri ab aqua libero incumbat, cum aqua mediastinum versus maximam partem revoluta, pulmo aquae innatans minus prematur, ideoque commodius ad aërem inspirandum explicetur.

§. CLXIX.

Quando id non contingat.

At, si in utroque pectoris latere aqua confluxerit, uberior tamen in altero, in altero parcior, illud, quod modo indicavi, haudquaquam contingit. Commodior enim est, ut patet, in affectum magis pleniusque latus decubitus. Quandoque etiam magna spirandi difficultas esse potest, licet serum, quod thorace continetur, paucum omnino fuerit; modo id salibus scateat, aut quacunque alia acritudinis specie contaminetur. Eo namque sic pulmo vellicatur et pungitur, ut in spasticas constrictiones adigantur respirationis organa, et pari ferme modo respiratio laedatur, quo ab aqua uberiore et comprimente laederetur.

Paucum serum, sed acre magnam parit spirandi difficultatem.

§. CLXX.

Certiora hydrothoracis signa.

Ceterum, quoniam nulla pathognomonica signa *hydrothoracis* vere habentur, nemo tamen velim credat, morbum hunc ita latere, ut praesens nequaquam dignosci queat. Ego

quidem, siquid iudicem, neque uno, neque altero signo confidendum esse arbitror, sed singula cautissime primum, deinde omnia simul expendantur oportet, antequam de eo feratur sententia. Itaque si, diligenti inito examine, multa simul copulentur ex iis, quae pro diagnosticis signis supra (§. CLXV.) enumeravimus, quid hydrothoracem adesse dubitaveris? Si, exempli causa, empyematis causae defuerint, fuerint vero, quae hydropi inducendo aptae noscuntur, si respiratio difficilis iam sit, aut a quovis corporis motu fiat anhelosa, aut erecta cervice duci debeat, si ob suffocationis metum somnos repente interrumpat, si decubitus in alterutrum latus difficilior evadat, si fluctuatio quaedam in pectoris cavea, procul tamen a cordis regione percipiatur, si artuum imprimis inferiorum, aut scroti [1]) oedemata, tussis, praesertim sicca, sitis, urinae parcitas concurrant, si latus affectum oedema exterius ostendat, quod interdum [2]) evenit, aut scapula et brachium respondens tumeat et torpeat [3]), quod frequentius est; profecto non erit, cur certiora de *hydrothorace* signa desideres. Multo difficilior vero est hydropis *encystici* (§. CLXIV.) diagnosis, quem sine siti, sine urinarum parcitate, sine oedemate pedum et sine magna spirandi difficultate observavit CAROLUS TONINIUS [4]).

Exemplum.

Difficilior est diagnosis hydropis encystici, ut ex observatione TONINII *patet.*

1) RIVERIUS *De hydrop. pect. cap. I. Histor. Vratisl. morb.* 1699. 1700. HOFFMANN. *De hydrop. observat. VII.*

2) WILLISIUS *Pharmac. ration. cap. XVII. p.* 2. FONTAN. *obs. anat. med.* 30. 38. BUECHNERUS *act. N. C. t. VI. observ.* 30. MORGAGNIUS *l. c. lib.* 2. *De morb. thorac.*

3) MORGAGN. *l. c.* CAROL. PISO *l. c.*

4) *Atti dell' Accad. de' Fisiocrit. di Siena T. II. p.* 232. Vide observationem, quam habet Cl. MALOETIUS *Mém. de l'acad. royal. de Paris T. VII. p.* 171. *edit. venet.* In milite *hydrope cystico pulmonum* laborante anxietas summa erat spirandi, febris lenta, brachia, manus, crura et pedes tumida, urinae perturbatae et flavae, tussis molesta, nullus decubitus, nam sedere semper cogebatur, nulla fluctuatio. *Ex sch. auct.*

§. CLXXI.

Neque facilius patet *hydrocardia*, sive *pericardii hydrops.* Oritur utplurimum, quando pericardii liquor, quo

Hydrocardia, sive hydrops pericardii.

alluitur cor, ita increscit exuberatque, ut cordis motum actionemque turbare atque impedire possit. Interdum vero non aqueus humor, sed purulentus in pericardio deprehenditur, qui eundem propemodum parit effectum. Hinc duplex *pericardii hydrops* ab AUENBRUGGERO [1]) constituitur, *aquosus* et *purulentus*. Purulentum ab aquoso differre monet cl. auctor, quod in purulento aqua turbidi seri lactis speciem referat, et cordi id, quod purulentum esse creditur, fimbriarum instar adhaereat. Negant autem alii, purulentam hanc vere esse materiem, cum puris tantum similitudinem habeat. Uterque tamen sive *aquosus*, sive *purulentus* sit hydrops, iisdem notis se prodit. BARRERIUS in suis *anatomicis observationibus*, etsi credat et ipse, arduum esse, hunc morbum ab hydrope pectoris internoscere, quaedam tamen tradit eum comitari signa, quibus significari certo possit. Huiusmodi sunt pressio et angustiae sensus circa anteriorem thoracis partem, qua pericardium locatur, respiratio a tumente pericardio difficilior reddita, tussis plerumque sicca et molesta, motus cordis perturbatus, palpitatio, syncope, quam praefocatio interdum antecedit, oedemata pedum, pallor faciei, pulsus parvus et celer, saepe inaequalis, difficilis in lecto decubitus, et suffocationis metus subinde recurrens. Sed quam parum hisce fidendum sit, ex MORGAGNI observationibus animadversionibusque mox referendis fiet manifestum.

Vel aqueus, vel purulentus humor.

In quo differat uterque humor.

Signa a BARRERIO *tradita.*

Hisce non fidendum est signis.

1) *Inventum novum ex percussione thoracis humani interni pectoris morbos detegendi. Vindob.* 1761. 8.

§. CLXXII.

Signis vero a BARRERIO (§. CLXXI.) prolatis adiungendus videtur, ut certior diagnosis evadat, sensus quidam cordis quasi in aqua submersi et natantis, de quo aegrotantes conqueri solitos esse, viri expertissimi testantur [1]). Rem confirmat Cl. SENACIUS [2]), dum scribit, non certius hydrocardiae signum sibi occurrisse, quam motum quendam inter tertiam, quartam quintamque costam undulatorium, atque

Alia signa ex aliis deprompta addenda praefatis.

An undulationis sensus in hydrocardia sit (ut SENACIUS

aquae quasi fluctuantis in modum, tunc imprimis aegroti sensui aut medici manui sensibilem, cum cor movetur, et palpitat. Undulationem vero hanc obscuriorem valde esse, monet SWIETENIUS, ubi plenum omnino fuerit pericardium. At huiusmodi *palpitationem* cum undulationis fluctuationisque sensu nec DIEMERBROECKIUS [3]) in suis, nec BARRERIUS in quinque *hydrocardia* implicatis hominibus deprehendit aut notavit.

tradit) signum evidens et constans.

1) Id observarunt in veneto homine HERCULES SAXONIA (*Med. pract. l.* 2. *cap.* 8.), et in sexagenario quodam RAYM. IO. FORTIS (*Consil. cent.* 2. *consil.* 46.)

2) *Du coeur lib. IV. cap. V. Tom. II. p.* 356.

3) *Anatom. lib. II. cap. V.*

§. CLXXIII.

Cordis palpitationem inter *hydrocardiae* signa ex BARRERII auctoritate et fide supra (§. CLXXI.) recensuimus. At negat Cl. MORGAGNIUS [1]), eam esse constans et perpetuum huiusce hydropis symptoma, et, si aliquando visa sit, tunc fuisse, cum liquor, quo scatet pericardium, acrimonia peccet, corque irritet et vellicet, aut cum hydrope pericardii *polypus cordis* complicetur. Cordis ergo palpitatio, cum saepe ab hydrocardia absit, eiusdem pathognomonicum signum esse nequit. Praeterea quando aqueus humor intra pericardium non sensim, sed repente et celeriter effunditur, idque immaniter distendit, tum mole sua ita urget deorsum diaphragma, ut eius appendices protrusae et distractae atrocem in *lumbis dolorem* excitent. Hic igitur dolor ad hydrocardiam spectare videri posset. Sed neque dolor hic perpetuo hydrocardiam comitatur, ut peculiari observatione ostendit idem Cl. MORGAGNIUS [2]). Demum vir iste doctissimus, collatis plurium medicorum de *hydrocardia* observationibus, et rite ad trutinam expensis, concludit, neque *animi deliquia*, neque *tussim*, neque *spirandi difficultatem* perpetuo et constanter cum ea reperiri [3]). Saepe enim, dum aegrotantes silent aut quiescunt, optime et tranquille decumbunt quocunque positu, sed praesertim demisso capite,

An inter signa hydrocardiae merito recensenda cordis palpitatio. MORGAGNII animadversio.

An dolor lumborum item pathognomonicus.

An alia signa constanter in hydrocardia reperiantur.

quae Franc. Hippolyti Albertinii singularis observatio est.

1) *Epist. anat. med. XVI. n.* 23.
2) *Ibid. n.* 45.
3) *Ibid. n.* 46.

§. CLXXIV.

Quid sentiendum de siti.

Sitis quoque, quae hydropicos vexare solet, ab *hydrocardia* plerumque abest. At per eam absentem *pericardii hydrops* ab *hydrothorace* distingui nequit, quia in hoc interdum sitim defuisse, compertissimum est. Neque *pedum oedemata* ita propria sunt *hydrothoraci*, ut hoc signo ab *hydrocardia* discerni certo possit. Nam licet in hydrocardia rarissime pedes tumeant, non ita tamen rarus tumor in ea est, ut rara tussis aut sitis fertur [1]). *Fluctuatio* autem si usquam percipitur, ut reapse quandoque percipi potest, non spernendum quidem signum praebet. Sed minus haec in *hydrocardia*, quam in *hydrothorace* se exserit. Itaque diligentissime cavendum est, ne quid fallax nobis illudat, aut *empyematis signa* communia imponant [2]).

Quid de oedemate pedum.

De fluctuatione quid.

1) Morgagnius *l. c. n.* 46.
2) *Idem l. c. n.* 24. *et* 36.

§. CLXXV.

Quaedam alia signa et ipsa reiiciuntur uti aliis vitiis communia vel non semper praesentia.

Non pauci magni nominis scriptores sibi per suaserunt, hydrocardiam *macie*, *tristitia*, *febre lenta*, *faciei pallore*, *oculorum languore*, *refrigeratione extremorum indicari*, hisque notis non parum ipsi tribuunt; sed haec plerumque utrique hydropi communia observantur. Vieussenius pro signo maximi momenti in *hydrocardia* habet *palpebrarum labiorumque colorem plumbeum*, cum tamen non semper is pericardii hydropem sequatur, nec semper ab aliis pectoris morbis seiungatur [1]). Neque itidem Morgagnio certa videntur hydropis huius indicia *pondus cor praegravans* et *constringens*, aut *cordis pondus*, et *praecordiorum anxietas* a Graetzio, Albertinio, Lancisio, Hoffmanno,

FANTONIO patre, SCHREIBERO et FISCHERO commemorata; primum quod haec in accuratis VIEUSSENII observationibus non annotantur, imo ab OLAO BORRICHIO palam excluduntur; deinde quod penitus defuerunt in iis, quos ex VALSALVAE historiis depromsit, aut ipse recensuit, et si quando observata fuerunt, uti in GERBEZIO, BONETO, KELLERO, REIMANNO videre est, non solus tunc *pericardii hydrops*, sed alia aderant quoque vitia, a quibus ea symptomata poterant derivari [2]).

1) MORGAGNIUS *l. c. n.* 47.
2) *Idem ibid.*

§. CLXXVI.

Signa hydrocardiae cum symptomatibus aliorum morborum confunduntur.

Quoniam igitur *hydrocardia* saepe cum aliis praecordiorum vitiis coniungitur, necessario consequitur, ut vix ullis ipsa indiciis distingui possit, confusis nimirum utriusque mali, imo quandoque plurium malorum symptomatibus, atque inter se pugnantibus, quemadmodum propriis observationibus edoctus ALBERTINIUS [1]) apposite et candide fatetur. Ipse nihilominus quasdam animadversiones longo et multiplici usu comprobatas in hanc rem opportunissime profert, quas utilissimum erit ob oculos ponere. *Si pericardii hydrops*, inquit, *sit solitarius et purus simplexque, aliqua saltem ex parte indicari potest pulsu comparate molli, potius frequenti et plerumque parvo* [2]), *qualem edere solet cor, si flaccidum et laxum sit, humorque, qui pericardio continetur, viscidus, iners, aqueus, insipidus. Si vero humor ille acer fuerit et salinus, parvitati et frequentiae pulsuum accedit et vibratio et tensio quaedam. Si vero copia idem excedat, corque quodammodo opprimat, tunc pulsus exilis, celerior et deficiens evadit plerumque. Intermittens autem atque inaequalis non valde est, nisi cum hydrocardia alia praecordiorum vitia complicentur. Tussim* (addit) *vel nullam esse, vel modicam et siccam, vel sputa tantum lymphatica expellentem, quae a tumente pericardio pulmonesque comprimente videtur de-*

ALBERTINII de hoc morbo observationes.

ducenda; difficilem porro decubitum et crebram residendi necessitatem vix unquam in huiusmodi malo incidere, nisi a cibo, a potu, ab animi aut corporis motu, quando etiam in lecto aeger tantummodo moveatur. Et licet motus cordis a mediocri quacunque loci mutatione aut incessu increbescat, et fere ad tremoris quendam sensum accedat, atque una spirandi difficultas, sive potius apnoea et sterni oppressio cum doloris specie et iactatione concurrat; haec tamen maxima ex parte, si non omnino, conquiescere et cessare, aegro ad quietem composito, modo humor pericardii non ita acer sit, ut perpetuo cordis irritabilitatem sollicitet, aut eius superficiem iam arroserit. Demum animadvertit, similia fere symptomata excitari, quando pericardium alicubi crassius, aut quasi membraneo vinculo cordi laxe colligatum sit.

1) *Commentar. acad. scient. vol. I. p.* 389.

Observatio auctoris.

2) Talem revera pulsum saepius in *hydrocardia* mihi contigit observare.

§. CLXXVII.

Qua in re dissideat ab ALBERTINIO DAIGNANIUS. *Molestus decubitus quaquaversum. Syncope.*

Dissimulandum vero non est, ab ALBERTINIO nonnihil dissidere DAIGNANIUM, qui hydrocardia laborantes asserit locum, in quo commode et diu iaceant, invenire non posse, ideoque alium atque alium saepe experiri. Quod quidem credibile est evenire, quando non purus, nec simplex pericardii hydrops infestat. Syncope etiam eos crebrius aut rarius pro diversa decubitus ratione corripi, idem cl. vir animadvertit, atque in hoc non dissentientem habet ALBERTINIUM, qui idipsum iam antea, ut a se aliquando observatum, indicaverat. Quod si ad haec accesserit *undulatio* illa, cuius SENACIUS meminit, atque ille aegrotantium *sensus*, quo sibi cor aqua submergi dicere consueverunt, non dubitat, *hydrocardiam* ut certam arguere.

Undulatio SENACII, *et submersionis sensus in corde aegrotantium.*

§. CLXXVIII.

Diagnosis probabilior ex collectio-

At Cl. MORGAGNIUS, quem cum summa rerum medicarum peritia, tum prudentissima in iis iudicandis circumspectio

spectio commendat, multo plura consideranda atque attendenda praecipit. Itaque ne ab eius monitis cautionibusque discedamus, si aliorum pectoris morborum, et speciatim *hydrothoracis* notae, uti sensus fluctuationis a cordis sede procul dissitae, spiritus difficultas somnum abrumpens, decubitus in alterutrum latus molestus et fere intolerabilis deficiant, neque artuum oedemata, neque tussis, neque sitis adsint, vel levissima haec fuerint, contra pondus quoddam ad cordis regionem persentiatur, corque ipsum ad motum corporis opprimatur, et veluti constringi videatur, spiritu quadantenus interrupto, atque haec, restituto quieti corpore, mox cessent, vel minuantur leventurque, et commodius spiritus ducatur decumbentis demisso capite, si inquam, haec omnia aut complura consocientur, probabile reputatur, *hydropem pericardii* subesse [1]). Tantoque probabilius id erit, si praeterea ex iis aeger sit, qui sibi cor quasi in aqua natare sentiunt, aut sensum habent aquae in pericardio, non alibi, fluctuantis. Neque insuper spernenda erunt alia, quae supra (§. CLXXVII.) adducta fuere, quaeque si non semper, interdum certe cum hydrocardia coniungi visa sunt.

ne plurium signorum.

Interdum aegri sibi veluti cor in aqua natans persentire videntur, quod signum, si adsit, certius diagnoseos est.

1) *L. c. n.* 48.

§. CLXXIX.

Praeter *hydrothoracem* atque *hydrocardiam* simili etiam affectui obnoxius est pulmo. Serum enim aut lympha quando in celluloso textu, quo vasa pulmonum colligantur, congeritur stagnatque, *hydropem* sive *oedema pulmonum* [1]) constituit. Interdum cellulae quaedam aut vasa secundum alios quaedam lymphatica aqueo humore ita turgent, atque in molem tantam excrescunt, ut cystides quasdam sive *hydatides*, quibus pulmo deinde comprimitur, pellucidas, aut variegato plenas liquore exhibeant. Utrumque malum respirationis functionem non leviter laedit.

Oedema pulmonum.

Hydatides.

1) *Oedema pulmonum* sectione anatomica comprobatum refertur a Cl. Maloetio in *Commentar. acad. scientiar. Paris. ann.* 1732. *p.* 350.; *item* a Barrerio *Observ. anatom. IV.*

p. 109.; a TARGIONIO TOZZETTIO *Osservazioni p.* 83.; a LUCA TOZZIO aliisque. *Ex sch. auct.*

§. CLXXX.

Causae oedematis pulmonum.

Non aliae illud inferunt causae, quam quae reliqua hydropis genera (§§. CLXI. CLXII. CLXIII.), potissimum vero in pueris, qui magis morbo huic subiiciuntur, errores in victu, suppressa scabies, morbilli et purpura scarlatina non penitus iudicata, et in adultis immoderata et praepropera equitatio, chlorosis, pedum oedemata retrocedentia etc.

Signa eius diagnostica.

Pulmonum hydropem suspicaberis, si statim ac partes exteriores corporis omnes aut aliquae oedematoso tumore corripi incipiunt, accesserit etiam difficilis respiratio. Nam exigua seri in pulmonum cellulis collecti quantitas magis respirationi officit, quam maior eius copia in cavum thoracis effusa. Suspicio vertetur in solidius iudicium, si facies sine signis *hydrothoracis* et *hydrocardiae* tumida fiat, si pedes leviter oedematosi cernantur, si pulsus quodammodo suppressi sint, uti ex ALBERTINII et SIMSONIS observationibus habemus. Scire etiam licet, tussim, quandamque loquendi difficultatem interdum ab huiusmodi aegrotatione non abesse [1]).

1) His adiicienda videntur, quae ex MALOETIO adnotavimus ad calcem §. CLXX. post notam 4), quaeque hanc diagnosin illustrare queunt.

Prognosis.

§. CLXXXI.

A causis eruenda prognosis.

Ex causarum consideratione, si tamen hae innotescant, prognosis eruenda potissimum est.

Quid si ab organico vitio sit.

Si hydropi organicum vitium originem dederit, nullo modo, aut certe difficillime discutitur, et si discussus forte fortuna fuerit, sine dubio reverti consuevit.

Si a disruptis vasis aut hydatidibus oritur.

Incurabilis quoque est, qui a laceratis vasis lymphaticis, aut a ramo aliquo ductus thoracici, aut ab hydatidibus disruptis proficiscitur. Quando a postrema hac

causa oritur, solet repente corripere, et saepe cum aliquo aquae guttatim stillantis, aut alicuius disruptionis sensu [1]). Quo parcius urinae fluunt, eo minor salutis spes affulget. Interdum tamen urinae copia fallax et decipiens signum salutis est, quando nimirum cetera symptomata non dissipantur, aut respiratio brevi iterum opprimitur. A febre aut ab immodicis evacuationibus procedens non aeque periculosus habetur, ac qui nullam evidentem causam agnoscit. Item *oedema*, quod quasi per febrilem materiam depositam oritur, non valde timendum, SYDENHAMIO [2]) iudice est. *Oedemata* atque *anasarca* plerumque a causis non multum, nec ita pervicacibus fiunt. Quandoque vero vitii alicuius, quod interiora altius occupat, quodque tolli aut vinci nequit, effecta esse possunt. Sanguinis sputa *hydrothoraci* supervenientia exitium fere praenunciant; pulmones enim aut exesos, aut enormiter compressos, aut vasa eorum magna ex parte obstructa subsequuntur. Quod ad *hydrocardiam* attinet, non modo haec periculi plena est, sed etiam diuturna curatuque difficilis. Contra *pulmonum oedema*, si cito cognoscatur, facilius resolvitur alvi fluxu, urinarum copia atque anacatharsi.

Urinae copia quando fallax signum salutis.

Si hydrops sit a febre aut evacuationibus nimiis minus periculi impendet.

Prognosis oedematum et anasarca.

Hydrothoracis.

Hydrocardiae.

Pulmonis oedema.

1) Similes casus referunt LOWERIUS, WILLISIUS et TARGIONIUS TOZZETTIUS.

2) *Tract. de hydrope.*

Curatio.

§. CLXXXII.

Curandi hydropem ratio multiplex, nec una eademque cuique hydropis speciei opportuna est. Saepe quae unam speciem tollit, alteri noceret, et perniciosa foret. Experientia enim compertum est, *hydropes* curatos interdum esse, quod BECHERUS [1]) etiam confirmat, aperientibus, diureticis, sudoriferis, tonicis, purgantibus, emeticis, hydragogis, drasticis, mercurio et ptyalismo, aëre sicco et insola-

Non una eademque medendi ratio, sed varia pro varia hydropum specie.

tione, balneis siccis et spirituosis, victu sicco et abstinentia a potu, potu copioso, hypnoticis, incrassantibus, antiscorbuticis, inunctionibus et frictionibus oleosis, balneis, vaporibus, enematibus, cataplasmatibus ex emollientibus, sanguinis missionibus, punctione, sive paracentesi, scarificationibus, vesicatoriis aliisque irritantibus remediis, cauterio actuali, scabiei insitione, et demum solis naturae viribus. Universim tamen ad *hydropem* curandum aggredienti quatuor indicationes, quibus faciat satis, se sistunt: serosi et lymphatici humoris copiam excedentem evacuare, impedimenta, quae aequabili circuitui opponuntur, removere, crasin debitam sanguini restituere, et demum solidas partes firmare. Quare in *leucophlegmatia*, *anasarca*, *oedematibus* alvum primo ducere opertet mitiore aliquo medicamento, rhabarbaro videlicet, diluto foliorum sennae, sale anglico, mutinensi, mirabili *Glauberi*, tartaro solubili, cremore tartari [2]), ialappa, scammonea, syrupo de spina cervina, manna, quibus non modo primarum viarum sordes expurgantur, verum etiam serosa colluvies potenter educitur. Atque haec subinde iteranda prudenti manu aptaque dosi sunt, donec partium tumor penitus subsidere videatur.

Indicationes quatuor.

Quando alvus ducenda.

1) *Recherches sur l'hydropisie p.* 3.

2) Menghinius *in Comm. acad. Bononiens.* plures historias hydropum refert, quos longo usu cremoris tartari plane curavit. *Ex sch. auct.*

§. CLXXXIII.

Sed si cum serosa colluvie lentor etiam et visciditas humorum conspiret, atque obstructionibus viscera et vasa praepediantur, interponenda alvum ducentibus sunt ea, quae incidunt, aperiunt, et leniter urinas cient. Huius census praecipue sunt sales lixiviales absinthii, stipitum fabarum, centaurei minoris, genistae, item neutri, uti tartarus vitriolatus, sal polychrestus, ammoniacus, nitrum, arcanum duplicatum, terra foliata tartari, ac denique gummi ferulacea, ammoniacum quippe, sagapenum, galbanum, et resinosa, imprimis terebinthina veneta, quae posteriora tum maxime

Incidentia et aperientia quae et quando conveniant.

Sales qui.

Gummi ferulacea et resinosa.

excellunt, cum solidarum partium languida vis lenem et aromaticum stimulum, quo excitetur, requirat. His adiicienda decocta quinque radicum aperientium, rubiae tinctorum, curcumae, eryngii, ononidis, polygalae tam virginianae, quam nostratis, contrayervae, pareirae bravae, ligni sassafras, iuniperi, lentisci et similium; quorum novissima speciatim locum habere possunt, ubi morbus a cohibita transpiratione originem duxerit. Quod si scabies retropulsa, aut aliorum morborum, qui cutim obtinent, suppressio antecesserit, remedia ex antimonio, sulphure et viperis parata apprime conveniunt, item scabiei insitio aut communicatio, vesicantia, fonticuli et huiusmodi. Neque antiscorbutica aut antivenerea omittenda demum sunt, si a scorbuto, aut a venerea labe malum foveatur. Animadvertendum tamen est, diureticorum usui, quo *anasarca* sublatus est, non raro paulo post peripneumoniam succedere, quae hominem cito enecat; quemadmodum saepius inexspectato vidimus.

Decocta aperientia et diaphoretica.

Antimonii sulphuris viperaeque praeparationes.

Revellentia.

Antiscorbutica etc.

Diuretica non raro noxia.

§. CLXXXIV.

In illa vero *cachexiae* aut *hydropis* specie, quae nimias sanguinis aut cuiusque humoris evacuationes subsequitur, amaris, stomachicis et roborantibus remediis utendum est. In his praestant absinthium, marrubium album, chamaedrys, eupatorium Mesuaci, abrotanum, cortex mali aurantii, cascarillae, chinae, lignum quassiae; e quibus decocta, extracta, vina, tincturae, pulveres, electuaria, pilulae parantur. Prae ceteris vero chalybs sive mars celebratur, cuius tamen usum suspectum habet GEOFFROYUS. Haec quoque opportuna videntur, cum menstrua, aut haemorrhoidum fluxus substiterint, morbique principium fecerint.

Amara, stomachica et roborantia quae et quando.

Mars.

§. CLXXXV.

In casu autem (§. CLXI.), ubi serosa pars reliquas superat, aut a reliquarum mixtione secedit et supereminet, cautissime hydragoga et diuretica adhibeantur, ne eorum dissolvente facultate quod reliquum est sanguinis rubri magis

Hydragoga et diuretica non tuta remedia.

magisque colliquescat. Laxantia, resolventia ac stimulantia utplurimum reprobat Cl. CASIMIRUS MEDICUS [1]). Ubi vero pulsus et sanguis inflammatorius sit, venae sectionem adhibendam docet, nec antispasmodica spernenda [2]). In *anasarca* sine febre sudorem laconico et vapore spiritus vini, aut vesicis aromatico decocto plenis corpori utrinque admotis proliciendum praecipit BAGLIVIUS [3]). Applicationem vero calidorum cinerum et fricationes ex oleo et sale communi, dum interne cremor tartari exhibetur, commendat laudatus CASIMIRUS MEDICUS; sic enim serum in vasa resorbetur, et ad vias urinae ducitur [4]). Alii vesicantia cruribus imponi [5]) iubent, nec mali quidquam ab iis verentur. Haec ipsa proponi video in eo *anasarca*, qui gravidis supervenit [6]); quod in his diuretica fere inutilia, si non noxia aestimantur, periculosa vero ob abortum, quem provocant, cathartica. A tumente enim utero sic venae premuntur, ut per eas sanguinis reditus retardetur, aut etiam impediatur, atque hinc aut seri effusio in adiposas cellulas contingat, aut ab iis debita resorptio (§. CLXII.) non peragatur [7]).

In anasarca sudorifera ex BAGLIVIO.

Applicatio calidorum cinerum et oleosae fricationes ex MEDICO.

Vesicantia.

Quid in gravidarum oedemate.

1) *Comm. Lipsiens. suppl.* 2. *ad decad.* 2. *p.* 221.

2) *Id. ibid.*

3) *Praxis medica lib. I. cap.* 13.

4) *Observation. medic. T. II. p.* 696.

5) TARGIONI TOZZETTI *Osservazioni p.* 83.

6) *Commentar. Lipsiens. de reb. in S. N. et M. gestis Vol. V. P. IV. p.* 648.

7) *Quaedam leguntur de anasarca, ascite et leucophlegmatia ab auctore proposita Vol. II.* §. *XCII. et CII., quae videsis.*

§. CLXXXVI.

Incisiones in cute supra talum.

Quomodo inflammatio et gangraena

Praeter vesicantia, ut seroso humori paretur exitus, etiam incisionibus cutis est pertundenda. His autem pars tibiae inferior duobus supra talum digitis conciditur, ut quidem ad cellulosam usque membranam penetrent, non vero ultra pertingant. Sed vulnuscula saepe inflammatio, dolor

et quandoque etiam gangraena consequitur. Ne id mali obveniat, fovenda sunt, ut passim praecipitur, decocto plantarum emollientium, addito spiritu vini, cui aliquid camphorae admixtum sit; vel si *gangraena* magis timeatur, antisepticis et simul vim vitae excitantibus eiusmodi metus antevertendus plane est. Incisionibus utpote tutiorem et minus huic incommodo obnoxiam FOTHERGILLIUS [1]) praefert scarificationem ope illius instrumenti, quo ad cucurbitulas scarificandas utimur. Hac ipsa multo ante, quam FOTHERGILLIUS eam proposuit, pluries ego usus sum, sicque graviora symptomata, quae ab incisionibus fiunt, studui evitare. Quoniam tamen non omnis inflammationis et gangraenae metus scarificatione avertitur, aliud auxilii genus excogitavit THOMAS LAWRENCEUS, nimirum unicam incisionem prope talum, minutam quidem, sed profundam, quacum praeceps humorum profluvium, tum sphacelus praecaveatur [2]). Haec evacuatio etiam in *ascite* locum habere potest [3]). Nam saepe natura eam per se ipsam moliri visa est [4]). Sed, educta sic serosa colluvie, pendulae, flaccidae et laxae partes circumductis fasciis firmentur, ne iterum novus humor in eas irruat et confluat, ut apposite monet SWIETENIUS [5]).

ab incisionibus timenda antevertatur.

Sacrificationes.

Unica et minima prope talum incisio tutior, quae in ascite etiam prodest.

Crura fasciis firmanda.

1) *Comm. de reb. in S. N. et M. gest. Tom. XVIII. p.* 396.

2) *Dissert. de hydrope p.* 49. *et* 57.

3) MEAD. *Monit. et praecept. med. cap.* 8.

4) *Hic addenda videtur Cl.* TISSOTII *methodus, quam inter auctoris schedas invenimus.* Cantharides primum, quae ab aliis laudantur, applicitas improbat; quoniam acria laedunt. Acris enim humor effluens cutim irritat, inflammat etc. Hinc gangraenae metus. Tum etiam scarificationes veluti eidem vitio obnoxias, in corpore imprimis cacochymico. Idcirco radicem *bryoniae* in taleolos sectam, deinde leniter contusam et calefactam applicat cruribus; quae serum leviter irritando educere valet. Prima applicatio nihil educit, at post XII. horas renovatur, et denuo nova apponitur, donec fluxus duratio certa videatur. *Epist. var. argum. p.* 144. 145.

Radix bryoniae secta, contusa, calefacta cruribus applicanda.

5) §. 28.

§. CLXXXVII.

Succus iridis palustris.

Interdum cathartica (§. CLXXXII.), vel acriora vix quidquam alvum movent. Tunc succus iridis palustris ad guttas LXXX. ex aliquo syrupo altera quaque hora propinatus magnam serosi humoris vim eduxisse, et postea minori dosi datus aegrum restituisse [1]) fertur. Baccarum ebuli succus inspissatus sine acritatis et caloris vitio excretiones omnes exsuscitando pluribus item profuisse dicitur [2]). *Anasarca* cum difficili respiratione, quae *pulmonum oedema* *) simul indicabat, coniunctum, victus aut diaetae erroribus, aut scabiei retropulsae, aut nimio motui atque equitationi, aut suppressis menstruis succedentem curavit non raro ALBERTINIUS [3]) lenibus hydragogis, diureticis, chalybe, iure viperino, et aliquando, quod mirum quibusdam videbitur, sanguinis detractione. Et quod ad sanguinis missionem pertinet, haec, ubi plethora in suspicionem venit, et alioquin bonus habitus non desideratur, initio morbi saepe necessaria est, praesertim in *pedum oedemate*, aut recenti *anasarca*. Omnium tutissima ea est, quae e venis ani per hirudines instituitur.

Succus baccarum ebuli.

Oedematis pulmonum cum anasarca ex ALBERTINIO curatio.

An sanguinis missio convenire unquam possit.

Quaenam tutissima.

1) *Essays d'Edimbourg. vol. V. p.* 107.

2) TISSOT. *cit. epist. p.* 138. *Additio ex sch. auct.*

3) *Comment. ac. sc. Bonon. vol. I. l. c.*

Pediluvia in oedemate pulmonum.

*) LIEBERKUEHNIUS aquam in *cellulari pulmonum* congestam ad crura pediluviis descendere per cellulosam telam cogebat, deinde roborantia adhibebat. (TISSOTIUS *l. c. p.* 146.) *Ex sched. auct.*

§. CLXXXVIII.

Extrinsecus adhibenda. Frictiones. Farinae calefactae aliaque resolventia et roborantia. Bardanae folia cruribus circumdata.

Extrinsecus etiam quaedam curationem adiuvant. Fricatio lenis, continuata et sensim aucta tumentibus partibus saepe profuit. *Oedemati*, quod non ab interiori vitio pendet, sed potius a vasorum et telae cellularis laxitate fovetur, farinae resolventes clibano calefactae, arena maris, pulveres ex herbis discutientibus, roborantibus applicentur calide. Folia etiam bardanae cruribus circumdata magnam seri copiam extrorsum alliciunt. Sed id ipsum fortasse validius

praestat radix raphani rusticani contusa, et plantis pedum alligata, LUDWIGIO referente. Tibialibus quoque ex tela linea validiori crura firmentur, ut tumori non pateat aditus. Cavendum tamen ab iis, quae tumores pedum valide discutiunt, aut reprimunt, si *oedemata hydropis pectoris, abdominis* vel cuiusvis alius internae affectionis symptomata videantur. Pravus enim aut exuberans humor malo eventu ad interiora propellitur. Hinc *pedum* et *coxarum oedema*, quod febribus supervenit, spiritu cochleariae intrinsecus dato oppugnandum rebatur HAMILTONUS [1]). Dabat autem XX. aut XXX. guttas huiusce spiritus vehiculo idoneo exceptas, atque iis subinde interponebat alvi purgationem. LANGEUS [2]) laudat salem tartari ad grana XV., et quandoque ad scrupulum unum singulis diebus mane ad hebdomadam datum, cum desuper hausto infuso baccarum iuniperi contusarum. Salubre monitum nobis reliquit Cl. SWIETENIUS [3]), purgantia scilicet nocere, quando *oedema* febribus intermittentibus nondum devictis supervenit, prodesse vero fricationem *) et vina ex amaris et aromaticis medicata. Qua in re ab eo non dissentit LUDWIGIUS [4]).

Tibialia.
Cautio.
Spiritus cochleariae intus datus quibus oedematum speciebus conveniat.
Sal tartari.
Purgantia interdum noxia.
Fricationes et vina medicata prosunt.

1) *De febrib. miliar. cap. IX.*
2) *Miscell. verit. fascic. I. p.* 68.
3) §. 753.
4) *Instit. clin.* §. 96.
*) Cl. TISSOTIUS laudata *epistola p.* 139. *asciticos,* inquit, *oleo fricare, res nova non est. Abdomen per horam mane et vespere fricatur cum manu oleo olivarum madida, et post aliquot dies profuse mingens aeger detumescit.* Ex sch. auct.

Fricationes oleosis factae.

§. CLXXXIX.

Multa ex his, quae supra (§§. CLXXXII. et *sequent.*) enumeravimus, in *hydrothorace* etiam atque *hydrocardia* non reprobantur. In his tamen magis extolluntur diuretica, inter quae primas tenent pulvis asellorum aut succus ex his expressus, terebinthina, balsamum *Copaivae* aut peruvianum, spiritus salis dulcis nitrive, radix scillae, vinum oxymelque scilliticum, liquor terrae foliatae tartari, sal volatile succini,

Curatio hydrothoracis et hydrocardiae.
Diuretica.

Radix scillae pulmoni noxia.

lac gummi ammoniaci aliaque huius generis. Scire vero oportet, radicem scillae, cum caustico quodam principio agat, tenellam pulmonum compagem saepe nimium irritare et quasi inflammare. Quam ob rem WAGNERUS eam quodammodo cicurire tentat, addito nitro in hunc modum. Rec. *radic. scillae s. p. gr. jv. ad gr. x., nitri purissimi gr. viij. ad gr. x.* [1]). Corrigitur etiam, teste LANGEO [2]), floribus cassiae cinnamomeae cum nitro admixtis. Alii venenatam acremque eius indolem ut temperent, eidem adiiciunt vincetoxici radicem, idque praesertim HEISTERUS, RAHNIUS et CATTANEUS faciunt [3]). Ad quemcunque hydropem, et praecipue *hydrothoracem* aliosque serosos morbos a Cl. STÖRCKIO laudatur oxymel colchicum, et variae eodem praestitae curationes narrantur. De eo autem intra diem non amplius quam drachma una vel altera, vel ad summum semuncia, sed partitis dosibus, praeberi solet. Oxymelle hoc narrat SCOPULUS [4]) curatam vetulam quinque et sexaginta annorum, quae in hydropem inciderat, frustra vero istud ipsum duobus aliis hydropicis datum fuisse. Inter diuretica non infimum locum meretur vinum medicatum SYDENHAMII, quod sic paratur. Rec. *Ciner. genist. lib. j. Infund. frigid. in vini rhenan. libr. iv. Add. fol. absinth. vulgaris m. j. Deinde filtrat. liq. unc. iij. dentur bis vel ter in die horis medicis.* Hoc enim complures hydropici sanati dicuntur. Sed asciticis magis convenire videtur.

Qua ratione eius vis caustica corrigatur.

Oxymel colchicum.

SCOPULI *observationes de eo non satis probant.*

Vinum medicatum SYDENHAMII.

REGNAUDOTII *form.*

1) WAGNERI formulae similem proponit REGNAUDOTIUS (*Histoir. de la Société Roy. de médec. T. II. p.* 226.) adversus *anasarca* aliasque *hydropis* species, quae sic habet: Rec. *radic. scillae recent. p.* j. *v. gr. scrup.* jv. *Salis de duob. part.* iij. *v. g. drachm.* jv. *In mortario marmoreo subigantur rite simul, donec fiat massa aequalis. Ex hac f. pil. gran.* xij., *et siccari sinantur. Dosis n.* jv. *bis in die. Superbibenda infusio plantar. aperient. cum vin. alb. q. s. Serum lactis cum antiscorbuticis interdiu detur.* Ex sch. auct.

Cassia cinnamomea.

2) LANGEUS *miscell. verit. fascic. I. p.* 66. Fructus exsiccati lauri zeylanicae baccis calyculatis novissime ad nos advecti, flores cassiae cinnamomeae dicuntur. *Ex sch. auct.*

Animadversiones Cl. TISSOTII *de*

3) Cl. TISSOTIUS citata epistola ait, *scillam in hydrope esse magnum remedium datum dosi, qua per renes agat* (*p.* 114.). *Ceterum nocet, et enervat ventriculum, cui me-*

detur postea cortex. Secundo: acre est remedium, et dolores ubique excitat, imo nervos convellit, cui malo avertendo addita camphora valet. Tertio: sanguinem dissolvit et eiicit; igitur ubi humores soluti, caute adhibenda. Hinc saepe subiungendus illico cortex. Nocet, ubi est vetus scirrhus cum febricula; facilis enim exulceratio (p. 135. 136.*). Scilla pura sive cruda anteponenda. Duo vel tria scillae grana cum saccharo tritae summopere prosunt in hydrope pectoris. Torrefacta perdit multum virium. Igitur maiori dosi tunc danda ...... Aromatis additis ventriculi noxae avertantur. Acetum scilliticum intolerabile. Vinum potentius remedium, sed non omnes ferunt. Oxymel apta dosi nulli praeparationi secundum, imprimis nitro aut sali medio nuptum. p.* 137. 138. Ex sch. auct. *viribus scillae in hydrope.*

4) *Flora Carniol. T. I. p.* 266.

§. CXC.

A P. Salio laudantur elaterium et succus radicis sambuci ebuli.

De *hydero pulmonis* et *hydrothorace* luculenter loquitur PETRUS SALIUS DIVERSUS [1]); et quamquam cathartica vehementiora in iis passim reprobari soleant, ipse tamen ad evacuandos serosos humores felicissime se adhibuisse testatur elaterium et succum radicum sambuci, fortasse ebuli. Illud dabat ad quatuor grana, quae maxima dosis ei erat, hunc ad sesquiunciam. Repetenda autem haec remedia esse, auctor est, quia *unica evacuatione universam materiam* educere non possunt. Educta porro materia, monet, causam generationis materiae inquirendam esse, ut, si fieri potest, tollatur. Generatim cauteria brachiis et femoribus inurenda proponit, quibus relapsus praecaveatur [2]). *Cauteria in brachiis et femoribus.*

1) *De affect. partic. cap. V.*

2) *Ibid. p.* 223.

§. CXCI.

Paracentesis in hydrothorace.

Sed praestat aquas statim, praesertim si recens aut post hydatidum ruptionem confluxerint, paracentesi educere [1]). In hydrothorace punctio intra *nonam* et *decimam* costam quinque aut sex digitis a spina communiter instituitur. HIPPOCRATES diaphysin, ut superiori *capite* innuimus, id est corpus ipsum alicuius costae perforabat modiolo. At Cl. SHARPIUS strenuus chirurgus anglus eam rectius institui *Iuxta* SHARPIUM *quo in loco instituenda.*

putat intra *sextam* et *septimam* costam, quod olim fieri solebat, supputatione ab infima facta, distantia a sterno et vertebris aequali; quem locum video etiam praeferri ab OLAO ACRELIO [2]). Sed is parum confidit huic auxilio, nisi exundantis seri fons obturari possit. Ubi vero boni exitus spes affulget, mature ad paracentesin properandum esse docet.

Observatio MORELANDII.

Foemina gravida (rem narrat WILLIAMUS MORELANDIUS) hydrope laborabat. Huic intra *sextam et septimam costam* incisione facta extractae sunt librae septem aquae limpidae. Animi deliquium hinc passa est, sed postea bene habuit, vulnusque intra mensem clausum est. Peperit iusto tempore feliciter [3]).

Observationes de bono paracentesis eventu ex LOURDIO.

Methodus Lourdiana.

1) Cl. LOURDIUS (*Journ. de médecine mens. Maii anni* 1782. *p.* 408.) paracentesin in *hydrothorace*, utpote utilem et nulli obnoxiam periculo proponit, modo propere et antequam laesio in pulmone fiat, instituatur. Instituendam autem putat potius acu triquetra (*troiquart*), quam cultro illo, quem *bistouri* gallice appellant; si tamen ea circumspectione introducta sit, ut, statim ac vacuum ingreditur, nullaque amplius percipitur resistentia, inde retrahatur. Fatetur quidem inutilem evadere, si pulmoni pleura adhaerescat; ast non idcirco utilius incisionem fieri, quoniam non tam facile est, ut fortasse contendunt, a pulmone eandem pleuram disiungere. Bono et felici omine sic pluries in utroque pectoris latere institutam fuisse narrat. Ratione vero sequenti peragitur. Punctio fit *quatuor digitis transversis* sub *angulo inferiore omoplatae*, et *quinque digitis* pariter *transversis maioribus procul a spina dorsi*, qui locus respondet intervallo, quod est inter *tertiam* et *quartam* costam spuriam, enumerando ab infernis ad superiora. Ibi fit etiam *empyematis* operatio. Neque syncope, quae post punctionem interdum supervenit, ab eadem absterreat, nam levioribus adiumentis paulo post omnino cessat. *Ibid. T. LVII. p.* 303. *sched. auct.* Paracentesin feliciter adhibuerunt HIPPOCRATES, WILLISIUS, LOWERUS, BOURDELINUS, BARGERONUS, MORANDIUS, DUVERNEYUS, SENACIUS aliique. *Ex sch. auct.*

2) *Comment. de reb. in Sc. n. et M. gest. vol. XV. p.* 425.

3) *Transaction. philosoph. vol. LVI. p.* 302. Paracentesin lanceola potius, quam acu triquetra instituendam vult MARTINIUS. Vid. *Comment. Lipsiens. vol. XV. p.* 31.

§. CXCII.

Paracentesis in hydrocardia. RIOLANI *methodus.*

Utinam id genus chirurgiae ut in hydrothorace, sic in *hydrocardia* locum haberet. *Saepe*, inquit RIOLANUS [1]),

in eo (pericardio) *copiosus humor colligitur, qui suffocationem adfert, et cor obruit. Si non possis exhaurire istud serum per hydragoga, licetne terebra sternum aperire, intervallo pollicis a cartilagine xyphoide, quia pericardium ibi adnexum ad suspensionem cordis? Dubia salus certa desperatione potior etc.* Post RIOLANUM eadem propemodum aquam e pericardio educendi ratio suadetur a Cl. SENACIO [2]), sed hic neque terebram, neque locum indicatum adprobat. Ipse enim acum *triquetram* inter *tertiam* et *quartam* costam prope sternum sic adigendam iubet, ut oblique versus mucronatam cartilaginem feratur. Hac ratione evitantur vasa sanguinea maiora, aliaeque partes, quas sauciare periculosum esset. An vero unquam haec punctio tentata sit, et quem habuerit exitum, non mihi profecto perspectum est. Optandum tamen esset, ut primum in cadaveribus, deinde in vivis a docto et exercitato chirurgo eius periculum fieret. Nec aliter curanda esset *hydrocardia purulenta*, quae pericardii aut cordis suppurationem (§. CLXXI.) subsequitur.

Alia SENACII.

Cur tutior haec methodus SENACII.

Quid praestandum velit auctor.

1) *Encheirid. anatom. lib. III. cap. IV. p.* 206.

2) *Du coeur. l. c.*

§. CXCIII.

Quacunque demum via punctionis ope extrahatur aqua (§§. CXCI. CXCII.), summa quies et tenuissimus victus per aliquot dies imperetur, ut, humorum motu placidissimo reddito, oscula vasorum facilius se contrahere possint. Deinde ad roborantia transitus fiat, quorum usus etiam necessarius est, ubi hydrops aliter fuerit discussus. Tum crasis debita sanguini restituenda est, et solidis partibus debitum robur (§. CLXXXII.). Quo spectant cortex peruvianus et aurantiorum, cascarilla, blanda aromatica, vinum absinthites, rhenanum, burgundicum, rubrum de monte politiano, et prae ceteris praeparata martialia. Quorum actio vectione, equitatione, frictione, aëris mutatione, peregrinatione, ru-

Curationis ratio post eductas aquas in hydrope.

Quies.

Tonica ad crasin sanguini reddendam et solidis partibus robur.

Auxilia quaedam externa.

stricatione, animi hilaritate aliisque huiusmodi praesidiis adiuvanda est.

§. CXCIV.

Diaeta.

Victus ratio generatim ad exsiccantem vergat; hinc carnes assae potius, quam elixae concedantur. Panis sit biscoctus. Olera, quae diuresin movent, non debent excludi, uti turiones asparagi, lupuli, foeniculum, apium, pastinaca, tragopogon, cinarae, rapae, cepae, porra. Abstinendum quantum fieri potest a largiori potu est; sola enim a potu abstinentia hydropes contumacissimos curatos novimus. Interdum tamen negari haud potest, potum etsi largiorem mirifice profuisse; cum scilicet humores nimia densitate nimioque lentore cohaeserint. BACHERUS laudat copiosum potum [1]) et suas pilulas tonicas. Vinum, si eius aliquid dandum est, absinthio pontico, aut baccis iuniperi, aut millepedibus infusis alteretur. Ad fallendam sitim, quando urentissima urget, os et fauces aqua cum aceto remixta colluantur. Cerasa acida, pruna acidodulcia, limonii aut citrei mali frustula saccharo conspersa ore detineantur. Aër sit purus, siccus, elasticus. Motus corporis in simplici *anasarca* atque *oedemate*, imprimis quando vita deses et nimia quies in causa fuit, non erit reprobandus. Noxius vero est in *pectoris* aut *pericardii hydrope*. Navigatio tamen nemini officit, et bene fertur.

Abstinentia a potu. Quando largior potus conveniat.

Quid sitim fallat.

Aëris qualitates. Quando motus confert.

MILMANNI opinio de causis hydropis, curandique methodus.

1) FRANCISCUS MILMANNUS (*Animadversion. de nat. hydrop., eiusq. curatione. Lond. et Vienn. ann.* 1779.) BACHERI sententiam de largioris potus usu in hydrope tuetur, quam sane HIPPOCRATIS doctrinae conformem esse nititur demonstrare. Excludit omnem subtilitatem aqueam ab hydropis causis, et semper atoniam et obstructionem in causa esse contendit. Dubitat, an impediendo fluxui humorum in abdomen post paracentesin externae sufficiant arctatae compressiones, sibique persuadet, earum opem utiliorem evadere, si qua pars aquae prementis, paulatim postea educendae, in cavo relinquatur. Hinc methodum partite aquas extrahendi approbat commendatque, et nonnullas obiectiones resolvit. Eius curandi ratio est haec. Si aeger non sit debilis admodum, aquas purgantibus alternis diebus, vel bis in hebdomada datis dispellere nititur. Dat *pulverem ex radice ialappae drachma semis et*

calomelanos granis septem compositum (*p.* 114.); diebus intermediis *haustum salinum*, qui sic habet: *Aq. menth. simplic. unc.* j., *aquae purae. unc.* β. *sal. tartar. gr. XV.*, *acet. destillat. drachmas* vj., *vel quant. satis ad salis saturationem; aq. piperis iamaicens. drachm.* j., *syrup. simpl. unc.* j., *m. f. haust.* Huic haustui adiiciebat *acet. scillit. gutt. XL.*, vel *drachm.* j., et repetebatur *sexta* quaque hora. Cum purgantibus dabat decoctum avenae et iuscula humectantia (*p.* 115.). Sed purgantia non respondent semper, vires nimis deiiciendo. Tunc ad diuretica confugit. Omissis purgantibus dat salinum haustum cum aceto scillitico et magnam aquae copiam cum pauxillo salis diuretici, et saepe intra spatium *quadraginta* horarum urinae copiosae profluunt (*p.* 116.). Potum etiam laudat ex *cremor. tartar. unc. semis in aq. hord. lib.* ij. *solutae, cui syrup. ad grat. dulced. et spirit. vini gallici unc.* j. vel ij. *adiectae sint.* Hoc modo datum, et simul haustum salinum, brevi urinas ciere, quod alias non facit, nisi post longum tempus (*p.* 118.). Decoctum senegae sedes et urinas movet satis bene. Rec. *rad. senegae unc. semis, Aq. sesquilib. Decoq. ad lib.* j. *Cola. Dentur unc.* iij. *bis, vel ter in die.* Purgantia initio, progressu diuretica laudat (*p.* 120.). *Ex ital. sched. auctoris haec omnia adiicienda huius morbi curationi non dubitavimus, quae, etsi fortasse non necessaria, inutilia tamen omnino legenti non erunt.*

CAPUT VI.

DE DIFFICILI RESPIRATIONE ET SPECIATIM DE ASTHMATE.

§. CXCV.

Naturalis respiratio ea profecto est, quae solo paene diaphragmate et thoracis motu vix adspectabili facile et commode perficitur; contra laesa aut difficilis, quae ab ea modo aliquo deflectit. Deflectit vero aut raritate, aut frequentia, aut magnitudine, aut parvitate, aut vi, aut inaequali cum inspirationis tum exspirationis ordine, numero, velocitate, duratione. Hinc vitium in ea esse dicitur, quando maior aut minor est, longior aut brevior, tardior aut velocior,

Respiratio naturalis.

Laesa et difficilis.

Vitiosa quot modis.

frequentior aut rarior, vehementior aut languidior, itemque quando inaequalis, inordinata, interrupta et sic porro.

§. CXCVI.

Quatuor gradus difficilis respirationis.

Verum hisce (§. CXCV.) differentiis, quae plerumque aut morbi non sunt, aut morborum tantum symptomata, praetermissis, de illis spirandi laesionibus agemus, quae difficilem respirationem reddunt, quaeque per se gravis morbi speciem referunt. Haec in quatuor veluti gradus distinguitur, quorum singulis peculiare quoddam nomen a medicis inditum est. Sunt autem *dyspnoea*, *asthma*, *orthopnoea*, *apnoea*. *Dyspnoeam* dicunt, quando respiratio leviter tantum laeditur aut depravatur. Quando vero spiritus difficilius adducitur educiturque, pro vario difficultatis modo et varia gravitate id vitii vel *asthma* est vel *orthopnoea*. In illo scilicet respiratio frequens cum anhelitu, sibilo et quadam pectoris oppressione aut molestia coniungitur; sed plerumque *asthma* debet esse recurrens et chronicum. In hac respiratio ita difficilis est, ut aeger non modo residere, et magno conatu erectaque cervice inspirare debeat, sed etiam rhonchos ducere et stertere. Si demum spiritus prope videatur compressus aut ablatus cum vocis sono ferme amputato, pulsu parvo, inaequali, tardo, anxietate, pectoris pondere atque interdum dolore, tunc *apnoea* et *catarrhus suffocativus* nominatur.

Quid dyspnoea. *Quid asthma.* *Quid orthopnoea.* *Quid apnoea.*

§. CXCVII.

An inspiratio sola laedatur.

In hisce affectibus (§. CXCVI.) quidam volunt *inspirationem* tantum laborare, non *exspirationem*, ideoque perperam ad *respirationem*, quae ex utraque earum coalescit, eosdem transferri. At si quid ego iudicem, profecto hi videntur a vero non parum aberrare. Nam frequentius quidem *inspiratio* laeditur, quia plures sane causae incidunt, ut mox patebit, quae inspirationi officiunt, quam quae exspirationi. Sed negari haud potest, hanc quoque interdum, etsi multo rarius, vitiari aut inhiberi, quemadmodum infra signi-

significabo. Itaque cum innumera ferme sint, quae respirationi rite obeundae requiruntur, ut ex physiologicis constat, cumque alia inspirationi, alia exspirationi inserviant, quotiescunque eorum aliqua defecerint, respiratio etiam laedatur, necesse est. Causae igitur laesae *respirationis* erunt bene multae; sed ut ordine procedam, ab iis primum ordiar, quae *inspirationi* impedimento sunt, deinde ad eas veniam, quae *exspirationem* intercipiunt. *Laesae respirationis multiplex causa.*

§. CXCVIII.

Inspirationi officiunt aër vel copia, vel qualitate deficiens, vel alienis noxiisque halitibus [1]) infectus, larynx, trachea [2]), bronchia indurata, rigentia, vel spasmo contracta, vel muco, lympha, pure, tumore, abscessu, polypo [3]), calculis, lumbricis [4]) aliisque alienis corporibus illapsis obstructa, vel arctata, vel compressa, vesiculae pulmonares pulvere, pilis, floccis, pituita, sanguine aliove humore oppletae, aut lapideis concretionibus, scirrhis, tuberculis, vomicis, abscessibus, oedemate vel quavis alia congestione etiam sanguinea impeditae, hydrothorace, hydrocardia, empyemate, emphysemate [5]), hydatidibus, mediastini pleuraeque tumoribus, cordis, auricularum aortaeve dilatationibus extrinsecus oppressae et gravatae, vasa pulmonica glutinoso humore, concreto sanguine vel viscidiore infarcta et praetumida, musculi intercostales aliique, qui thoracem elevant et dilatant, paralysi tacti, aut alio modo male affecti, inflammati immobilesque redditi, nervi ad eos tendentes simili vitio laborantes, diaphragma pariter resolutum, viscera abdominalia sursum contra septum transversum, imo in cavum thoracis adacta, ventriculus flatibus turgens, aut abdomen aqua intumescens, diaphragmatis descensum impediens, et demum aër in cavum thoracis ingressus atque expansus, aut praegrandis aliquis tumor pulmonum dilatationem [6]) impediens. *Quae laedant inspirationem.*

1) *Aër,* si debita copia deficiat, aut immodice rarescat, inflandis pulmonibus dilatandoque thoraci impar est. Potest etiam noxiis mephitibus ita scatere, ut nervos repente resolvat, sicque paralysin musculorum thoracem elevantium inducere.

2) Vid. *Vol. III. cap. XVII. de angina* §§. *CCCLXXV. CCCLXXVI. CCCCXXIII.* et seqq.

3) *Polypi,* quales naribus innascuntur, saepe asperam arteriam et bronchia obsident; imo interdum tussi vehementi evulsi expelluntur. Vide WARENII observationes in *Medic. transact. by the colleg. of physic. Lond. Vol. I. p.* 407.

HALLERI *observatio.*

4) HALLERUS (*opusc. patholog. observat. IX.*) et alii passim observarunt, lumbricos e faucibus sibi viam in laryngem et asperam arteriam parasse. Vide HERBINIUM, *Journal de médec. Novemb.* 1778. *p.* 432.

5) Vid. BURSERIUM in *additionibus* ad DALLARMIUM, *Saggi di medic. prat.*

Alia MECKELII.

6) *Difficilem respirationem* et demum mortem ipsam ab aëre intra dextrum thoracis cavum collecto natam vidit prae ceteris MECKELIUS (*Mémoir. de l'acad. des scienc. de Berlin.* 1759. *p.* 42.). Tanta erat *aëris moles* atque *expansio,* ut diaphragma ex latere dextro deprimeretur deorsum, et iecur ad intestinum coecum usque protruderet. Aër autem iste e pulmonibus in cavum thoracis erupisse videtur cl. viro. Idem cl. auctor invenit (*ibid. p.* 44.) steatoma quatuor libras et uncias tres pendens, quod superius diaphragmati inhaerebat, et pleuram et lobos pulmonis sinistri corque ipsum e sua sede dextrorsum propulerat, ventriculum vero et lienem ad umbilicum et ilium versus. *Ex sch. auct.*

§. CIC.

Quae exspirationem laedant.

Exspiratio [1]) vero imminuitur aut tollitur ab aëre in pulmones ingresso nimirum elastico, et vim contractilem eorum superante, a nimia pulmonum laxitate, inertia, debilitate, ab ossea bronchiorum rigiditate, propter quam nequeunt non modo dilatari, sed ne concidere quidem, nec se restituere, a spasmodica et involuntaria musculorum intercostalium aliorumque thoracem elevantium contractione diutius, quam par est, protracta, a spasmo pariter diaphragmatis perdurante, a paralysi aut destructione sternocostalium et aliorum depressorum, a laxitate, resolutione, sectione musculorum abdominis aliisque similibus causis. Item impeditur exspiratio a diaphragmate deorsum tracto per auctam molem hepatis aut lienis, quae interdum tanta est, ut hypochondria non modo, sed etiam hypogastrium occupet.

Quomodo fiat inspiratio.

1) Musculi intercostales interni et externi, qui duo et viginti numerantur, costas elevant; diaphragma vero, dum se

contrahit, deprimitur. Sic thoracis cavum in latum et longum dilatatur. In maioribus vero inspirationibus aut inspirandi conatibus ad dilatandum thoracem concurrunt musculi scaleni, sterno-mastoidei, serrati posteriores, superiores, anteriores utrique, pectorales, item cervicales descendentes aliique fortasse thoraci, claviculis scapulisque inserti. His inspiratio perficitur. Exspirationem vero elater et pondus costarum, vis retinens bronchiorum et vesicularum pulmonarium, fibrae musculares, quae in bronchiis atque in aspera arteria existunt, musculi sterno-costales LIEUTAUDII, sive triangulares aliorum, musculi abdominales et demum in vehementiori conatu longissimus dorsi, sacro lumbalis, lumborum quadratus adiuvant absolvuntque. Vid. HALLER. *Elem. physiolog. T. III. lib. VIII. sect. IV.* §. *VI.* ad *XI.* Idem §. *XX.* ad *XXIV.*

Quomodo exspiratio perficiatur.

§. CC.

Hinc cuique exploratissimum est, difficilem respirationem saepe aliorum morborum esse filiam, neque *asthma* a sola, lenta et viscida materia pulmones replente, uti olim a quibusdam putatum est, proficisci, sed ab aliis atque aliis fere innumeris causis (§. CXCVIII.), ad quas praeterea referendus est sane impeditior sanguinis e corde in arterias traiectus; quo spectant cordis cavearum laxata compages, valvularum aortae ostio praefixarum rigiditas aut ossea durities, aorta ipsa angustior, aut polypo, aut tumore [1]), aut aliis eiusmodi impedimentis tam interioribus, quam exterioribus obcoecata. Restitans enim sanguis in vasis pulmonaribus pulmonum vesiculas praegravat obruitque.

Respiratio difficilis aliorum effectus morborum.

Alia vitia, a quibus asthma oriri potest.

1) Ex hac causa intra paucos dies magna difficultate spirandi et pulsu intermittenti affectus obiit D. TROMBELLUS medicus chirurgus Bononiensis in oppido Lugo Ferrariensis ditionis. Iamdiu orthopnoea atque animi deliquiis levioribus pulsuumque irregularitate laborabat. Eius cadaver dissectum ab excellenti medico BRUNORIO, qui in *aortae ostio* invenit *tumorem* arteriae membranas ad ovi columbini magnitudinem, omnemque cavitatem occupantem. Ex hoc cochlearia aliquot puris effluxere. Ceterum pulmo sanguine turgebat, et sanguinis aliqua effusio aderat in thorace, causa forte atrocissimi doloris, quo miser in pectore ante mortem cruciabatur. *Historia haec depromta est ex epistola* BRUNORII *ad* MINARDIUM *medicum Faventinum missa, quam inter auctoris adversaria repertam haud inutile duximus hic memoriae mandare.*

Tumoris aortae exemplum.

§. CCI.

Differentiae difficilis respirationis.

Itaque difficilis respiratio, prout a vitiis pulmonibus aut thoraci inhaerentibus, vel aliarum partium dissitarum culpa oritur, modo est *idiopathica*, modo *sympathica*, et pro originis diversitate modo *primaria*, modo *secundaria*, modo *symptomatica*. Speciatim vero *asthma* ratione causae distinguitur in *humidum* sive *humorale*, et *siccum* sive *convulsivum*, *spasticum* et *flatulentum*. Nec desunt qui in *sanguineum*, *pituitosum*, *purulentum*, *scirrhosum* illud etiam dividant; imo durationis modo in *continuum*, *fixum*, *periodicum*, *vagum*. Passim *siccum* et *convulsivum* unum idemque reputatur, sed perperam. Nam omne *convulsivum* esse potest quidem *siccum*, non vero omne *siccum* a convulsione aut spasmo pendere perspicuum est, si ad causas, quas (§§. CXCVIII. CIC.) indicavimus animus advertatur.

Asthma humidum et siccum. Ab aliis causis et a durationis ratione aliae differentiae. Siccum a convulsivo differt.

§. CCII.

Causae remotae asthmatis tam humidi, quam sicci.

Veluti remotiores causae *asthma* sive *humidum*, sive *siccum* antecedunt plethora in aetate media, serosa sive pituitosa colluvies, muci copia et fibrarum rigiditas in senibus, aër humidus et frigidus, vapores metallici, sulphurei, arsenicales [1]), humor arthriticus, podagricus, scabiosus, materia variolosa, herpetica, ulcerosa ad pectus translata, haemorrhoides et catamenia suppressa, cruditas acida primarum viarum, praesertim in hypochondriacis et in pueris, cacochylia quaecunque [2]), ingesta acria, uti fungi, cicuta aliaeque plantae venenatae, remedia ex plumbo parata, affectio hysterica aut hypochondriaca [3]). Denique viam malo quasi certo sternunt artes quaedam, uti molitorum, lapicidarum, tabacopoeorum, cribratorum, frugum mensorum, carminatorum lanae, lini, cannabis, et si quae sunt aliae similes.

1) Interior bronchiorum membrana adeo sensibilis est, ut ab acrioribus halitibus una cum aëre haustis illico spiritus iter praecludatur, constrictis spasmo fibris muscularibus, bronchiorum segmenta cartilaginea nectentibus. Hinc aut lethalis peripneumonia subito oritur, vel, si evaserint, *asthma* fere incurabile, et tota vita perseverans. VAN SWIETEN. §. 824. *Aër humiditate etc.*

2) Magnam *asthmatum* partem a stomacho pendere notavit BAGLIVIUS. *Append. de asthmat.*

3) In his vel a stomacho flatibus distento, vel a spasmo diaphragmatis *asthma* potest induci, nimirum vel quia sic sursum propellitur urgeturque diaphragma, ut descendere nequeat, vel quia deorsum spastice trahitur, ut laxari et elevari, quemadmodum ad exspirationem opus est, nequaquam possit. FELICIUS *Del presagio medic. p.* 166.

Diagnosis.

§. CCIII.

Quaedam ad diagnosin recte statuendam necessario praemittenda.

Difficilis respiratio (§. CXCV.) per se patet, atque ex iis etiam, quae dicta sunt, varii eiusdem gradus (§. CXCVI.) erui possunt. Causae vero plerumque latent, aut obscurae admodum sunt. Quare, ubi ad eiusmodi aegros accedimus, sedulo indagari oportet, assiduene malum teneat, an per intervalla recurrat, num *primarium*, aut alterius morbi *symptoma* sit. Utrum nervi laborent, ut vel de paralysi, vel de convulsione et spasmo suspicari liceat. An sanguis aut copia, aut qualitate peccet. An signa adsint hydrothoracis, aut hydrocardiae, empyematis, aut vitii alicuius organici laryngem, asperam arteriam, pulmones, cor, aut vasa maiora in praecordiis occupantis. An demum musculi respirationi dicati afficiantur, aut thorax consensu aliarum partium, atque imprimis abdominis laboret.

§. CCIV.

Asthmatis humidi diagnosis.

Deinde disquirendum est, an asthma *humidum*, aut *siccum*, aut *convulsivum* vexet. *Humidum* cognoscitur tussi humida, sibilo, stertore, levamine humoris alicuius excretionem subsequente. Solet etiam nunc augeri, nunc mitescere, prout humoris congestio increscit aut imminuitur, at nunquam intermittit, nisi morbo penitus soluto. In *sicco* tussis vel nulla est, vel inanis, et sputi expers. In *convulsivo* et *spasmodico* signa non deerunt convulsivae affectionis nervorumque aut in ipsomet eorum exortu, aut in eorum

Signa sicci et convulsivi.

progressu et distributione, puta abdomine, laborantium, nullus stertor, aut nullius saltem materiae sibilus persentitur, nulla eiusdem excretio, aut si ulla, uti urinae tenuis et crebrae atque aqueae, sine levamine est; malum a subita plerumque aliqua causa, et praesertim animum et nervos afficiente oritur, subitoque etiam cessat, aut saltem, quando minus opinamur, sese remittit; circa diaphragmatis porro regionem constrictio quaedam percipitur, quasi zona arcte circumdaretur, somnusque si superveniat, plerumque remedio est, dum contra somno aliae asthmatis species non sublevantur. Praecipuum vero et non infrequens *asthmatis convulsivi* symptoma saepe deprehendi summam pulsuum raritatem, ex qua sola non raro morbi natura mihi innotuit.

Symptoma praecipuum convulsivi.

§. CCV.

Signa communia omnibus speciebus asthmatis.

Communia esse possunt cuique asthmati praecordiorum anxietas, pulsus parvi, inaequales, intermittentes, rari, cordis palpitatio, faciei rubor, livor aut pallor vespertina aut nocturna exacerbatio, aut ad quemcunque corporis motum mali incrementum, vocis impedimenta, extremorum frigus, e lecto resiliendi necessitas, fenestras aperiendi, vehemens scapularum, humerorum, clavicularum abdominisque agitatio [1]), pinnarum nasi diductio, tremor, suffocationis metus et similia.

1) Ab huiusmodi musculorum abdominalium agitatione probabile est oriri dolorem, quem in abdominali et epigastrica regione saepe queruntur ashmate graviori laborantes.

Prognosis.

§. CCVI.

Signa prava et fausta cuiusque speciei.

Orthopnoeae.

Asthmatis.

Quaecunque *respirandi difficultas* non vacat periculo; periculum vero pro vario eiusdem gradu, et pro varia etiam, quae eam intulit, causa modo minus modo gravius est. In *orthopnoea* utplurimum maius. *Asthma* contumax esse consuevit, et saepe revertitur, et licet leve ab initio interdum videatur, plerumque tamen *hydrothoracis* aut alterius chro-

nici morbi triste augurium est. In senibus vix unquam curatur, imprimis si inveteraverit; imo in *catarrhum suffocativum* et *apnoeam* facile transit. *Siccum* in *humidum* verti cum facili et levante pituitae exscreatione bene ominatur; contra, si cum virium deiectione mutatio haec obvenerit; nam indicium tum esset, instare catarrhum suffocativum, sive sanguinis per pulmones traiectionem prorsus intercceptum iri. *Asthma convulsivum* sive *spasticum* acutus vere morbus est, et saepe vel optimis remediis reluctatur. Raro tamen occidit, nisi cerebrum aut cor graviter una laedatur. *Qui gibbi in asthmate aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur* [1]). *Spinae perversionem et spirandi difficultatem sanguinis fluxus liberat* [2]). *Spirationes, quae nonnisi erecta cervice ducuntur, hydropem siccum faciunt* [3]).

Siccum in humidum verti, bonum interdum, quandoque etiam malum.

Convulsivi vel spastici.

HIPPOCR. *aphorismi.*

1) HIPPOCR. *Aphor.* 46. *sect. VI.*
2) *Coac. praenot.* 311.
3) *Coacar.* 424.

§. CCVII.

Huc transferendum quodammodo est illud HIPPOCRATIS oraculum: *Ex iis, qui strangulantur, et resolvuntur, nondum autem sunt mortui, non se recolligunt, quibus spuma circa os fuerit* [1]). Tanta enim videtur fuisse suffocationis vis, ut non omnis faucium, et tracheae mucus inter respirandi conatus expressus, et cum aëre intime permixtus in spumam abiverit, et simul vasa cerebri aut rupta, aut enormiter dilatata nervorum omnium, etiam vitalium actionem sustulerint. Praeterea spuma circa os lethale signum exhibere poterit, ubi haec incipientis intra pulmones corruptionis aërisque sese extricantis fuerit significatio. Animadversione quoque dignum est illud, quod monet RIVERIUS [2]), nimirum complures *difficultati urinae* obnoxios saepe, hac evanescente, in *asthma* incidere, redeunte vero, ab asthmate liberari. Quod etiam de podagricis affirmari potest. Frequentissimum enim est, eos gravissima difficultate spirandi corripi, si *podagra* diutius immunes exstite-

Signum vere mortuorum, cur spuma circa os.

Observatio de asthmate ex metastasi aliorum morborum.

rint, nec prius convalescere, quam podagra ad pedes aut artus sese iterum contulerit.

1) *Aphor.* 43. *sect. II.*

2) *Prax. med. cap. de asthmate.*

Curatio.

§. CCVIII.

Indicationes. Causis curatio accommodata est. Missis autem spirandi difficultatibus, quae aliorum morborum symptomata sunt, quaeque ab eorundem curatione levamen exspectant, ad eas descendam, quae peculiare propriumque expostulant medicinae genus. *Si ab aëre oriatur.* Itaque si aër difficultatem spirandi fecerit, emendari arte debet, aut eius mutatio imperari. *Quid agendum, si a causis venenatis sit.* Si venena aut noxii vapores in suspicionem veniant, notae acritati occurrere contrariis remediis oportet, aut citissime, si fieri possit, eorum expulsionem moliri. *Si a paralysi aut spasmis.* Si a paralysi aut spasmo malum pendeat, omnia, quae in *capite VIII. Vol. III. de nervorum distentione et rigore* proposuimus, hic quoque opportuna erunt. *Oleosa.* Sed imprimis quando *convulsivum* et *spasticum* asthma est, oleum e vegetabilibus expressum, alterantisque in modum datum egregie prodest, itemque reliqua, quae molliunt et laxant, et ea pariter, quae anodyna *Anodyna.* sunt, uti liquor anodynus mineralis HOFFMANNI, sal sedativum HOMBERGII, liquor C. C. succinatus, sal volatile succini, camphora, moschus opiumque. *Quid si a spasmo nervorum intercostalium.* Extrinsecus ad laxandum musculorum intercostalium spasmum conferre cataplasma ex cepis in oleo olivarum assatis praedicatur a nonnullis. *Aëris mutatio.* Peregrinatio vero aërisque in salubriorem mutatio, quam BAGLIVIUS summopere laudat [1]), hic praesertim locum habet. In asthmate sicco aut convulsivo humidi suffitus et vapores a LOUISIO [2]) commendantur.

1) *De morbor. succession. cap. XII.*

2) *Mém. de l'Acad. roy. de chirurg. T. V. ann.* 1774. *p.* 549.

§. CCIX.

In summa *spirandi difficultate*, si repente corripuerit, atque homini non aetate, nec morbis fracto supervenerit, quaecunque eius causa sit, expedit sanguinem e vena brachii mittere, et multo magis, si plethora, si rubor faciei, si evacuatio aliqua suppressa id auxilii exigere videantur. Neque ab ea pulsus parvus, obscurus et contractus, aut extremorum frigus deterreat, dummodo reliqua non repugnent. *Venae sectio quando conveniat*

§. CCX.

Primarum viarum sordes, ubi sui indicia proferunt, morbumque fovere videntur, vomitu aut alvi ductione expellantur. Vomitione illud etiam efficitur, ut, si quid in pulmonibus haereat, valide inde excutiatur. In asthmate porro humido crassioris viscidiorisque pituitae exscreatio adiuvanda est oleosis, incidentibus, saponaceis. Imprimis laudantur veronica, scabiosa, althaea, hyssopus, helenium, radix iridis florentinae, sperma ceti, gummi ammoniacum, sapo venetus, oleum lini, mel, oxymel acetumque scilliticum, syrupus nicotianae, althaeae, erysimi, millepedes, eorum dilutum, aut ex vino albo expressio, alcalia volatilia, balsamica et terebinthinacea. Flores etiam sulphuris hic commendantur. FONSECA [1]) pomo dulci excavato indebat floris sulphuris scrupulum, et tantundem thuris masculi. Postea operculo suo clausum coqui cum cortice praecipiebat sub cineribus calidis, et sic coctum, et cortice mundatum comedendum dabet alternis diebus ad octo vel decem vices. Conficiebat etiam *electuarium* in hunc modum: Rec. *Sacchari, diamargariton frigid., diapenidior. ana unc. j., flor. sulphuris pulv. drachm. iij., mell. despumat. q. s f. electuar. molle. Dos. drachm. j. bis aut ter in die.* Quibus vero tabellarum forma magis arridet, hae sic parari possunt. Rec. *Sacchari rosat. unc. j. flor. sulphur. drachm. j. M. F. s. a. tabellae.* Quod si humor pulmones obstruens videatur potius serosus atque acer, quam crassus et visci-

Emetica. *Cathartica.* *Quid asthmati humido.* *Oleosa.* *Incidentia.* *Saponacea.* *Diuretica.* *Flores sulphuris et thus.* *Formula electuarii* FONSECAE. *Formula tabellarum.* *Mucilaginea.*

dus, tunc praeter oleosa mucilagines quoque, emulsiones, decocta hordei, hydrogala ceteris praeferuntur.

1) *Consil. med. LVIII.*

§. CCXI.

Radix scillae.

Marrubium album.

Fumus tabaci, tussilaginis, achilleae montanae.

Incidendi et sputum urinasque movendi laude celebratur radix scillae [1]). Hanc HESSIUS adhibebat a granis tribus usque ad grana duodecim [2]). Marrubium etiam album potenter viscidos et lentos humores incidit et solvit. Alii succum eius, alii pulverem radicis, alii syrupum, conservam alii summopere extollunt. At LANGEUS [3]) ex pulvere foliorum leni calore siccatorum maius emolumentum cepit. Tenerrimi surculorum apices ad id aptiores dicuntur. Fumum *tabaci* experientia commendavit. Eo enim egregie sputum elicitur, pulmonesque repurgantur. Sed *tabaco* substitui potest tussilago in eundem usum, et achillea montana artemisiae tenuifoliae facie Lobelii, quam saepe profuisse memoriae [4]) proditum est.

1) Videsis *animadversiones de scilla* in *Adversariis med. pract.* LUDWIGII. *Vol. II. P. IV. c.* 4. *pag.* 695.

2) *Commerc. litt. Norimb. an* 1739 *hebdom.* 34.

3) *Miscell. verit. fascic. I. p.* 57.

4) *Memor. dell' accad. di Parigi. Edit. venet. T. IX. p.* 25.

§. CCXII.

Acida vegetabilia. Praestantiora acida fossilia, praesertim in senibus.

Cantharides.

Acida quaecunque pulmones ad tussim exstimulant, et simul incidunt, exscreationemque promovent. At interdum e vegetabilibus deprompta ob admixtas mucosas partes vix satis operantur, praesertim in senibus, qui obtusiori sensu donantur. Quare FARRIUS in eorum asthmate et tussi fossilium acida tam intrinsecus, quam extrinsecus adhibenda mavult [1]). Multo vero prius a FLOYERO [2]) commendata fuerunt, imprimis nitri spiritus, et *gas sulphuris*, sive aqua fumo sulphuris acidulata. Longo autem usu cantharides celebritatem acquisiverunt. Hae enim cuti admotae, ut notum

est, non modo vesicas excitant, unde humor prolicitur, verum etiam aliquid sanguini immittunt, quo eius lentor attenuetur. Quare mos est quorundam, eas pluries et variis locis adhibendi, ut earum vis cum sanguine magis communicetur. His pituitosos senesque pristinae sanitati semper restituit KLAUMINGIUS [3]), ut ipse narrat. Potissimum vero in usum veniant, quando metastasis morbo causam praebuerit. *Praestantes in metastasi.*

1) *De acid. virib. p.* 123.
2) MEADIUS *De imperio sol. et lun. p.* 19. *vel* 29.
3) *Ephem. N. C. et* CRANTZIUS *Mat. Medic.*

§. CCXIII.

In ipso autem suffocationis metu praeter sanguinis missionem, de qua supra dictum est, plurimum saepe profuit pedes, aut manus, prout commodius fieri potest, in calidam demittere, fricationibus et cucurbitulis artus subiicere, aquae vaporem per os haurire. Devicto vero morbo, danda opera est, ne revertatur. Eo collimant fonticuli brachiis, femoribus, aut intra scapulas inusti, quos praeter MEADIUM [1]) complures alii proponunt. Sanguinem quoque vario modo emendare oportet, quo spectant multa, sed praesertim serum lactis, et lac ipsum, iura cancrorum fluviatilium, ranarum, testudinum, viperarum [2]), succi herbarum temperantium et antiscorbuticarum, decocta lignorum, aquae thermales, balnea, equitatio, vectio, aëris in rusticanum et puriorem mutatio. Quae enim de exhalationibus e terra aratro fracta, aut e fodinis sulphureis emanantibus praedicantur, etsi certis non sint experimentis innixa, non tamen omnino spernenda videntur. His igitur pro causarum diversitate uti licet ad prophylaxin, quibus si etiam victus opportuna ratio adiungatur, spes maior erit morbi arcendi praecavendique.

Balnea calida. Fricationes. Cucurbitulae. Vapores aquei. Ad prophylaxin. Fonticuli. Quae sanguinem emendent.

1) *Monit. et praecept. med. cap. V.*
2) Vide § 142. *in not. Volum. III.;* ibi enim viperini iuris usus fusius ab auctore defenditur contra quosdam eius vituperatores.

§. CCXIV.

Suspensi et submersi quomodo curandi. *Validae et diutinae fricationes.* *V. S. e collo et brachio.* *Fumus tabaci et aër in os atque anum insufflandi.*

Apnoeae summum gradum attingunt laqueo suspensi, aut aqua submersi. Hi ad vitam interdum, dummodo vere mortui non sint, revocari possunt. Non erit ergo alienum tradere, qua ratione iis succurendum sit. Utrisque corpus universum valide, et diutissime perfricandum est; venae brachii, aut colli aperiendae, ut sanguinis aliquot unciae effluant; cucurbitulae siccae affigendae; clysteres acres subter dandi; fumus tabaci [1]), aut aër in os (compressis naribus, ne per eas redeat), atque in anum insufflandus; acria naribus indenda, et vino calido os fovendum. Strangulatis etiam oleo et vino calido collum inungendum, submersis vero aequali temperato calore, quo foveantur, opus est. Quibusdam remedio fuit cinis aut arena calefacta, qua scilicet universum corpus involutum fuit. Neque hic silentio praetereundi sunt ii, qui vaporibus aut halitibus venenatis, uti carbonum, cloacarum, aliarum mephitium suffocationem aut mortem apparentem incurrerint; nam quantocius in aërem apertum, et frigidum capite elevato, maxillis diductis transducendi sunt, aqua frigida aspergendi, et fere eadem ratione, qua submersi et suspensi, ad vitam compellendi. In horum tamen os aut anum acria et volatilia, non vero stupefacientia, qualis *tabaci* fumus est [2]), immitti debent. Deinde etiam, prout res exigit, alia excitantia, revellentia et evacuantia administrari possunt.

Vaporibus venenatis suffocati. *Aër frigidus et liber.* *Aquae aspersiones.* *Cautio circa usum tabaci et acriora remedia.*

1) Submersum *tabaci* fumo in anum insufflato ad vitam Genuae anno 1777 revocatum fuisse, nuper ex literis comperi Cl. viri I. B. PRATOLONGO, cuius consilio atque ope id auxilii ibi primitus adhibitum fuit. *Ex sch. auct.*

2) CARMINATI *De Animal. ex mephit. et noxiis halitibus interitu.*

CAPUT VII.

DE ANIMI DELIQUIIS, SIVE DE LIPOTHYMIA ET SYNCOPE.

§. CCXV.

Animi deliquium quid sit et quotuplex.

Quando vitales animalesque actiones imminuuntur, aut abolentur ita, ut homo se viribus repente destitui sentiat, pallescat, frigeat, pulsibusque arteriarum evanescentibus morituro, aut mortuo similis evadat, tunc is *animo linqui* dicitur. Cum vero huius morbi varii sint gradus, non alienum est, eorum singulos recensere. Levissimus omnium est Ἔκλυσις, sive *virium exsolutio* ab ἐκλύω *exsolvo*. Hunc subsequitur Λειποθυμία [1]), sive *animi deliquium* aliquando gravius. His omnibus adhuc gravior est Συγκοπὴ, vox graeca a GALENI temporibus in artem invecta, quae definitur *praeceps virium omnium lapsus*, sive *subita rescissio*; κόπτω enim *scindo* est. Omnium denique gravissima habetur *syncope*, quae cum [2]) Ασφυξία, sive cum *pulsus* in toto corpore *abolitione* coniungitur, Σφύξις enim, sive Σφυγμὸς *pulsus* est; cui particula privativa addita fit vox, quae *sine pulsu* sonat. Sed speciatim de *asphyxia* in sequenti capite dicetur, cum non recte, mea quidem sententia, ad animi deliquia referatur. Plerumque enim in *asphyxia* sensus et motus et calor supersunt, quod minime *syncope graviore* correptis convenit.

An asphyxia ad animi deliquia recte referatur.

1) Synonyma sunt *lipothymia, lipopsychia* et *apopsychia* a Λείπω *derelinquo* et Θυμὸς *animus*, aut Ψυχὴ *anima*.

§. CCXVI.

Causa proxima.

Causa proxima videtur esse cordis et sanguinis motus fatiscens, aut etiam plus minus interceptus. Languente enim aut feriante cordis motu, languent ferianturque tum vitae, tum animi actiones; in quo positam diximus *animi deliquio-*

Causae remotae. *rum* naturam. Antecedentes et remotae causae sunt subitae et graves animi commotiones, odorum acutiorum perceptio, dolores aliquarum partium acerbiores [1]), spasmus cordis gravior non minus, quam eiusdem paralytica resolutio [2]), nervorum cardiacorum compressio aut irritatio [3]), convulsiones in cerebro inceptae, aut alibi exortae, et ad cor ipsum propagatae, ossicula in processu falcato meninges et cerebrum prementia, irritantia, pungentia, talia scilicet, et tali in loco posita, ut nervos convellere aut resolvere possint, qui ad cor spectant, aut cum corde consentiunt [4]), evacuationes immodicae quaecunque, venena, febres malignae et pestilentes, balnea calida, transitus subitus e loco temperato in calidum, aut e calido in frigidum, plethora tam vera, quam apparens, sanguinis ad cor reditus impeditus, aut auctae eidem e corde propellendo resistentiae, cacochymia, acritates aliaeque pravae sanguinis constitutiones, ventriculi, et imprimis eius sinistri orificii morsus et irritatio, primarum viarum putridae, acidae, alcalescentes cruditates et sordes, biliosa colluvies, vermes cuiusvis generis, et praecipue teretes et lati, hysterica ac hypochondriaca mala, et demum vitiata structura, vitia ipsa cordis et adsitarum partium.

1) Senac. *Du coeur. Lib. IV.*
2) Morgagnius *Epist. anatom. XXIV. n.* 13.
3) *Id. ibid. n.* 5.
4) *Id. ibid. n.* 6. 7.

§. CCXVII.

Aliae causae ab aliis praecordiorum vitiis. Inter haec primus fere locus tribuitur ab Albertinio et Morgagnio venae cavae et auriculae dextrae dilatationi, speciatim si una nervorum principium, aut cardiaci nervi idiopathice aut sympathice afficiantur [1]); deinde polypis dextri et sinistri cordis ventriculi, tum maxime, cum serum in cerebri cava effusum concurrat [2]), aut cor simul ulcere *) laboret, quo casu dolor plerumque etiam in eius regione percipitur [3]); aortae item ac arteriae pulmonari praeter modum expansis et dilatatis. Tunc enim maiori nisu opus est

cordi, ut sanguinem protrudat per arterias, cum eius propulsio minime ab arteriarum systole sustineatur. Si vero eodem praeterea tempore cerebrum aqua aut alio modo compressum forte sit, eo magis cordis vis imminuta et languens resistenti sanguini cedat succumbatque necesse est [4]).

1) *Epist. anatom. med. XXV. n.* 3.

2) *Id. ibid. n.* 4.

3) *Id. ib. n.* 17. 20. 21. 22.

4) *Id. ib. n.* 11.

*) *Cordis ulcus cancrosum* cum *lipothymia* et *syncope* observavit CARCASSONIUS. En morbi historia, qualis exstat *Tom. II. p* 252. *Histoir. de la Société Roy. de médec. etc.* Iuvencula annorum XXII; lue venerea laborans unctione mercuriali curatur. Libera evadit ab omnibus malis, quibus torquebatur. Superfuit solum quoddam pondus in interiori pectoris parte e regione mammae sinistrae intra quintam et sextam costam verarum; de quo ante unctiones querebatur. Quinque aut sex mensibus post absolutam antivenercam curationem assidue de eodem pondere lamentabatur; sed praeterea accesserat dolor pungens ad eundem locum, nempe a centro mammae ad medium sternum eiusdem lateris sinistri. Comparabat huiusmodi dolorem ad acus puncturas subinde inflictas. Fames canina per annum unum subsecuta est, quam lienteria comitabatur. Pulsus erat parvus, freqnens et intermittens. Inter dolorum cruciatus pulsus deficiebat per aliquot minuta secunda. *Lipothymiae* et *syncopes* crebrae. In progressu decumbere non poterat nisi erecta, nonnihil inclinans retrorsum super latus sinistrum, aut super *anterius (le devant)* pectoris. Dolor, qui binos annos perseveravit, gradatim augebatur. *Syncopes* frequentiores, querelae item, praesertim sub vitae finem. Anno ante mortem famem caninam excepit cibi fastidium. Sectio anatomica ostendit *ulcus etc. Ex sch. auct.* — CARCASSONII *observatio.*

§. CCXVIII.

In cordis caveis aër evolutus syncopes causa interdum est. Item hydrops pericardii et ruptura cordis.

Nec fortasse a vero abest, aërem quandoque evolutum, et cordis cava distendentem in causa esse, cur, impedita eius systole, *syncope* subsequatur; quod observavit GRAETZIUS [1]), referente MORGAGNIO [2]). Pericardii etiam hydrops, aut eius cum corde aliqua connexio cordis motum impedire interdum visa est [3]); sive id fiat, quod aqua circumfusa eius fibrae mollescant enerventurque, sive quod compressione et pondere ita cor revinciatur, ut libere dilatari nequeat. Quidquid demum sive proxime, sive remote

cordis motum cohibere, infringere aut tollere potest, causarum remotarum loco erit. Lethalem syncopen etiam subito efficiunt cordis rupturae. LUDWIGIUS affert exemplum [4]) dextrae cordis auriculae per externum ictum disruptae, et subitam inde mortem afferentis. Sinistram quoque auriculam cordis diffractam a *polypo* intus contento vidit LANGHANSIUS [5]); itemque corruptum refert [6]) DIETERICUS NUMMSSENIUS Hamburgensis.

Exempla eiusdem.

1) *Dissertat. de hydrop. pericard. in prooem.*
2) *L. c. n.* 13.
3) *Id. ib. n.* 15. 16.
4) *Advers. med. P. I. p.* 234.
5) *Act. helvet. T. II.*
6) *Dissertat. inaugural. de corde rupto. Lips.* 1764.

Diagnosis.

§. CCXIX.

Diagnosis eclysis et lipothymiae.

Eclysin, sive imminentem *lipothymiam* praenunciant capitis offuscatio, gravitas, vertigo, tenebrae oculis obversantes, faciei et labiorum pallor, extremorum frigus, virium languor, sudor e fronte et collo manans, anxietas praecordiorum, pulsus parvus, imbecillus, frequens, varius et subito mutabilis; quae omnia fiunt graviora, si iam adsit *lipothymia*. In *syncope* autem ipsa subitus et praeceps est virium lapsus, respiratio fit obscura, pulsus minimus, aut nullus, facies pallet et livet, totum corpus frigido madet sudore ac alget, aegri nec vident, nec audiunt, nec loquuntur, sed concidunt, membra quasi resoluta laxantur, interdum spasmis inaequaliter tenduntur, nares acuminantur, oculi subsidunt, incavantur, invertuntur, tempora collabuntur, et si ad summum gradum *syncope* pervenerit, quem aliqui asphyxiam vocant, facies etiam virescit.

Signa diagnostica syncopes.

§. CCXX.

Qui syncope ab apoplexia distinguatur.

Differt porro *syncope* ab apoplexia per pulsum, respirationem et faciei colorem, quae utplurimum in apoplexia ser-

servantur, imo quandoque invalescunt, contra vero deficiunt in *syncope*. Item ab epilepsia, quod membra alternis motibus universa convelluntur, non concidunt, ac spuma ex ore prorumpit. Ab hysterica demum suffocatione, quod in hac respiratio saepe cessare videtur, non tamen pulsus, nisi forte cum ea etiam syncope copuletur. *Lipothymia* et *syncope* solitis differentiis et ipsae subiiciuntur, quibus alii morbi. Hinc *primaria*, *secundaria*, *symptomatica*, *sympathica*, *hysterica*, *convulsiva*, *idiopathica* appellatur. *Cardiacae* singulare nomen obtigit ei imprimis, quae ab organicis ipsius cordis aut proximarum partium vitiis pendet.

Quomodo ab epilepsia.

Ab hysterica suffocatione.

Lipothymiae et syncopes differentiae.

Prognosis.

§. CCXXI.

Qui saepe et vehementer absque manifesta causa animo linquuntur, ex improviso moriuntur [1]). Hi enim vel polypo, vel aneurysmate, vel alio organico vitio laborare videntur, quo tandem penitus cordis et sanguinis motus intercipitur. Saepe etiam mortis causa est subita cordis aut vasorum eius disruptio, et sanguinis cita in cavum pericardii aut thoracis effusio. *Si fluxui muliebri convulsio et animi deliquium superveniat, malum* [2]). Convulsio enim ab inanitione lethalis esse consuevit, neque cor, ubi sanguinis praesentia deficit, suum motum instaurare potest. Ceterum causarum diversitas diversam quoque prognosin efficit.

Quando exitium portendat animi defectio.

1) Hippocr. *aph.* 41. *sect. II.*

2) *Aphor.* 50. *sect. V.*

Curatio.

§. CCXXII.

Duplex curatio est, altera in *paroxysmo*, ut vocant, altera extra ipsum. In *paroxysmo* statim motus sanguinis et cordis excitetur. Facies itaque aqua frigida extemplo

Aquae frigidae aspersio in facie.

Volatilia naribus applicita. aspergatur. Contractis enim frigore fibris sanguis per venas ad cor provehitur, eiusque motum instaurat. Hac etiam ratione nervea vis incitatur, ut cordis irritabilitas in actionem revocetur. Idem praestant volatilia naribus admota, uti aqua melissae *spirituosa*, et reginae Hungariae, acetum acerrimum, sales volatiles oleosi, spiritus salis ammoniaci, *Cautio in odoramentorum et ptarmicorum usu.* urinae, cornu cervi, oleum succini. Cavendum tamen est, ne odoramentis aut ptarmicis aegrum laedamus. Sunt enim qui ea sive suavia, sive ingrata minime ferunt, aut ab iisdem convelluntur, quod, ubi *lipothymia hysterica* aut *convulsiva* est, plurimum officit. Acetum et sales volatiles fere *Quae intrinsecus danda. Cautio in cardiacorum usu.* ab omnibus feruntur. Intrinsecus quoque vinum generosissimum, spiritus melissae, aqua cinnamomi, confectio *alkermes* salesque volatiles, aut ex his mixturae variae prudenter et partitis vicibus ingeri possunt. Caute tamen cardiacis utendum, ubi *syncope haemorrhagiam* subsecuta est, nam liberalior eorum usus, excitata nimis vitali vi, haemorrhagiam iterum ciere posset.

§. CCXXIII.

Alexipharmaca, si a malignis causis sit, vel a febri perniciosa. Si malum a malignis venenatisque causis oriatur, alexipharmacis ac antidotis erit ei occurrendum, nimirum theriaca, contrayerva, serpentaria virginiana, vino, cortice peruviano, praesertim si *lipothymia* aut *syncope* febris perni- *Quaenam, si ab utero, vel ab intestinis.* ciosae symptoma sit. Castoreum, camphora aliaque anthysterica conveniunt, si ab utero fiat; si vero a stomacho ac *Anodyna. V. S.* intestinis, ea opportuna sunt, quae causam tollunt aut emendant. Vehemens dolor sedantia ac anodyna exposcit; et plethora, polypus, aneurysma, terror missionem sanguinis. Neque frictiones, cucurbitulae siccae acresque clysteres omittantur, ubi diutius malum trahitur, neque supervacua sunt *Revellentia.* reliqua revellentia, si cerebrum primario affici suspicio sit.

§. CCXXIV.

Curatio extra paroxysmum. Extra paroxysmum causae penitus auferendae sunt, ne revertatur *animi deliquium.* Generatim cardiaca, instau-

rantia, volatilia commendantur, utpote quae sanguinem et cor excitant, humores reparant, aut, si opus fuerit, resolvunt. Quo etiam omnis vitae regimen spectare debet.

CAPUT VIII.

DE ASPHYXIA DUOBUSQUE EI PROXIMIS PULSUUM VITIIS.

§. CCXXV.

Asphyxia, ut paulo ante docuimus, est *pulsus privatio*, et quidem talis, ut nullibi in toto corpore, saltem tactui, arteriae moveri videantur. Hoc modo accipitur a GALENO aliisque, qui eius vestigiis institerunt [1]). Quoniam vero in syncope graviore pulsuum saepe defectus observatur, ideo asphyxiam cum syncope ita nonnulli coniunxerunt, ii praesertim, qui arteriarum pulsum omnem a cordis systole repetunt, ut quasi summus quidam eius morbi gradus putaretur. Hinc nil mirum, si Cl. SAUVAGESIUS *mortes apparentes* uno *asphyxiae* nomine comprehenderit, cui tamen adversatur prae ceteris auctoritas LANCISII, qui in libro — *de subitaneis mortibus* — eiusmodi syncope correptos non Ἀσφυκτοῦς (i. e. asphycticos), sed *pseudomortuos* appellat.

Definitio.

An cum syncope confundenda asphyxia?

Opinio SAUVAGESII *reiicitur auctoritate* LANCISII.

1) GALENUS *lib. I. de praesag. ex pulsib. cap. II. et lib. I. de different. puls. cap.* 3. BONETUS *Medicin. septentr. T. I. l.* 2. *sect. XXI. cap.* 2. *et Sepulchret. T. I. l.* 2. *sect. IX. Observ. I. IV. VII. XLV. et* BARTHOLIN. *de lact. theor. cap.* 14.

§. CCXXVI.

Adversatur quoque SAUVAGESIO Cl. MORGAGNIUS, qui *asphyxiam* esse tradit, quando pulsus adeo imminuuntur, ut percipi amplius non possint, additque, aegros interea sensibus adhuc pollere, loqui, moveri, imo etiam non penitus

Refutatur quoque SAUVAGESIUS *aliorum cel. virorum ob-*

servationibus.

Differentia inter asphyxiam et syncopen.

frigescere; quo sane differunt evidentissime a syncope morteque apparente detentis [1]). Hanc porro de *asphyxia* opinionem observationibus non tam *sepulchreto* BONETI insertis, aut e VALSALVAE *schedis* depromptis, quam compluribus suis aliisque non paucis hinc illinc collectis et prolatis invictissime comprobat. Recenset enim ibidem [2]) nedum unius, vel alterius diei *asphyxias*, verum diuturniores, quae scilicet ad quadraginta et ultra dies, imo ad quatuor usque menses fuerunt productae, quin respiratio, loquendi potentia, sensus, motus, vires calorque desiderarentur [3]). Imo in *adversariis* [4]) non solum ex BALLONIO [5]) *asphyxiam* quatuordecim dies ante obitum perstantem, sed etiam duos ex RIOLANO [6]) excitat, qui sine ullo arteriarum pulsu sex et decem annos vixerunt; qualem casum etiam a RONSAEO [7]) visum ibi pariter memorat. *Aegri enim externis internisque sensibus satis vigent, loquuntur commode, se de latere in latus convertunt* [8]), *quin prompte se erigunt aliqui* [9]), *et* (*quod noster vidit* RAMAZZINIUS [10]) *iuvenis quidam hebraeus, cui ad quatuor dies nullibi arteriae micabant, adeo robustus erat, et ad motum expeditus, ut etiam ipsa die, qua e vivorum statione decessit, e lectulo surrexerit, et suas vestes induerit* [11]). Quare appositissime vir praeclarissimus animadvertit, *asphyxiam sine syncope esse posse, syncopen sine asphyxia non posse* [12]).

Exempla diuturnioris asphyxiae.

MORGAGNII *observationes de asphyxiae notis.*

Asphyxia sine syncope est, haec vero sine illa non datur.

1) *Epist. anatom. med. XXIV. n. I. IX.*

2) *N. VIII. IX.*

3) Consentiunt observationes HALLERI *Tom. III. oper. minor. p.* 306., RAMAZZINII *constit. epidem. ann.* 1692. ... 93. ... 94. §. 23., SCHENCKII *Tom. II.*, BERRYAT. *Mém. de l'acad. royal. des scienc. de Paris. ann.* 1748. *pag.* 58. *et Comm. Lips. vol. II. P. IV. pag.* 578.

4) FERNELIUS *asphyxiam* XXIV. horarum curatam narrat, confirmatque RAMAZZINIUS *constit. cit.* §: 33. Post sex dierum *asphyxiam* quosdam convaluisse testatur BARTHOLINIUS *cent. IV. observ.* 42.

5) *Advers. II. animad.* 44.

6) *Epidem. II.*

7) *Encheirid. anat. lib. V. cap.* 46.

8) MORGAGN. *cit. epist. XXIV.*

9) *Ibid. n.* 2.
10) *Ibid. n.* 6.
11) *L. c. n.* 9.
12) *Epist. XXV. n.* 1.

§. CCXXVII.

Atque haec, quam modo descripsimus, est *vera* asphyxia. Sunt quidem aliae asphyxiae species, quas cum HAENIO *spurias* [1]) vocamus. Tales sunt asphyxiae in alterutro aut utroque brachio observatae; dum interea reliquae arteriae temporales, carotides, crurales aliaeque consueto motu attolluntur et subsidunt. Hae autem peculiarium partium *asphyxiae* vel a profundius locatis arteriis, aut nimia pinguitudine sepultis, vel a variata earum distributione, aut insolita tenuitate, aut a subclaviarum [2]), axillarium aut humerariarum compressione, aut earundem obstructione aut spastica constrictione oriuntur. Inter quas referri etiam debet illa asphyxia, quae in fine plerorumque morborum ante mortem ex virium omnium, ac imprimis vitalium, languore et defectu supervenit. Non enim in hac, ut in illa *vera*, motus, vox, sensus, color et calor aeque servantur.

Asphyxia vera. Spuriae asphyxiae quae et quot.

Origo et causae harum spuriarum.

1) *Rat. med. T. XII. cap.* 2. *p.* 42.
2) Pulmones infarcti, duri, tumidi *subclavias* etc. premunt.

§. CCXXVIII.

Spuriarum autem *asphyxiarum* ut non admodum obscura origo, sic quoque non difficilis explicatio videtur. At *verarum* dispar ratio est. Parum enim lucis cadaverum sectiones hactenus huic malo attulerunt. Verosimile tamen est, easdem causas, quibus *lipothymia* et *syncope* (§§. CCXVI. CCXVII. CCXVIII.) inducitur, hic quoque locum habere, sed mitius agentes. Inter has arteriarum rigiditas rationi videtur magis consentanea, qua fit, ut sanguinem illae quidem recipiant, distendi vero, ac in diastole micare nequeant. Idque sane de ea dici potest audentius, quacum universi corporis mentisque aliquis languor coniungitur. Quomodo

Verarum causae probabiliores.

Arteriarum rigiditas cui asphyxiae speciei explicandae conveniat.

vero eiusmodi causae apte accommodari poterunt *asphyxiae* diuturniori, illibatas mentis functiones ac alacre musculorum exercitium constanter servanti? Cur cessante arteriarum, quae tactu explorari possunt, motu, non etiam illico cessant reliqui motus et reliquae functiones, ut in syncope?

Conjecturae de causis diuturnioris asphyxiae.

Fortasse cor in *asphyxia* vasaque maiora circa cor ita moventur adhuc, ut sanguinis circuitus per pulmones, cerebrum et cerebellum perennetur. At diu calor et vita in partibus a corde remotioribus superesse nequeunt, nisi in his quoque aliquis, etsi lenis, ponatur humorum circuitus. An ergo, motu cordis et sanguinis utcunque perseverante, sola arteriarum systole nervorum ad eas spectantium vitio conquiescit?

Arteriarum motus non a sola cordis vi dependet.

Multa profecto argumenta ab accuratissimis observationibus deducta videntur evincere, arteriarum motum non a sola cordis vi dimanare [1]). Sed missa re difficillima explicatu, in qua nihil certi neque MORGAGNIUS, neque HAENIUS statuerunt, satius est aliquid de causis, quas anatome in asphyxia defunctis detexit, referre.

1) Id RHODII, LANCISII, MORGAGNII, HAENII, ZIMMERMANNI, BARTHEZII aliorumque observationes evincunt.

§. CCXXIX.

HAENII observationes anatomicae de asphyxiae causis.

HAENIUS scribit [1]), *anatome facta multorum post asphyxiam mortuorum, cor et auriculas flaccidas dilatatasque, in aliis grumosum cruorem, in aliis multa alia vitalium viscerum detecta vitia esse; integrum cuique esse, horum vitiorum cuilibet originem tribuere causasque asphyxiae, esse vero huc usque et imperfectam et incertam explicationem omnem, cum non in omnibus eaedem causae repertae fuerint; cum hae ipsae causae in aliis asphyxias generatrices non exstiterint; cum causae enarratae quaecunque alios longe morbos creaverint; cumque tandem mira, sed obscura de nervis doctrina id saltem evicerit, ne vestigiis quidem vitalium morborum in cadavere inventis, hos a solis nervis excitari perpetuarique posse.*

1) *Rad. med. T. XII. p.* 49.

§. CCXXX.

Ex Morgagnii vero anatomicis disquisitionibus certo colligere possumus, *asphyxiam* aliquando natam non tam a pericardio per vincula membranea cordi adhaerente, quam ab ipsius cordis exteriori membrana crassiori et duriori facta, qua commode cor dilatari prohiberatur [1]), et tunc praecipue, cum simul pericardium aqua aut pure scateat; itemque a polypis in corde aut initio arteriae magnae locatis [2]), aut a sero in ventriculis cerebri collecto, cerebellumque afficiente, aut ab abscessibus cerebelli aliisque vitiis, quibus nervi sive ad cor, sive ad arterias tendentes laederentur. Neque tandem ab *asphyxiae* causis excludi posse videntur primarum viarum saburra, atque hystericae convulsivaeque affectiones.

Aliae de asphyxiae causa Morgagnii *observationes.*

Aliae asphyxiae causae.

1) *Epist. anat. med. XXIX. n.* 3.

2) *Ibid. n.* 7.

§. CCXXXI.

Proxime ab *asphyxia* sequuntur duo alia pulsuum vitia, summa nimirum eorum *exilitas* cum *debilitate* coniuncta, et aliquis eorum ictus subinde deficiens, quem *pulsum intermittentem* dicunt. Et primum, quod ad illam spectat, ea vel a natura est, neque tunc mali aliquid portendit, vel a morbo [1]), veluti ab ingenti fibrarum cordis flacciditate et atonia, a cordis aucta mole cum summa laterum eius tenuitate et debilitate (unde ea, qua opus est, vi non potest sanguinem expellere), aut cum aqua in pericardio contenta, et cor aut laxante, aut comprimente coniuncta. Cor enim auctum sine his pulsum magnum, vibratum et vehementem progignit. Aqua vero in pericardio contenta, si acris fuerit, addit celeritatem, atque interdum duritiem.

Duo alia vitia pulsuum. Exilitas et intermissio.

Exilitas et debilitas pulsus vel a natura, vel a morbo est.

1) Morgagnius *epist. XI. n.* 13., *epist. XXI. n.* 49. *et epist. XXX. n.* 15.

CCXXXII.

Sanguinis quoque in arterias ingressum imminuunt *valvulae semilunares* aortae ostio praefixae, si durae, cartilagi-

Debilitas pulsus ab aliis vitiis internis.

neae aut osseae evaserint. Hinc *pulsus parvus* et *debilis* facile intelligitur derivandus, qui praeterea observatur in iis, quibus *vasa* cordis *coronaria*, aut *arteriae* ab aorta proficiscentes osseam rigiditatem induerint [1]). Consensus item ab imo ventre, a saburra putrida [2]), aut acri stabulanti, ab utero ad cor eiusque nervos cardiacos propagatus, horum nervorum paralysis, sanguinis inopia, arteriarum angustior capacitas, languida systole, imminuta irritabilitas pulsum *parvum*, *exilem* ac *debilem* gignunt.

1) *Idem* Morgagn. *ibid. n.* 19.
2) *Id. ibid. n.* 20.

§. CCXXXIII.

Ab arcta cordis cum pericardio connexione.

Pulsum praeterea *debilem* et *parvum* efficiet pericardium cum corde arcte connexum. Quo cor cum neque satis expandi, neque satis contrahi possit, nil mirum, si pulsus debilis inde sequatur. Talem observavit Peyerus, Lowerus et Morgagnius; sed debet simul adesse aut parva sanguinis copia, aut languida cordis vis, aut magna arteriarum resistentia, uti rigiditas, durities, angustia, aut spastica constrictio, aut plenitudo tanta, ut arteriae non possint nisi modice se contrahere. Alias pulsus incitatus et vehemens esse posset, qualem Dionysius, Freindius et Lafayus [1]) commemorant.

1) Morgagn. *epist. XXIV. n.* 12.

§. CCXXXIV.

De pulsu intermittente.

Iam vero aliquid de *pulsu intermittente* dicamus. *Intermittens pulsus* considerari potest tamquam *brevissima asphyxia*. Quid enim est *vera asphyxia* nisi pulsus intermissio quam longissime perdurans? sed pulsus intermissio

Saepe aliorum morborum symptoma.

raro per se sola morbus occurrit. Saepe aliorum morborum symptoma et signum est, ad quorum cognitionem non parum confert, si eius naturam et causas paulo uberius exposuerimus.

§. CCXXXV.

Pulsum intermittere dicimus, quando per intervalla diastole arteriarum deficit, nec tactu percipitur. Si enim assidue, et diu huiusmodi defectio esset, non *pulsus intermissio* sed *asphyxia* vocaretur. Deficere autem arteriarum per intervalla diastole debet, si per intervalla aut cor non transmittat sanguinem in arterias, aut arteriae eum non recipiant, aut si recipiunt, non ea vi et copia recipiant, qua ad eas dilatandas opus est. Cor autem non transmittet sanguinem in arterias, nisi alterne contrahatur et dilatetur, et nisi viae, per quas et sanguinem recipit et transmittit, liberae satis sint. Contractio et restitutio cordis alterna interrumpitur, si vis nervorum aut sanguinis influxus deficiat, aut aliqua impedimenta cordi opponantur, quae cor cohibere possint, ne se introrsum aut extrorsum moveat; non autem recipiet sanguinem, nec transmittet libere, si sanguinis desit debita copia, si viae obstruantur, si comprimantur, si earum structura a naturali statu aliquo modo recedat, sic ut circuitus sanguinis multifariam perturbetur aut interrumpatur. Si haec per intervalla ac subinde tantum agant aut fiant, per intervalla etiam arteriarum diastole deficiet, id est *pulsus intermittet.*

Quid intermissio pulsus.

Quae cordis systolen et diastolen impediant et perturbent.

§. CCXXXVI.

Sed licet et cor bene constitutum sit, et eius actio rite absolvatur, pulsus tamen arteriarum culpa intermitti potest, si nimirum earum ostia angustiora sint, si earum tunicae vi impellenti non satis cedant, si contrahi non facile queant, si vis nervea aut irritabilitas in eis aut langueat, aut spastice eas afficiat, si arteria magna in suo principio et arcu ita sit dilatata, ut valvulae neutiquam eam claudere possint, sic ut quando contrahitur, sanguis in sinistrum cordis ventriculum repellatur; tunc fiet *pulsus intermissio*, et tanto facilius, quanto magis erit ipse cordis ventriculus dilatatus. *Intermissio pulsus* ex hac causa synchrona est diastolae cordis; contra in aliis casibus est synchrona systolae cordis [1]).

Fit etiam intermissio pulsus arteriarum culpa absque vitio cordis, et qua ratione explicetur.

Ex dilatatis arteria magna et corde pulsuum in-

termissio synchrona est diastolae cordis.

Satis quippe evictum putamus, sanguinis per arterias circuitum non solius cordis actioni esse tribuendum.

Exempla dilatati cordis cum intermissione pulsuum.

1) Exempla *dilatati cordis* et *aortae*, cum quibus *pulsus intermissio* erat (hinc ut ego puto dependens) videntur in italica collectione TARGIONII TOZZETTII, cui titulus — *Prima raccolta di osservazioni mediche pag.* 115. et sequentibus usque ad pag. 125. *Ex sched. auct.*

§. CCXXXVII.

Causae aliae ex aliis anatomicis observationibus deductae. Frequentiores. Vitia valvularum cordis.

Communiter causae, quae *palpitationem* (de qua *capite* sequenti), *lipothymiam*, *syncopen* (§§. CCXVI. CCXVII. CCXVIII.) et *asphyxiam veram* (§. CCXXVIII. *et seq.*) inferunt, etiam *pulsui intermittenti* efficiendo, si leviori modo breviorique tempore agant, valere putantur. Quae vero frequentius et certius pulsum intermittentem reddiderint, si clinicorum et anatomicorum consulamus observationes atque extispicia, sunt vitia valvularum cordis tam tricuspidalium, quam mitralium et semilunarium, nimirum rigida, osseave earum durities, imprimis cum ventriculi sinistri dilatatione coniuncta, ut a COWPERO et VIEUSSENIO reperta est, vel calculi aut tumores iisdem innati, quales HORSTIUS et BELLINIUS viderunt, polypi tum cordis, tum adnexorum vasorum [1]), cordis aucta moles aut exulceratio, uti in *sepulchreto anatomico* BONETI refertur, quamvis haec ultima non semper pulsum intermittentem efficiat [2]), pericardium cordi adhaerens, aut putrido humore scatens, aortae interior tunica erosa, qualem vidit MICHELOTTUS in patricio amplissimo viro, ut infra dicetur, animi pathemata, a quibus nervi cardiaci, vel etiam ad arterias aut musculos iis superpositos tendentes afficiuntur [3]), paris vagi aut intercostalis laesio, sectio, compressio, paralysis, ut ex VALSALVAE et MOLINELLII periculis compertum est, aliarum etiam partium nervi irritati et puncti, ut in doloribus atrocioribus et vulneribus, affectiones hypochondriacae et hystericae aliaeque nervosae affectiones [4]), flatus ventriculum aut intestina distendentes, cacochylia, vermes ac alia viscerum imi ventris mala, quae sive compressione, sive irrita-

Calculi et tumores iis innati. Cordis adnexorumque vasorum polypi. Pericardium cordi adhaerens. Erosio tunicae aortae. Animi pathemata. Paris vagi aut intercostalis laesio, compressio etc. Hysteria, flatus, cacochylia, vermes etc.

tione per nervos propagata cordis aut arteriarum motum interdum intercipiunt, licet tunc pulsus intermissio brevi evanescere soleat.

1) MORGAGN. *l. c. n.* 21. *n.* 22.

2) *Id. ibid.*

3) *Id. ibid. n.* 20.

4) In vidua quadam annorum XXXIX. suum statum pertaesa, optimo tamen habitu et temperamento, sed a pluribus annis rheumatismo obnoxia, ita ut frigore singulari a femore usque ad pedem dextri lateris vexaretur, *parvum*, *debilem* et *rarum* pulsum observavit ZIMMERMANNUS in brachio dextro, contra vero in brachio sinistro celerem ac fortem. *De l'expérience Tom. II. p.* 23. Id ipsum plerumque accidit in membris paralysi affectis. VOGEL. *Prax. med. Ex sched. auct.*

§. CCXXXVIII.

Diagnosis et causae.

Asphyxia, *pulsus parvus* et *debilis* aut *intermittens* facile per se patent. Causae item, si omnia tam antecedentia recte pensitentur, quam quae in aliis capitibus *de morbis praecordiorum* et *thoracis* tradidimus, memoria teneantur, non erunt scitu impossibiles. Generatim omnis *pulsuum defectus*, aut *languor*, aut *intermissio*, si a causis cordi ipsi, aut vasis eidem adnexis inhaerentibus ortum trahant, maioris momenti sunt ac periculi, quam si aliunde profluerent. *Pulsus intermissio*, si a corde proxime affecto fiat, dignosci potest cordi manu admota. Si enim eodem tempore, quo pulsus micatio desinit, deficiat quoque cordis motus, certo pronunciari potest, a corde pulsus intermissonem oriri. Sunt enim arteriarum diastolae synchronae cum cordis systole. Si vero cordis motus ordinatus et minime interruptus percipiatur, indicium est, pulsus intermissionem arteriis proxime affectis deberi.

Quando a corde sit. *Quando ab arteriis.*

§. CCXXXIX.

Prognosis et curatio.

Sed de his, quoniam aliorum saepe morborum symptomata sunt, aut tamquam signa a semiologis considerantur, non plura. Eorum enim maius vel minus periculum, aut mala significatio a diversa tum causa, tum origine depen-

det; quemadmodum et curatio [1]), quae plerumque a morbo, cuius symptoma haec sunt, erit petenda.

1) *Diuturnus inaequalis* pulsus curatus est opii parva dosi quotidie data, ut narrat MORGAGNIUS. *Epist. anatom. med. IX. n.* 7. *Ex sched. auct.*

CAPUT IX.

DE CORDIS PALPITATIONE.

CCXL.

Quid palpitatio cordis.

Non solum imminui, interrumpi et deficere cordis actio potest, verum intendi etiam ac ita invalescere, ut quae a sano homine, dum pacate naturaliterque se habet, minime animadvertitur, iam aucta et percipiatur, et molestiam aliquam inferat. Id autem evenit, quando cor vehementiori motu concitatur, subsilit, pectus praeter morem arietat, extrorsumque urget, ut admota etiam manus saepe repellatur. Imo tantus saepe cordis motus tunc est, ut non soli aegrotantis sensui se molestum reddat, verum aliorum cum oculis, tum auditui costarum resilitione et sonitu [1]) fiat manifestus. Vehemens haec et vibrata cordis concussio nostris *palpitatio*, graecis vero Παλμὸς dicitur.

1) Narrat FORESTUS, iuvenem ex vulnere tanta correptum palpitatione cordis, ut sonitus eius per fenestram in viam usque perveniens a praetereuntibus audiretur. *Ex sch. auct.*

§. CCXLI.

Causa proxima quae. Vehemens et acrior sti-

Cor autem nequit urgere atque impellere extrorsum pectus, nisi validius se contrahat, aut nisum sese contrahendi edat. Erit itaque *palpitationis* causa proxima *vehementior* cordis *systole* sive *contractio.* Sed cor ut vehementius contrahatur, acriori quodam stimulo, quam natura

ferat, irritari, aut saltem (quod probabile etiam est) eadem cordis contractionis vi remanente, imminui debent, ut aiunt, *resistentiae*, quae sunt ab eodem superandae. Utroque enim casu validior cordis contractio insequitur, totaque eius fere actio in costas se exserit. Stimulorum vero plura genera ad id apta vel cordi ipsi insident, vel extra cor posita ac locata videntur, sive, quod eodem recidit, causae *palpitationis* remotae in rebus vel cor irritantibus, vel irritationis causam praebentibus continentur.

mulus maiorem cordis contractionem gignit.

Stimulorum species variae.

Aliae in corde, aliae extra cor sunt. Remotae.

§. CCXLII.

Quae cordi insident, sunt ea imprimis vitia, quae vel maiorem sanguinis copiam ad ipsum alliciunt, uti aneurysmatica tam *cordis* et *auricularum* [1]), quam *arteriarum coronariarum* dilatatio, flacciditas laxitasque; vel eius fibras distrahunt irritantque, uti inflammatio, abscessus, tubercula, lapilli aut ossicula alicubi in eo genita, vel sanguinis e corde egressum, vel in ipsum ingressum quodammodo difficiliorem reddunt, uti *venae coronariae* varicosae et obstructae, polyposae concretiones *auriculas*, *sinus* aut *vasa maiora* impedientes, carnea aut lapidea corpora interius nata, *arteriae pulmonaris, auricularum* aut *sinuum* constrictio, compressio aut dilatatio, cartilaginea osseave earum partium induratio [2]), *valvulae tricuspides*, *semilunares* aut *mitrales* durae, rigidae, lapillis aut ossiculis scatentes, concretae, strigosae, adhaerentes (tunc enim vel non permittunt liberum sanguinis e corde egressum, nec qui exiit, satis impediunt, ne retrocedat [3]), tumores quicunque *basi cordis* adnati, aut *arteriarum e corde egredientium tunicis* interiecti, ipsius *cordis* tumor, ossificatio, abscessus, polypus [4]) atque alia eiusmodi. Quibus si adnumeraveris nimiam cordis irritabilitatem atque sensibilitatem, ob quam levissimo quovis stimulo cordis actio in pueris, adolescentibus foeminisque delicatioribus incitatur, recte factum esse putavero.

Causae, quae ipsi cordi insident. Quae maiorem copiam sanguinis ad cor alliciunt, vel fibras eius irritant, vel sanguinis circuitum impediunt.

Nimia cordis irritabilitas et sensibilitas.

1) *Dextra cordis auricula dilatata* sanguinis nimiam copiam in cor immittit, hinc *irritatur et palpitat*. Morgagnius.

Observationes ex anatome.

2) Arteriae pulmonaris *cartilaginea induratio,* vel intus et extus *lapideis tuberculis* obsessa imprimis cum *cordis aucta mole* a MORGAGNIO observata est. *Epist. XXIII. n.* 10. 13. 14. „RIOLANUS *in anthropologia cor cartilagineum* scelesti cuiusdam hominis descripsit. *Os* in corde humano a GEMMA et ab eodem RIOLANO adversum est, ut illud, quod ex cadavere URBANI VIII. P. M. nuperrime extractum fertur." THOM. BARTHOLINUS ad *Fortunat. Licetum cent. I. epist. LXVI. Ex sched. auct.*

3) MORGAGN. *Epist. anat. med. XXIII. n.* 9.

4) *Id. Epist. II. n.* 15.

§. CCXLIII.

Quocunque autem modo ex his fiat, ut sanguis in *corde* restitet congeraturque, sive quod a *dextris* aut *sinistris* eius *caveis*, aut e *venis coronariis* non libere egreditur, sive quod in eas, speciatim *sinistras*, non nisi difficulter admittitur, vel quod copiosior in easdem, imprimis *dextras*, influit; necesse profecto est, ut *cordis irritabilitas* ad vehementiorem contractionem excitetur, eoque maiorem, quo irritabiliores erunt cordis fibrae atque ad motum paratiores. Sic *cordis*, exempli causa, *auriculae* praeter naturam *dilatatae* vel plus sanguinis recipiunt immittuntque in cor, vel sanguine distentae adsitas arteriarum pulmonaris atque aortae truncos comprimunt, et sanguinis e corde egressum retardantes *palpitationi* causam praebent. Simili prorsus ratione tumores [1]), adipis copia, aut excrescens caro ad *basin cordis* adnata [2]), qualem observavit GARNERUS [3]), eos ipsos arteriarum truncos comprimendo *palpitationem* inferre posse videntur. Item *valvularum mitralium* vitio, aut *auriculae sinistrae*, aut *venae pulmonaris* et *coronariarum venarum* obstructione, infarctu, compressione, sanguis in *cordis dextris caveis*, aut tota eius substantia restitans ad frequentem validioremque sollicitabit contractionem.

Irritabilitas cordis aucta.

Exempla remotarum causarum palpitationem inferentium. Tumores ad basin cordis adnati.

Vasorum obstructiones.

Observationes ALBERTINII.

1) *Tumores,* qui *latera* cordis occupant, non inferunt *palpitationem,* ut constat ex ALBERTINII observationibus. Item materiae qualitas consideranda est. *Sanguineum tumorem sine palpitatione* vidit idem ALBERTINIUS. *Comment. institut. scientiar. Bonon. T. I. in opusc.*

BARTHOLINI *aliae.*

2) THOMAS BARTHOLINUS *l. c.* similia observasse alios cla-

rissimos viros, testatur his verbis: „Quippe ad *cavae venae orificium* in inopinata morte suffocatis *carnea* quaedam *frustula cum pingui mole* iuvenit RIOLANUS .... et in phthisico Cl. WORMIUS noster ex utroque *cordis ventriculo carunculas quasdam emergentes* vidit, ut et BAUHINIUS anatomicorum princeps; quod nobis quoque Patavii pridem observatum. Ut taceam *palpitatione cordis* laborantem sacerdotem apud SCHENKKIUM *lib.* 22. *observat.*, cui *circa cordis basin excrescentia* sex drachm. dependebat.“ *Ex sched. auct.*

3) *Sepulchret. sect. VIII. observ.* 23.

§. CCXLIV.

Causae remotae quae extra cor sunt.

Ad causas, quae extra cor sunt, referuntur *aortae* imminuta capacitas, ossea [1]) aut cartilaginea durities, imprimis cum aliis *praecordiorum*, aut *sanguinis*, aut *cerebri*, aut *nervorum* vitiis coniuncta; eiusdem aneurysmata, polypus, *tunicarum* eius tumores varii, spastica constrictio ab humore acri deposito [1]), secreto aut praeterlabente inducta, *interioris tunicae* exulceratio [2]), qualem viderunt MORGAGNIUS, LANCISIUS et in nobili patricio Veneto popularis meus PETRUS MICHELOTTUS [3]), serum acre [4]), pus, ichor in *pericardio* collecta, tumor, abscessus, praecipue ad *pericardii basin* ortus, *pericardium* ipsum (etsi modo faciat *palpitationem*, modo non, ut animadvertit [5]) Cl. MORGAGNIUS) crassum, durum, pinguedine refertum, cartilagineum, *cordi* arcte adhaerens, tunc saltem, cum *vasa* e *corde egredientia* comprimit, ac fere strangulat, *aortae truncus* statim sub *curvatura* a *ramo bronchiorum sinistro*, qui sub ea sternitur, per inspirationem dilatato, ut notat PORTALIUS [6]), compressus, compressa quoque a tuberculis, vomicis, hydatidibus, empyemate, hydrothorace aut hydrocardia *pulmonum vasa* (quamquam haec sola causa non sufficit), aut quocunque modo obstructa, *thorax* angustus et depressus, *spinae dorsi* distorsio, incurvatio, *sanguis* crassus, viscidus, iners, copia excedens, motu aut acritate peccans, veluti in *cachexia*, *chlorosi*, *cacochymia*, *morbis acutis*, *scabie*, *herpete*, *podagra*, *arthritide* retropulsis, *ulceribus externis resiccatis*, *lue venerea*, *scorbuto* consuetisque evacuationibus cohibitis, hystericae atque hypochondriacae affe-

Aortae vitia multiplicia.

Alia pericardii vitia.

Trunci aortae et vasorum pulmonis.

Thoracis, spinae dorsi et sanguinis vitia.

ctiones, in quibus *cor*, vel *vasorum*, vel *textus cellulosi*, vel *membranarum*, vel *nervorum* consensu ac irritatione non raro afficitur, spasmus *diaphragmatis*, imprimis *eius processuum* sive *appendicum*, inter quas arteria magna descendit, atque ab iis convulsis constringi potest, cacochylia primarum viarum, vermes [7]), flatus [8]), corporis insolitae atque excedentes exercitationes, vel contra vita deses, otiosa aut crapulae dedita, animi pathemata, praesertim ira, gaudium, terror, nervi demum tam in *cerebro*, quam in *gangliis ramisque paris vagi* ac *intercostalis* ad cor tendentibus irritati, aut aliter male affecti.

Nervorum affectiones. Diaphragmatis spasmi. Cacochylia, vermes, flatus, vita deses, animi pathemata.

Observationes ex anatome.

1) Ex VERDRISII *observationibus (Ephem. nat. cur. cent. VI. obs.* 51.*)* patet, saepe cum *aorta ossea cor auctum, durum tumensque* inveniri. *Cor* item, *vasa coronaria, auriculam dextram* ampliata, ut in IANI PLANCI observatione. *Auricula* sola *dextra ampliata,* qua copiosior sanguis in dextrum ventriculum demittitur, sufficit ad *palpitationem* inferendam, ut GRATZIUS narrat. Cum *cordis* simul et *pulmonis scirrhis* et *sanguine viscido, mucoso* ex COHAUSENII fide; item cum *sanguinis copia nimia* aut *prava qualitate palpitatio est. Ex sched. auct.*

2) Saepe *acer humor* ibidem deponitur, si debilitas et laxitas eum alliciat. Secernitur quoque, si verum est, oleosum quendam mucum ab arteriarum tunicis (ut LANCISIUS et GORTERIUS contendunt, nec negat MORGAGNIUS) exstillare ad eas lubricandas. Vid. LANCIS. *de cord. l. II. propos. VI.*, MORGAGN. *epist. XXIII. n.* 5.

Unde caloris sensus, de quo aegri queruntur.

3) *Convellitur* interdum *aorta* sic, ut crassiores et asperiores, quae per se non irent, particulae ad interiorem arteriae superficiem urgeantur, ibi haereant, asperitatem faciant, exulcerent, sensumque acris et urentis caloris ibidem efficiant, unde intelligitur, cur de hoc *caloris sensu* saepe aegrotantes querantur.

4) Nimirum in ALOYSIO FOSCARIO, qui propterea *cordis* ac *aortae palpitationi* et *pulsui inaequali* atque *intermittenti* fuerat ante mortem obnoxius. Vid. *Comment. instit. scientiar. Bonon. vol. I. p.* 419.

5) MORGAGN. *epist. XVI. n.* 23.

6) *Epist. XXIII. n.* 23.

7) *Mém. de l'acad. roy. des scienc. ann.* 1769.

An vermes in pericardio reperti sint.

8) Non satis probatum videtur MORGAGNIO, *vermes* in *pericardio* fuisse repertos; nec quidquam concludere observationes SYLVII, HARTMANNI, BALLONII, HALLERI, RIOLANI. *Epist. cit.* 23. *art. XV*, item *epist.* 24. *n.* 23. Potius *vermes cardiam* vellicantes in consensum cor trahere censet. *Epist. eadem*

eadem 23. *n.* 15. *cit.* *Ad rem facere videntur quaedam adnotata capit. X. §. CXXXII. de morbis imi ventris, quae videsis.*

7) *Flatus* ore emissi *palpitationem* levant. *Ventriculus* et *intestina aëre distenta diaphragmati* et *cordi incubanti obstant. Epist. anat. med. XXIII. n.* 16. In *corde* et *pericardio* incusatus *aër* ex MORGAGNIO non satis evincitur. *Ibid.*

Diagnosis.

§. CCXLV.

Signa fere propria *palpitationis* ex iis, quae supra (§. CCXL. etc.) exposuimus, peti debent. Sciendum est praeterea, motum cordis interdum, ubi pertinacior *palpitatio* vexat, costas ipsas suo impetu luxare et diffringere, quod FERNELIUS et BELLINIUS testantur, vocem et respirationem in graviore morbi gradu intercipi, anxietatem praecordiorum, vertiginem, aurium tinnitum, membrorum tremorem, animi deliquia, somnos interruptos terrificosque saepe accedere, et pulsum, qui in leviori malo vix celerior esse solet, iam intermittentem aut certe magnopere inaequalem, parvum atque obscurum reddi. Nonnulli vero, uti BELLINIUS et LIEUTAUDIUS, affirmant, quamcunque pulsus differentiam cum palpitatione coniungi posse; nimirum *pulsum* modo esse *rarum*, modo *frequentem*, modo *tardum*, modo *celerem*, *magnum*, *parvum*, *validum*, *debilem*, *inaequaliter inaequalem*, *intermittentem*, et sic porro; prout nimirum uno potius modo, quam alio cor contrahitur, et sanguis in arterias diversa vi, copia, celeritate proiicitur, aut arteriarum capacitas, renisus, expeditum iter varia se habent ratione. Potest enim fieri, ut cor frequentissime contrahatur, et tamen arteriarum pulsus sint rari; quod non qualibet cordis contractione tantum sanguinis in arterias transmittatur, quantum ad eas proportionate implendas dilatandasque requiritur, aut ab arteriis non recipiatur eo modo, ut arteriarum micationes cordis motibus respondeant.

Signa diagnostica palpitationis.

Cordis palpitatione interdum costae luxantur et diffringuntur.

Pulsus ratio varia.

Cur pulsus interdum sit rarus, etsi cor frequenter contrahatur.

§. CCXLVI.

Variae differentiae palpitationis.

Differt quoque *palpitatio* ratione gradus, modi, durationis ac originis. Hinc alia *levis* est, alia *magna*, alia *aequalis*, alia *inaequalis*, *continua*, vel *intermittens*, et certis intervallis aut horis *recurrens*, vel *accidentalis*, vel *protopathica*, vel *sympathica*, vel *convulsiva*. Differre quoque eandem a cordis *tremore*, docent nonnulli. Quum enim pulsum cordis motui respondere putent, pulsum vero in palpitatione esse posse rarum norint, *patere*, inquiunt [1]), *palpititationem in tremore consistere non posse*, quia *tremor cordis*, frequens nempe eius contractio, frequentem quoque pulsum efficiat oportet. At hi falli sane videntur, ac inter eos BELLINIUS non sibi constat. Fatetur enim, *interdum palpitationem* cum *creberrimo cordis motu* esse, et cum eo *pulsum rarum* quandoque coniungi (§. CCXLV). Sed creberrimus cordis motus nonne *tremoris* ideam continet? Quidni igitur *tremor cordis ad palpitationem* referatur? Idipsum videtur a SENACIO [2]) et LIEUTAUDIO [3]) quodammodo innui, quorum alter palam asseverat, *palpitationem*, quando levis est, confundi posse cum *cordis tremore*, qui in statu quodam cordis languido per pulsum deficientem, inaequalem, virium prostrationem, animi deliquia sudoresque frigidos mortis prodromos consistere, satis significatur. Verum in *palpitatione* vis cordis aucta videtur, imminuta vero in *tremore* morti praeeunte; quod sane non leve discrimen inter utrumque malum fortasse aliquis reputabit. Reponi tamen ei posset, non semper *tremorem* cum virium vitalium languore coniungi, et non raro a *convulsiva cordis affectione*, quae irritabilitatis quoddam augmentum est, excitari, et si quando viribus deficientibus succedit, virium defectum suppleri motus crebritate ac celeritate, neque propterea a *palpitatione* esse segregandum.

An palpitatio differat a tremore cordis.

Levior palpitatio cum tremore cordis confunditur.

An semper tremor a languore virium vitalium dependeat.

1) *Bellinius.*

2) *Traité du coeur.*

3) *Histoir. anat. méd.*

§. CCXLVII.

Differentes palpitationis causae qui possint distingui Anamnesis.

Ut palpitationis diagnosis facilis est, utinam pari quoque perspicuitate causarum, a quibus efficitur, varietas distingui posset! Sola anamnesis ad earum differentias assequendas plurimum conferre videtur. Si a plethora *palpitatio* sit, si a sanguine viscido et solidarum partium laxitate, si ab acritatibus, tam antecedentia, quam coniuncta nobis significabunt plethoram, cacochymiam, cachexiam, chlorosin, scorbutum, luem veneream, acria retenta aut retropulsa. Si a *cacochylia*, a *vermibus*, ab *hysterica* aut *hypochondriaca* affectione, a *flatibus ventriculum distendentibus*, a *cerebri* aut *nervorum laesionibus* fiat malum, adeunt horum singulorum signa a nobis saepius narrata. Et quidem in hystericis atque hypochondriacis saepe quaedam occurrit constrictio circa infimum oesophagi extremum, propter quam aegre et difficulter cibi in ventriculum descendunt. Haec autem a superioris ventriculi oris aut oesophagi spasmo, qui non raro ad fauces usque producitur, plerumque, interdum vero a diaphragmate, per quod oesophagus transit, convulsio oritur. Dolor quoque spasticus ad dorsum humerosque, imo ad brachia diffunditur, qualis ab aneurysmatibus excitari solet, licet hic nulla huiusce vitii exstent indicia.

Signa quarundam causarum extra cor.

Indicia palpitationis ab hysterismo et hypochondriasi. A spasmis.

§. CCXLVIII.

Aliarum causarum signa.

Reliquarum causarum, uti *hydrothoracis*, *hydrocardiae* aliorumque morborum, quibus thorax et pulmo obnoxius est, signa iam alibi tradita fuerunt [1]). De *polyposis* vero *concretionibus*, de *aneurysmatibus*, *varicibus* aliisque *praecordiorum organicis vitiis* erit in sequentibus X. et XI. *capitibus* opportunus dicendi locus. Crassities *pericardii*, aut eius adhaesio aut tumor vix dignosci possunt. Plerumque cum his perturbatus cordis motus esse solet, aut signa *varicosi* generis, de quibus infra dicemus, quandoque reperiuntur, quamquam semper est cur medicus dubitet, motusne ille perturbatus, aut palpitatio sit ob vitium *peri-*

Incerta signa vitiorum pericardii.

cardii, an potius ob vitium alicuius ex illis partibus, quae sub eodem ac intra idem sitae sunt, et ab eodem non ita coërcentur in suis motibus, quin hi sensibiles fiant. Imo interdum cum his etiam *cordis moles aucta* reperta fuit ab ALBERTINIO [2]). Ceterum vitia *pericardii* signis aliarum partium vitiorum communibus stipari solent, sic ut in iudicio ferendo eo magis suspensus haereat medicus, quo exercitatior est in cadaverum sectionibus. Attamen ALBERTINIUS in *pericardii* vitiis magis pulsum perturbari, facilius animam deficere, et sensum doloris et caloris ad sternum percipi quandoque observavit [3]). Cl. MECKELIUS [4]) haec signa putat sufficere ad detegendam pericardii cum corde adhaesionem; pulsus nimirum ad quemcunque motum inordinatus et auctus, interdum intermittens, in incipiente malo saepe fortis, in fine eiusdem semper debilis, postea crebra cordis palpitatio, respiratio anxia, vox saepe inopinato intercepta, haemoptysis, rubor faciei perpetuus, anxietates insignes et ad quamcunque abdominis expansionem auctae, sensuum internorum turbatio, macies et nutritio deficiens, quin causam in visceribus abdominalibus quis suspicari possit. Quam suam sententiam non solum rationibus physiologicis et pathologicis, verum etiam practicis observationibus nititur confirmare. Generatim vitia cordis atque adnexarum partium contumacius ac assidue affligens malum creant. Non tamen ab eius interruptione et quiete statim licet concludere, *palpitationem* ab aliis causis pendere. Incidit enim, ut organica quandoque vitia aliquod temporis intervallum conquiescant, temporum vero mutationibus, aut insigniore diaetae errore, aut corporis exercitatione motuve validiore accedente facile reviviscant.

Signa quaedam ex ALBERTINIO.

Signa adhaesionis pericardii ex MECKELIO.

Malum a cordis vitiis contumacius.

Quies inorganicis vitiis infida; nam facile eadem reviviscunt.

1) *Cap. V.* huius voluminis *de morbis pectoris.*

2) *Comment. instit. scient. Bononien. T. I. p.* 384.

3) *L. c.*

4) *Histoir. de l'acad. royal. des scienc. et belles lettr. ann.* 1755. *à Berlin p.* 76.

P r o g n o s i s.

§. CCXLIX.

Perspecta causarum natura, facile definiri potest, quinam futurus sit exitus. In morbis acutis, si cum signis coctionis exsurgat palpitatio, plerumque exoptatam crisin promittit; secus morbum deteriorem fieri, ac praecordia gravari portendit. In plethoricis ac aetate iuvenili saepe narium haemorrhagiam aut haemoptoën antecedit. A causa leviore, quae discuti facile potest, aut per se facile desinit, puta cacochylia, animi pathemate etc., expers periculi est. Neque admodum timenda est, si a convulsivis affectionibus, ut in hystericis ac hypochondriacis esse solet, aut a sanguinis dyscrasia, cruditate, plethora fiat, dummodo opportunis ei occurratur auxiliis. Maius negotium facessit ea, quam metastasis, aut consuetae evacuationis suppressio, aut haemorrhagia intulerit. Quae demum a vitio organico oritur, curationem vel nullam, vel difficillimam, et vix perdurantem admittit, eritque periculi magnitudo pro eiusdem vitii ratione aestimanda. Aestimatio autem vitii ab adiunctis etiam symptomatibus, difficili respiratione, pedum oedemate, praecordiorum anxietate, imbecillitate aut intermissione pulsuum desumitur. Utplurimum moleste afficit eos, qui iam quadraginta annos excedunt. Hi autem ad senectutem raro perveniunt, morte immatura sublati. Vel enim acuta febri, vel hydrope, vel repentina syncope correpti intereunt [1]). Generatim palpitatio, quae crebro incidit, non spernenda est, imprimis si diuturnos animi affectus consequitur, aut post solutos morbos, et cum multa nausea et bilis vomitu contingit, neque vomitus nauseam et palpitationem tollit, ut familiare est atra bile laborantibus et durum lienem habentibus.

Quando bona vel mala in morbis acutis superveniens palpitatio.

Interdum est signum imminentis haemoptysis vel haemorrhagiae.

Quando expers periculi sit.

Quando non.

Si a vitio organico dependeat, eius periculum quomodo aestimandum.

Quinam huic magis obnoxii.

Quid, si frequens sit, et morbos chronicos consequatur.

1) Nicol. Piso *lib. II. de morb. cogn. et curand. p.* 207.

C u r a t i o.

§. CCL.

Curatio secundariae et symptomaticae. Indicationes generales.

Varia medendi ratio esse debet pro causarum diversitate. *Palpitatio deuteropathica* aut *symptomatica* curatur iis, quibus morbus, unde illa proficiscitur. E suis itaque locis petenda est. Generatim vero curandum est, ut sanguinis per praecordia circuitus facilis reddatur, quaecunque irritatio aut irritandi potestas tollatur, emendetur, educatur, sensibilitas nimia aut nimia irritabilitas mitigetur, ac demum cor adnexaeque partes firmentur. Uno fere omnium ore sanguinis missio ad palpitationem curandam commendari solet, et quidem ea saepe necessaria est palpitatione laborantibus. Verum, ubi vires languent, aut hydropis metus est, aut haemorrhagiis evacutionibusque vasa conciderunt, noxia iure habenda est. Neque admodum prodest, licet interdum levamen afferat, in *idiopathica*. Ceterum in ea *palpitatione*, quam plethora, aetas iuvenilis, bonus corporis habitus, suppressae evacuationes, motus corporis aut animi vehementior, aut terror antecesserint vel comitentur, sanguinem mittere e brachio, pede aut haemorrhoidibus, utilissimum est. Item quando a *polypo* aut ab *aneurysmate* est, et malus corporis habitus nondum eo provectus sit, ut obstet, nullum praestantius ea occurrit auxilium, quo graviora symptomata instansque suffocatio praecaveatur.

Quando sanguis mittendus.

Quando non.

Sanguinis missio e brachio, pede, haemorrhoidibus quando utilis.

§. CCLI.

Quando adhibenda eccoprotica, clysteres, anthelminthica, aperientia.

Si *cacochylia*, *vermes*, *viscerum abdominalium obstructio* aut *ventriculi repletio* morbum fecerit, lenia eccoprotica, clysteres, anthelminthica atque aperientia adhibenda sunt. Proficuum quoque est alvum ducere, ut capitis mala avertantur, si qua cum ipsa *palpitatione* exorta sint. Sanguinis lentor, visciditas, acritudo postulat succos cichorei, taraxaci, buglossae, lupulorum, melissae, beccabungae, nasturtii aquatici, aut iuscula iisdem plantis alterata, serum

Alvi ductio. Sanguinis lentori, visciditati, acritudini

caprillum, lac, aquas medicatas tam thermales, quam acidulas, aut ferro scatentes. Ubi morbi cutanei retropulsi palpitationem excitaverint, praeter diluentia et temperantia mox memorata, stibio crudo diaphoretico, floribus sulphuris, decoctis ex sarsaparilla, china, smilace aspera, saponaria, iuribus ex viperis ac balneis opportune utendum est.

quid opponendum. *Quae medela palpitationi a retropulsis morbis cutaneis.*

§. CCLII.

In hypochondriacis ac hystericis amara ac stomacho dicata, uti absinthium, chamaedrys, abrotanum, cascarilla, quassia, cortex peruvianus, rhabarbarum, elixir proprietatis *Paracelsi*, et e chalybe parata remedia locum habent; quae postrema etiam convenientissima sunt, ubi cordis maiorumque vasorum compages laxata ac ampliata sit. Neque cardiacorum atque analepticorum obliviscendum est, si virium languor, aut sanguinis imminuta copia malum creavit. Si vero nervorum affectiones in causa fuerint, anodyna et nervina in usum vocentur, imprimis pulveres temperantes, nitrum, liquor anodynus mineralis *Hoffmanni*, C. C. succinatus, oleum succini, sal sedativum *Hombergii*, camphora, castoreum, aqua florum aurantii, tiliae, menthae piperitae, nuces virides cohobatae, moschus, opium, quamquam hoc a LIEUTAUDIO hic reprobatur.

Palpitationi ab hypochondriasi et hysteria genitae quae medentur. *Item cordis maiorumque vasorum dilatationi.* *Quando utendum cardiacis et analepticis.* *Quando anodynis.*

§. CCLIII.

Victus ratio indicationibus accommodetur. Vitetur repletio et ciborum varietas. Coena sit levis. Vinum vel prorsus intercidatur, vel aqua, in qua chalybs extinctus sit, temperetur. Quiescendum etiam quam maxime est, iis praesertim, qui aliquo organico vitio laborant, vel lenissimus sit motus, et qualis neque defatiget, neque sanguinem concitet. Exerceri vero et moveri saluberrimum est hypochondriaca aut hysterica passione affectis; dummodo sensim et per gradus exercitatione ac motu utantur. Studia, venus, animi pathemata, ira, tristitia, moeror sedulo arceantur.

Vitae regimen.

CAPUT X.

DE CORDIS AORTAEQUE POLYPO.

§. CCLIV.

Definitio.

Ex quo anatome diligentius excoli coepta est (a saeculo nimirum XVI.), saepius a prosectoribus inventae sunt intra vias sanguinis tenaces quaedam firmaeque concretiones, carnis, membranae aut lardi frustulum referentes, quibus ob aliquam cum narium polypis similitudinem *polypi* nomen indiderunt [1]); quod morbi genus aut plane a veteribus ignoratum est, aut certe vix coniectura perceptum [2]).

An morbus veteribus notus.

Qui fuerit primus inventor polyporum in cadaveribus.

1) Hallerus in ea haeresi est, ut putet, Vesalium et Benivenium fuisse primos *polypi* inventores in cadaveribus. At Morgagnius dubitat, num veri *polypi* fuerint, an potius *excrescentiae*, ut eas nominavit Marcellus Donatus aliique. Hinc observationis laudem tribuit Haelidaeo Paduano, qui floruit circa initium saeculi sexti decimi, deinde Coytero et Canano ad ann. 1574., Ballonio ad 1575., Smetio 1576. Erasto 1580.

2) Galenus fortasse coniectura id morbi assecutus est, ubi Antipatri morbum describit sub *levium arteriarum obstructionum* nomine.

§. CCLV.

Polypi sedes.

Frequentius faciliusque reperitur *polypus*, qua maiora atque ampliora sunt spatia, quae sanguis permeare consuevit, *cordis* nimirum *cava* et *arteriae magnae truncus*, praesertim si aliqua praeter naturam dilatatio hisce accesserit. Multiplex vero ratio et forma est harum (§. CCLIV.) concretionum, quae illic deprehendi solent. Ex pluribus pleraeque stratis sive lamellis sibi mutuo applicatis concrescunt ceparum in modum. Non raro in his lamellis alba puncta aut rivuli, vasa mentientes, si rubrae fuerint, aut rubri, si fuerint albae, notantur. Aliae mucosum pituitosumque coagulum, aut etiam grumum sanguinis coacti, cui materies alba gelatinae instar superinducta sit, aut atrum sanguinem

Multiplex ratio et forma concretionis polyposae. Descriptio harum varietatum.

concretum, aut ex his coalescens corpusculum quoddam tenax, fibris quodammodo contextum, membraneum, coloris varii repraesentant. Adhaerent etiam fere omnes vasorum et sinuum parietibus, sed non uno ubique adhaesionis modo. Quandoque enim aliqua sui parte liberae sunt, fluctuant, ac in proxima vasa quasi cruribus emissis producuntur, ac multiplici ratione sanguinis cursum variant. Quandoque firmius hic illic haerent immotae. Quandoque demum vasorum concavae superficiei quasi novam interiorem tunicam subtendunt, vel foraminulis pertunduntur, vel etiam excavantur, ut per eas sanguini liceat transcurrere.

§. CCLVI.

Causa proxima.

Causa proxima harum concretionum videtur esse aliqua *motus sanguinis imminutio* sive *quies*, qua eius partes *gelatinosae*, *mucosae*, sive, ut vocantur, *fibrosae* in unum coguntur et concrescunt. Notum enim est, sanguinem, ubi motum amiserit, coagulari ac consistere, idque imprimis eius parti concrescibili et *mucosae*, quibus crassamentum, serum et lympha scatent, potissimum deberi. Quidquid igitur sanguinis motum imminuit, retardat, cohibet, aut eius concrescendi vim auget, aut solidarum partium robur enervat atque infringit, quietem illam, e qua *polyposae concretiones* pendere diximus, procreabit. Lipothymia sive animi deliquium, et multo magis ipsa syncope inter causas remotas primum tenent locum, secundum vero pavor subitus et vehemens terror. Namque si recte perpendatur, quomodo in *animi deliquiis* et subitis gravibusque terroribus cordis motus supprimatur, sanguisque aut sistatur, aut retardetur, et quomodo inter cordis, valvularum eius vasorumque repetitos languidos tremores succutiatur, perspicuum mox erit, necessario *polyposas concretiones* esse orituras, ut ex Ruyschii atque Haenii luculentissimis evincitur experimentis.

Causae remotae.

Praecipuae lipothymia, syncope, pavor subitus et vehemens.

§. CCLVII.

Aliae causae. Vitia in praecordiis.

Praeterea, dum sanguinis per praecordia circuitui se opponunt, constrictio, induratio, compressio aut tumores

Pectoris varii morbi. Spasmus aut resolutio musculorum respirationi inservientium.

arteriae pulmonaris aut aortae, pulmonum morbi, uti difficilis respiratio, asthma, peripneumonia, pleuritis, phthisis, hydrops pectoris et pericardii, itemque musculorum respirationi inservientium spasmus diuturnior aut resolutio, aliaque huius generis impedimenta, quae sanguinis liberum motum impediunt, aut retardant faciuntque, quo minus cordis auriculae et sinus se deplere possint, polypo progignendo causam praebent.

§. CCLVIII.

Proëgumenae, quae lentorem sanguinis inducunt, eiusque ad concrescendum vim adaugent.

Lentorem sanguinis eiusque ad concrescendum proclivitatem et vim augendo *polypi* generationi favent diathesis inflammatoria, lues venerea, arthritica, scorbutica, scabies aliaque cutis vitia retropulsa, moeror, acida imprimis mineralia, spiritus fermentati, venena coagulantia, speciatim saturnina, halitus venenati, febres-pestilentes et contagiosae, alimenta cruda, viscida, austera, concoctu difficilia, tempestas et regio perfrigida, aut contra nimius calor, gelidae potus, plethora, seri et lymphae nimia aut copia, aut densitas, corporis proceritas, quam incusat HOFFMANNUS, immodicae, etsi consuetae evacuationes, et prae ceteris uberior quaecunque sanguinis, SWIETENIO notante, profusio.

§. CCLIX.

Aliae, quae atoniam solidorum unaque tarditatem fluidorum inferunt.

Quae vero solidarum partium vim imminuunt ac hebetant, sanguinemque ad concrescendum alicubi praeparant, sunt imprimis otium, vita iners et deses, in qua corpus languet, elater fibrarum deperditur, humorum circuitus lentescit, eorumque deperit requisita liquiditas. Nec absimili ratione agunt animi curae graviores ac studia immoderata.

Dilatationes auricularum, ventriculorum cordis adnexorumque vasorum.

Sed huc praecipue spectat auricularum ventriculorumque [1]) cordis, aut vasorum his appensorum aneurysmatica et varicosa dilatatio. In iis profecto locis sanguis consistit, in quibus *impellens vasorum vis minor* fuerit, et *maior luminum capacitas.* Maior autem capacitas et minor vis impellens in vitiis tam *aneurysmaticis,* quam *varicosis* procul dubio est.

1) In cadavere CAROLI COM. FIRMIANI insubrica et regia primum, deinde caesarea simul legatione italica clari, sed doctrina magis, humanitate sine exemplo omniumque virtutum laude commendatissimi, cuius adhuc desiderio tenentur quotquot sunt cuiusvis ordinis cives, in eius, inquam, cadavere inventus est thorax valde depressus, et pericardium, in quo liquor exiguus aderat, ita pinguedine obvolutum (quae sane duos latos digitos mensura excedebat), ut ab ea undique comprimeretur. Quare *cor parvae molis flaccidumque, auriculae* item *parvae* apparuere. *Sinistri ventriculi parietes summe tenues* ac fere *cartilaginei, dextri* vero *paulo* quidem *minus extenuati,* sed *valde flaccescentes*, intra cuius *cavitatem polypus grandior,* qui duobus veluti *ramis* serpendo ingrediebatur *cavam* et *arteriam pulmonarem,* detectus est *extima sua parte grumosus nigricansque, intima* ac *centrali albus, fibrosus, tenax. Interiorem* hanc concretionem *veterem* fuisse, secus *recentem* atque a morte exortam, quae in *exteriori ambitu* cernebatur, creditum est, Nam si *alba* illa et *dura* recens concretio fuisset, eadem *superne* et *infra cruorosa* quae dicitur *pars* (ut statuit MORGAGNIUS *pseudopolypis* in cadaveribus sive erectis, sive supinis genitis) visa esset. Sed interna erat et *embolum* referebat, cui circum ambiens recentior concretio sive *pseudopolypus* incumbebat; ergo *hanc recentem, veterem illam* fuisse recte potest definiri. *Extenuatio* autem *tenuitasque parietum utriusque ventriculi* et *flacciditas dextri* innuere videntur, *cor* olim fuisse *aneurysmaticum;* posteaque angustum in locum a comprimente pinguedine redactum parvae molis apparuisse. Ex quibus vitiis symptomata morbum comitantia, ipsamque mortem explicat Cl. *Auctor* in suo *diario italico anni* 1782. Nos vero haec pauca modo delibavimus, ne totam ab origine historiam morbi, integram sectionis anatomicae narrationem aliaque corollaria ab eo ibi deductis exscribentes longiori orationis filo a suscepto rerum ordine discedere videremur. *Nota editoris.* *Observatio anatomica.*

§. CCLX.

Quotiescunque igitur contingit, ut *sanguinis grumus* sive a deliquio, sive a pavore et metu, sive a nimia cavearum, per quas transit sanguis, amplitudine, sive ab earundem scabritie, inaequalitate, constrictione, compressione aliave causa in corde aut adnexis vasis motum amittat, aut remoram faciat, ibique haereat, sensim eidem aliquid eius accrescit, *fibrosae* imprimis atque ad *concrescendum pronissimae seri partis*, lentae, viscidae, a reliquis secedentis, ac ob imminutum motum coalescentis; sicque aliis atque aliis particulis in fibrarum aut telae modum accedentibus ac ad- *Grumus sanguineus.* *Genesis et structura polypi in homine vivente.*

pressis, mutuaque attractione conferruminatis (quin immo in cordis anfractus, villos, lacertosque, aut in valvularum tendines insertis, implicatisque) coagmentantur, ac solidantur *polypi* variae duritiei, molis et coloris; prout maior cohaesio, aut diuturnius tempus, aut copiosior materiae additio, aut rubra albidave sanguinis pars in eorum concretione concurrerit. Atque ita rem se habere, ipsa *polyporum* structura saepe *grumum sanguineum* quasi nucleum recondens, et *congeriem pellicularum sibi mutuo impositarum* (quales MALPIGHIUS vidit, quum eorum fabricam penitius perscrutaretur) omnino referens ostendere videtur.

§. CCLXI.

An vera eorum opinio, qui putant, polypos vel in articulo mortis, vel statim a morte duntaxat conflari.

Nec me hinc movent, quae contra *polypi* in vivis generationem adducuntur rationum momenta a clarissimis viris KERCKRINGIO, LIEUTAUDIO, PASTA, FANTONIO, RUYSCHIO, SWENCKIO aliisque putantibus, concretiones polyposas quascunque, quae in mortuorum corde vasisque maioribus inveniuntur, parietibus, valvulis, columnisve affixas ex sanguine eiusque concrescibili parte in ipso interitu, aut mox post interitum duntaxat conflari. Nam etsi non inficiemur, saepe has quidem in ipso mortis articulo, vel paulo post eam ex quiescente, frigefacto coactoque sanguine compingi, non tamen desunt invicta argumenta, quibus ad credendum compellimur, *polypos* in vivente etiam homine nasci, et diu cum vita superstite coniungi.

§. CCLXII.

Infirmae KERCKRINGII obiectiones.

Et primum, ut aliquid adversariorum obiectionibus reponam, scire oportet, KERCKRINGIUM non quamcunque *polypi generationem* impugnasse, sed eam duntaxat, quae ab universalibus sanguinis partibus repetitur, non vero quae ab *albis* et *concrescibilibus* oritur; idque *tam molli brachio*, ut ait MORGAGNIUS [1]), fecisse, ut MALPIGHIO non arduum fuerit multo validiori manu contra eum *polyporum* defensionem suscipere [2]). Neque minus infirmam esse cau-

sam, quam *polypis* indixit LIEUTAUDIUS [3]), cum ipse *polypos*, quales in naribus prorumpunt, id est *fungosas excrescentesque carnes*, a se unquam in cadaveribus, quorum ingentem numerum dissecuisse narrat, repertos neget. Nam non de *tumoribus carneis fungisque* cordi aut vasis innascentibus hic sermo est, ut ex iis, quae supra innuimus, apparet (quamquam et excrescentes carnes sive sarcomata, licet ipse non viderit, viderunt sane VESALIUS et BENIVENIUS, teste MARCELLO DONATO, et demum RICHARDUS WISEMANNUS [4]) in puella sexdecim annorum) sed de *concretionibus* hic agitur, quae a *sanguine concreto* aut eius *concrescibili parte* fiunt. Clarissimi porro ANDREAE PASTAE obiectiones valere potius adversus eos, qui omnes polypos in cadaveribus inventos iamdiu exstitisse in viventibus credunt, vel alias causas, quibus morbi et mors ipsa tribui aequiori iure poterat, aut non inquisivere, aut secus ac debuissent neglexerunt, aut dubiis, fallacibus aliisque vitiis communibus signis nimium confisi temere, et non satis vere *polypum* ubique posuere.

Item LIEUTAUDII *obiecta infirmiora.*

Obiectiones PASTAE *inopportunae.*

1) *Epistol. anatom. med. XXIV. n.* 27.
2) *Oper. posthum.*
3) *Précis de médecine liv.* 1. *chap. de la syncope p.* 275.
4) *Tractat. chirurgic.* anglice scriptus *etc.*

§. CCLXIII.

Quae omnia tantum abest, ut nos tangant feriantque, quin a nobis aequissima lance expensa, ut rationi consentanea probantur. Non tamen illud inde consequi arbitramur, ut *polyporum* generationem in viventibus nec veram, nec possibilem reputemus. Animadvertimus enim primo, *aneurysmata*, quae initio magna pulsatione attollebantur, saepe temporis progressu omnem pulsationis ictum paulatim amittere; idque plerumque, ut apud omnes in confesso est [1]), accidere ex eo, quod *aneurysmatis* cavum, concrescente sensim sanguine, et polyposa hinc orta crusta, quasi nova tunica interius obducatur; hocque adeo certum

Ex allatis obiectionibus non sequitur, genesin polyporum nec veram, nec possibilem esse. Demonstratio.

I. Argumentum.

esse, ut instituta sive temere, sive consulto in viventibus incisione *aneurysmatum* eorum, quae in *cubiti* aut *poplitis* flexura erant, id ipsum sit pluries demonstratum. Reserato enim aneurysmatis sacco, protinus ne dum *polyposae concretiones* varii generis proruperunt [2]), verum etiam totam eius interiorem faciem succinxisse visae sunt. Secundo notandum ducimus, LANGHANSIUM narrare [3]), a *polypo* se disruptam vidisse *sinistram cordis auriculam*, qui tantae molis erat ac firmitatis, ut recens natus dici nequaquam posset; neque nasci in ipso mortis tempusculo eum potuisse credimus, quoniam manifestum omnino est, quidquid sanguinis liquidi auriculae inerat, aut in eam ingrediebatur, antequam dehisceret rumpereturque, celeriter ab eadem dilacerata effluere debuisse, neque quidquam eius in ipsa retineri potuisse, nisi quod iam multo ante coiverat, firmiterque adhaeserat.

II. Argum. ex LANGHANSII *observatione.*

1) SWIETENIUS *in* BOERHAAVII *aphorismos* §. 176. *p.* 236., HAENIUS *Rat. medend. Part. IV. cap.* 2., MASOTTIUS *Dell' Aneurisma del poplite p.* 28.

2) *Acta Helvetica T. II.*

3) *Ibidem p.* 123.

§. CCLXIV.

III. Argumentum ex LANCISII *experimento.*

Tertio rem LANCISII experimento, si quod aliud, probatissimo confirmamus. Ligavit vir clarissimus in vivo cane alteram ex arteriis iliacis. Post dies XV. dissecuit ligatum vas, invenitque in eo supra vincturam *polyposam concretionem* [1]). Nec obstat, idipsum experimentum ab alio celeberrimo viro repetitum non respondisse. Nam illud idem, quod LANCISIUS narrat, ligato in agno arteriae iliacae ramo tentavit, viditque manifestissime PASCHALIS FERRARIA [2]), nec non ante eum Cl. PETITUS in iis, quibus membrum aliquod fuerat amputatum; altero quippe ab amputatione die, interdum etiam vigesimo aut trigesimo *polypos* in arteriis membri mutilati, quibus vinculum ad sanguinem sistendum de more fuerat iniectum [3]), offendit.

Idem experimentum a FERRARIA *confirmatum.*

1) *De aneurysmat. Prop. XXXVIII. p.* 127.

2) *Delle morti, e malattie subitanei. Edit.* 2. *p.* 39. *et seqq. Neapoli* 1767.

3) *Mémoir. de l'académ. des scienc. année* 1731.

§. CCLXV.

Conclusio ex allatis argumentis.

An hae *polyposae concretiones* vitae deficienti, aut sanguinis coagulationi mortem subsequenti tribui possunt? Si itaque et solita aneurysmatum pulsatio, innascentibus intus *polypis*, persaepe evanescit, et partium exteriorum aneurysmata, ubi sectione aperiuntur, polypis plena in vivis se produnt, et auriculae cordis disruptae polypos intra concretos interdum exhibent, et in vivis animalibus non minus quam in hominibus capta experimenta eos demonstrant, concludendum sane est, *polypos*, qui in corde vasisque sanguinis aut dilatatis, aut quocunque alio modo labefactatis reperiuntur, non omnes deficientis vitae, sive mortis esse, ut a nonnullis habentur, effectus.

§. CCLXVI.

Auctoritati negantium polypos opponuntur illustriores auctoritates.

Quod si *polypos* negantium auctoritas non minoris ponderis ac momenti auctoritatibus refellenda sit, non desunt PECHLINII, MALPIGHII, SMELLII, VATERI, LANGGUTHII, SCHACHERI, HOFFMANNI, SENACII, SWIETENII, MORGAGNII, HALLERI aliorumque omnigena doctrina anatome et clinice excellentium sententiae atque observationes; qui omnes et polypos tuentur, et iamdiu in vivis genitos aut viderunt, aut visos esse testantur. Et quamvis sanguinem recens extractum in durissimam massam interdum concrescere, et vitreo vasi non leviter adhaerere (quod Cl. PASTA obiicit) negandum non sit, attamen cum illustri HALLERO licebit notare [1]), *coagula nimis dura et alba, neque adeo subito nata, in auricula potissimum dextra, valvulis venosis, tendineis funiculis et ramis suis intertexta, cordisque lacertis, et demum ita innata*, ut nisi lacerentur separari non possint, *aut demum minimis inter reticulatas cordis interni fibras quasi radiculis suis* infixa (quae cum bene

Cl. PASTAE *obiectio reiicitur* HALLERI *argumento.*

multis aliis vidit Cl. auctor) aliam omnino naturam et cohaerendi rationem prae se ferre, quam ea, quae aut recens in cadaveribus, aut in extracto e vena sanguine nata dicuntur.

1) *Physiolog. lib. V. sect. I. §. XI.*

§. CCLXVII.

Id etiam evincunt symptomata praecedentia polypi in cadaveribus inventionem.

Praeterea, quid *symptomata polypum in cadavere inventum praecedentia* significant? *Nonne haec* (inquit laudatus HALLERUS [1]) *manifesto confirmant, in vivente iam homine impedimentum in cordis caveis adfuisse, quod non nuper demum, interque moriendum natum fuit? et cor palpitavisse, cum se imperfecte depleret? neque unquam eo se liberavisse stimulo, qui a polypo (crasso corpore) internam caveam obsidente natus non poterat non cor sollicitare?* Adde MORGAGNIUM ipsum, qui alioquin argumenta omnia, quae contra *polyporum in vivis genesin* adduci possunt diligentissime conquisivit, recensuit et probavit, *polypos* tamen *non omnes* negantem. Ipse enim tam olim in *adversariis anatomicis secundis, animadversione secunda,* quam nuper in *epistola anatomica medica XVII. num. IX.*, itemque in *epistola XVIII. num. XXIII.*, et demum in *epistola XXIV. num. XXX. polypos ante mortem* (in sacciformibus praesertim aneurysmatibus) *gigni posse, et genitos se vidisse interdum* testatur. Imo *perdifficile* existimat (*si motus sanguinis*, etsi *non* sit *omnino impeditus, sed* tamen *retardatus*, ut in magnis aneurysmatibus) *nihil tandem, longo saltem temporis intervallo, secedere, nihil concrescere, et adhaerere e sanguine aut lentius illuc progrediente, aut etiam in sacciformibus aneurysmatibus propemodum subsistente.* Verosimillimum enim est, *per idem sacci orificium, per quod facile illapsus impulsusque est, totum non facile rediturum.* Quamquam vero in *aneurysmatibus* interdum sanguinem cogi posse affirmet, negat tamen id in *corde*, licet praeter naturam *ampliato*, evenire, quod fibrae cordis irritabiliores sint, ac proinde validius sem-

Accedit auctoritas MORGAGNII, qui non omnes polypos in vivis gigni posse negat.

Cur MORGAGNIUS neget tantummodo in corde polypos concrescere posse

semper reagant, quam illae arteriarum, ita ut nunquam in eo sanguis possit conquiescere [2]). Verum qui hac de causa *polypos* reiiciunt, perpendant velim, non solum a *motu deficiente polypos* concrescere posse, sed etiam a *tremulo* et *concutiente*, qualis in syncope, aut magno in terrore cor prehendit, oriri, ut perspicue demonstravit experientissimus HAENIUS; ne de alienis in sanguinem immissis eumque coagulantibus aliquid dicamus. Ex quibus omnibus, ni fallor, patere satis videtur, *polyporum generationem a vivo* etiam *homine* non esse penitus excludendam.

Reiicitur haec MORGAGNII *exceptio non satis validis fundamentis innixa.*

1) *Physiolog. l. c.*

2) *Cit. epist. XXIV. n.* 30.

§. CCLXVIII.

Cum vero *polyporum* alii mortis tempore, alii iampridem vivente adhuc homine concrescant, duplex ideo eorum genus constituendum esse videtur, alterum *verorum*, qui scilicet iamdiu in vivo homine exorti sint, morbumque reapse effecerint, alterum *spuriorum*, qui morte tantum accedente formantur. Illi ex firma, tenaci, elastica et fibrosa veluti substantia constant, et parietibus, columnis valvulisque cordis aut vasorum lateribus arcte adhaerent, ut inde sine laceratione interdum divelli nequeant. Hi vero a morte nati quandam massam mollem, facile separandam, sanguini coacto, aut crustae *pleuriticae* dictae persimilem, aut grumum inferiori parte rubrum, superiori vero gelatinosum et albidum aut flavescentem referunt. Quam divisionem ita probat MORGAGNIUS, ut etiam rationem, qua polypi in cadaveribus reperti ad utrum genus referri debeant, scitissime tradat [1]). Summatim innatos *saccatis aneurysmatibus* ante mortem esse autumat, si *circum undique et in omnem plagam extendantur ac adhaereant*, sic ut *positum aegri* aut *cadaveris non videantur sequi*, itemque si *colore lurido* aut *obsoleto* sint, *substantiaque praeter modum exsucca;* hisque discriminibus differre *veros* a *spuriis*, seu, ut vocant, *pseudopolypis* in corde aut vasis a morte natis, cum

Hinc duplex genus polyporum, verorum nempe et spuriorum.

Quinam veri.

Qui spurii.

Divisio haec probatissima MORGAGNIO *est.*

Ex eo utriusque, veteris et recentis polypi signa.

hi contrario se modo habeant, et positus diversitati, in quo quis obierit aut iacuerit, ad amussim apprime respondeant, *rubra* nimirum *parte subter locata*, *desuper vero albido glutine*, seu *glutinoso coagulo* apparente.

1) *Epist. anatom. med. XVII. n.* 29.

D i a g n o s i s.

§. CCLXIX.

Polypi latentes in praecordiis quibus signis dignosci creduntur.

Exposita *polyporum* vera *natura* ac *origine*, signa modo recensenda sunt, quibus *polypi in praecordiis* delitescentes dignosci creduntur. Praecipuae eorum notae habentur pulsus intermittens aut inaequalis, pulsatio carotidum et subclaviarum vehementior, cordis palpitatio, lipothymia et syncope, respirandi difficultas et pedum oedemata. Quantum vero haec incerta eorum indicia sint, utpote multis aliis morbis et causis communia, sic ut *pathognomonica polypi* esse nequeant, partim ex iis, quae de *laesa respiratione, hydrope thoracis et pericardii*, *lipothymia et syncope, asphyxia*, *pulsu parvo, debili ac intermittente* et *de cordis palpitatione* tradidimus, partim ex iis, quae de *aneurysmatibus* et *varicibus* praecordiorum in sequenti capite tradentur, luculentissime erit perspectum.

Incerta haec, quia communia aliis morbis.

Quaedam etiam, non excepto pulsu intermittenti, plerumque desiderantur in polypi vitiis.

Imo quaedam ex his (non excepto pulsu intermittente, aut inaequali, qui alioquin perpetuus *polypi* comes a plerisque habitus est) defuisse interdum in iis, in quibus *polypus* repertus est, veracior historia medica [1]) docet, nosque ipsi non semel observavimus. Imo sapientissime monet ALBERTINIUS [2]), pericardii crassitiem, aut cum corde cohaesionem saepe *polypi* signa prae se ferre, et errandi occasionem praebere, nec certo vitia haec internosci posse, nisi quis fortasse putet satis discriminis esse, *pulsum* in *polypo* magis a naturali plerumque recedere, et motum manu ad cordis locum apposita manifestiorem percipi, nec ita facile ac in illis animum deficere.

Pericardii crassities quandoque polypum mentitur.

Qualitas pulsus peculiaris in polypo.

1) Albrechtus Thaer *Nov. act. phys. med. acad. caesar. Leopold. Carolin. N. C. T. I. ann.* 1757. *p.* 6., Morgagnius *Epist. cit. TXIV. n.* 28., Trewius *nov. act. phys. med. etc. T. II. observat.* 53., *Commentar. de reb. in Sc. nat. et med. gest. Vol. VII. Part. I. p.* 114.

2) *Super quibusdam difficilis respirationis vitiis* inter opuscula *Vol. I. Comm. institut. scientiar. et art. Bonon. p.* 385.

§. CCLXX.

Coniecturae quaedam de existentia polyporum in praecordiis, imprimis intra aortam aut sinistrum cordis sinum vel auriculam.

Signa latentis polypi in dextris cordis caveis.

Nihilo tamen minus si causae, quae *polypo* gignendo valent, praegressae fuerint, si aliorum in *praecordiis* vitiorum signa absint, aut eorum, cum quibus *polypi* facile coniunguntur, indicia non desiderentur, et praeterea pulsus nisi intermittens, inaequaliter saltem inaequalis, cordis palpitatio, tremor, anxietas, angor, difficilis respiratio, tussis et molestus in pectore sensus (quae postrema indicant sanguinem e sinistro cordis ventriculo in aortam non libere ingredi, aut e pulmonibus refluxum in vena pulmonari aut sinistra auricula congeri) aegrum paulatim corripiant, ac assidue divexent, non sine causa de *polypo* intra *aortam*, aut *sinistrum cordis sinum*, aut *auriculam sinistram* poterimus suspicari [1]). Si vero respiratio minus laboret pulsus languidior ac exilior sit, et crebrius syncope, quam suffocatio recurrat, tremor cordis et anxietas magis, quam vehemens palpitatio affligat, et venae colli subsiliant, et quasi undulationibus micent, probabilius videtur *polypus dextris cordis caveis insidere.* Albrechtus Thaer [2]) in homine, in cuius dextro ventriculo *magnum polypum* in *arteriam pulmonarem protensum*, in *sinistro* vero *minorem*, sed in *aortam ultra pedem decurrentem cum corde ingenti* reperit, *difficilem respirationem* et *summam anxietatem* cum interpositis *lipothymiis*, sive *pulsuum intermissione* observaverat.

1) Albertinius *l. c. p.* 391.

2) *L. c.*

§. CCLXXI.

Pulsus ratio varia.

Ex his vero quaedam continua sunt, quaedam recurrentia. Pulsus praecipue fere perpetuo esse solet inaequa-

liter inaequalis, imo in ipsa difficiliori respiratione, quae utplurimum ad quemlibet vel leviorem corporis motum, aut ad aëris mutationem, et speciatim ad venti austri flatum accedit, aut ingravescit, obscurus fit, intermittit ac deficit.

Anomalae cordis et spiritus affectiones.

Cordis vero tremor, palpitatio, vel eius iactitatio et dyspnoea inordinatim invadunt, revertuntur aut exacerbantur, et suffocationem, lipothymiam atque ipsam quoque syncopen minitantur.

Cur interdum praesente polypo nulla in pulsibus irregularitas.

Non tamen statim ac pulsus intermissio aut inaequalitas abest, credendum est *polypum* etiam abesse. *Praesente* enim *polypo* in praecordiis, nullam interdum pulsuum inaequalitatem aut intermissionem deprehensam fuisse, iam §. CCLXIX. adnotavimus; videlicet quando *polypi* moles, structura aut positio talis est, quae sanguinis itum et reditum etsi laedat, non tamen enormiter laedat aut intercipiat [1]).

1) ALBERTINIUS *l. c. p.* 390.

§. CCLXXII.

Alia signa observata a MALPIGHIO.

MALPIGHIUS praeter pulsum intermittentem et crebram lipothymiam cum cordis *polypo* coniungi etiam vidit pluries pulsum vibratum, vasa in iugulo dilatata, praecordiorum angustiam, alterutrius brachii torporem, in eodem pulsus obscuritatem, et spasticum in sterno dolorem [1]).

Quaedam ex HOFFMANNO.

HOFFMANNUS vero dolorem fixum circa cor cum sensu compressionis inter initia percipi asseverat; cum autem iam adoleverit, accedere ad haec frequentiorem cordis palpitationem pulsumque summopere inaequalem et saepius ad intervalla subinde intermittentem [2]).

Alia ex aliis.

Oedemata pedum addunt alii, alii faciem rubrum, purpureum alii, alii cachecticum cum palpebrarum tumore colorem, anhelitum facile inter loquendum insurgentem, sanguinem e vena eductum tenacem, densum, pleuriticum, cacochymiam aliaque laesae abruptaeque sanguinis per praecordia traiectionis consectaria [3]).

Cautio.

Sed quam caute hisce signis uti liceat, iam alibi (§ CCLXIX.) indicavimus.

1) *L. c.*
2) *L. c.*
3) HAENIUS, MACOPPE, MALPIGHIUS.

Prognosis.

§. CCLXXIII.

Passim incurabilis habetur.

Alios morbos chronicos inducit.

Ad multos annos trahitur.

Non desperandum quandoque, si recens morbus sit.

Polypus passim incurabilis reputatur. Saepe mortem subitaneam [1]) vel catarrhum suffocativum inducit [2]). Interdum lenta morte enecat, et hydrothorace aut hydrocardia, in quam incidunt ii praesertim, quibus subtumida est facies, aut oedemata pedum aut cachecticus habitus supervenerint. Nonnullos polypo laborantes miseram vitam ad XV. XVI. annos protraxisse narrant RIOLANUS, RIVERIUS aliique [3]). Quamvis vero morbus incurabilis hic esse perhibeatur, si tamen recens sit, neque adhuc indissolubilis polyposa concretio evaserit, HAENIUS et LANGHANSIUS [4]), a quibus non valde abfuisse videtur ALBERTINIUS, non omnem abiiciunt spem, creduntque fieri posse, ut idonea curatione removeatur, imo etiam curatos aliquos referunt.

1) TULPIUS et BARTHOLINIUS subitam mortem a *polypo sinistri ventriculi* illatam narrant, et WEPFERUS ab *aortae polypo*.

2) Vidit KIRSTENIUS.

3) Lentam ex *polypo* mortem commemorant *acta academica naturae curiosorum*.

4) *Ratio medend. Part. II. cap. VIII.*

5) *Act. Helvetica T. II. pag.* 133.

Curatio.

§. CCLXXIV.

Indicationes.

Iterata sanguinis missio tum ad praecavendum,

Curatio itaque innititur indicationibus sanguinis lentorem resolvendi, debitum eidem fluorem ac aequabilem per vasa excursum restituendi, polypi solutionem moliendi, aut eius saltem incrementum prohibendi, effectusque, qui ipsum consequuntur, mitigandi. Hinc sanguinis missio, et quidem iterata, praesertim in plethoricis et sanguineis temperamentis, accommodatissima censetur cum ad *polypum* praecaven-

tum ad curandum polypum. dum, tum ad eundem dissolvendum, ubi iam est, tum etiam ad eius symptomata discutienda aut compescenda. *Cautelae in sanguinis missione.* Sit tamen in ea instituenda aliquis modus, adiunctorumque ratio, ut par est, habeatur, ne vires plus iusto cum magno aegrotantis detrimento deiiciantur, vasorum robur infirmetur, aut debita sanguinis crasis destruatur; quod a sanguine temere ac inconsulto profuso non raro accidisse doluimus. *Ab ea non deterreat obscuritas pulsus, vel aliquod cachexiae principium.* Ab eo vero non semper deterreat pulsus obscuritas, oppressio virium, aut aliquod cachexiae principium; nam ubi aeger opprimi suffocarique videtur, saepe mirifice cauta sanguinis missione relevari potest; et melius est anceps experiri remedium, quam nullum. *Experimenta Halleriana. Cita esse debet V. S.* In universum vero nihil magis fatiscentem cordis motum erigit revocatque, aut congesto restitantique sanguini iter parat, aut inceptam eius concretionem resolvit, quam cita sanguinis missio, ut *Halleriana* in vivis animalibus facta pericula ostendunt.

§. CCLXXV.

V. S. quando celeriter instituenda. Hoc itaque praesidio *palpitationi* vehementius urgenti, *orthopnoeae*, itemque *syncopae* supervenienti celeriter succurrendum est. *Quibus sanguis tutius mittatur hirudinibus vel cucurbitulis.* In *cachecticis, hydropicis, debilibus, viscerum obstructionibus affectis* tutius sanguis mittitur per hirudines haemorrhoidibus applicitas, aut cucurbitulas tam siccas, quam scarificatas dorso cruribusque admotas. *Vincturae et fricationes, manuum pedumque in calidam immersiones.* Fricationes quoque et ligaturae dolorem inferentes, manuum et pedum (si per oedemata liceat) in calidam demissio, odoramenta naribus supposita, ac alia huius census utiliter pro diversa circumstantiarum ratione et necessitate in usum vocari possunt. *Quando cardiacis, resolventibus et paregoricis utendum.* Neque interdum alienum est, cardiacis, lenioribus resolventibus, imo etiam sedantibus et paregoricis uti; ubi nempe languida vitae vis excitanda, aut spasticae convulsivaeque affectiones sedandae videantur

§. CCLXXVI.

Alvus ducenda clysteribus et blan- Quidquid etiam viscera abdominis praegravat, vasaque illuc decurrentia comprimit, aut obicem diaphragmati oppo-

nit, diligentissime expedit amovere. Quare alvus a faecibus flatibusque libera servetur ope clysterum blandorumque eccoproticorum, de quibus saepe a nobis mentio alibi facta est. Deinde quae diluunt, quae temperant, quae sanguinis et lymphae densitatem attenuant, causisque, unde morbus dimanavit, occurrunt, in usum veniant. Nitrum, tartarus vitriolatus, terra foliata tartari aut eius liquor, sal polychrestus, mel, oxymel, gummi ammoniacum incidunt egregie. Ob vim, ut vocant, saponaceam et simul temperantem commendandae sunt verno tempore ptisanae ex hordeo, gramine, soncho, chaerophyllo, cichoreo; aestivo vero aquae medicatae affatim et diu, prudentis tamen medici consilio, hauriendae. His enim universa sanguinis massa diluitur, vasa omnia deplentur reseranturque, humorum circumvolutio promovetur, fibrarum oscillatio excitatur, et nimia ad concrescendum sanguinis proclivitas avertitur.

dis eccoproticis.

Incidentia.

Diluentia.

Ptisanae verno tempore.

Aestate aquae medicatae.

§. CCLXXVII.

Reliquis vero ab illustri imprimis Gallorum regis archiatro SENACIO anteferuntur spiritus salis ammoniaci, sal tartari, sapo venetus, aqua calcis rite ex ostrearum testis crematis parata, atque ex his quotidie tantum sumi diutissime iubetur, quantum morbi magnitudini et pertinaciori naturae videtur accommodatum. Incipiendum autem a parciore dosi est, paulatimque ad largiorem ascendendum. Tanta inest his resolvendi polypum potentia, ut praegrandes durioresque polypi e cadaveribus extracti, atque in aquam calcis cum sapone veneto et sale tartari commixtam iniecti brevissimo temporis spatio colliquati fuerint [1]).

Spiritus salis ammoniaci, tartari, sapo ven. et aqua calcis ex Cl. SENACIO ceteris sunt praestantiora.

Dosis horum remediorum, et mira eorum vis.

1) Vid. SENAC. *Traité du coeur. Vol. IV.*

§. CCLXXVII.

LANGHANSIUS [1]) tamquam experientia comprobatum sumi iubet semel aut bis quotidie pulverem, qui fit ex radicis serpentariae virginianae scrupulo, salis ammoniaci defaecati et nitri puri singulorum granis XII. Deinde ad cha-

Pulvis LANGHANSII compositus ex rad. serpent. virgin., sal.

amm. et nitr. puriss. lybis usum cum lenibus aromaticis adiectis transeundum esse praecipit. *Tum chalybis et roborantium usus.* Chalybi vero tunc maxime erit locus, cum solidarum partium debilitas, mala chylosis et cachexiae metus remedia roborantia suadent. *HAENII methodus antiphlogistica.* HAENIUS etiam gloriatur [2]), non paucos *polypo* detentos sola antiphlogistica cura a se fuisse sanitati restitutos. Dedit autem his per sesquimensem singulis diebus semunciam roob baccarum sambuci, tantundem pulpae tamarindorum et nitri drachmam ex seri lactis largiori haustu. Addebat vesperi pro re nata *paregoricon* ex diacodion. *Methodus Cl. ALBERTINII.* Ab ALBERTINIO [3]) succum expressum ex lupulorum aut chaerophylli foliis commendatum legimus, cui interdum lac adiiciebat gummi ammoniaci ea confectum ratione, quam BARTHOLETTUS proponit, vel spermatis ceti recentis partem aliquam; et ubi valentius agendum esset, cum aliquot granis florum salis ammoniaci martialium permixtam, vel aliquod salis essentialis alicuius plantae dis- *Dissolventia.* solventium genere. Hoc nomine praestare etiam dicuntur radix polygalae tam virginianae, quam vulgaris, dulcamara, arnica, extractum cicutae atque aconiti coerulei, tin- *Decocta lignorum, mercurialia et volatilia caute usurpanda.* ctura acris antimonii aliaque huius generis attenuandi laude insignia. Decocta vero lignorum, mercurium salesque volatiles, utpote quae vel cordis arteriarumque motum nimis concitant, vel sanguinem rarefaciunt, eiusque augent motum, cum BOERHAAVIO [4]), ALBERTINIO [5]) aliisque sanioribus medicis vel nunquam in *polypi* suspicione adhibenda, vel magna omnium rerum consideratione cautissime usurpanda esse censemus [6]).

1) *L. c.*
2) *L. c.*
3) *L. c.*
4) *Inst. med.* §. 826.
5) *L. c.*
6) *Observationes et exempla damni a mercurio illati.* Virum vidit ALBERTINIUS ex *mercurio dulci* salivae proritandae causa sumpto incidisse in contumacem *cordis palpitationem;* idem alium ab eodem *mercurio* tam *dulci*, quam *vivo* assumpto ex *praecordiorum aneurysmate* enecatum; ac tandem alium ab *illitu mercurii* post aliquot annos *dilatatione auriculae cordis dextrae* et *pericardii hydrope* correptum obiisse. Hinc monuit PARAEUS, aneurysmata interna *frequen-*

ter accidere iis, qui litus mercuriales *ad curationem luis venereae multoties pertulerint. Sublimati* etiam *corrosivi* usus suspectus esse debet, ut patet ex BONELLII *in Cl.* BASSANIUM *animadversionibus.*

§. CCLXXIX.

Quod attinet ad victus rationem, carnibus praestant olera, fructus probe maturi, pisces fluviatiles. Glutinosa omnia, acida, austera et spiritus fermentati, imo vinum meracum (nisi cachexiae timor aut ventriculi languor aliter poscant, quo in casu id aqua chalybe ignito alterata dilui potest) penitus exulent, utpote quae sanguinis spissitudinem augere, aut eum cogere, vel rarefacere nimis et exagitare possunt. Postrema hac de causa suspecta est quoque corporis exercitatio, maxime incessus per acclivia. Lenissima tamen vectio in aëre puro, elastico, sicco, ventis haud agitato permitti potest. Animi quoque affectus vehementiores, eorumque causae sedulo vitentur, imprimis amor, odium, moeror atque ira. Ex his enim alii actiones naturales depravant, alii cordis motum laedunt aut intercipiunt, alii concitant ac irritabilitatem sollicitant; unde vel crudi impurique succi in sanguinem traducuntur, vel lentore increscente promptior via ad stagnationes paratur, vel vasa impetu maiore illato praeter naturam dilatantur, ut inde *polypus* incrementum facilius recipiat, vel repente diffracta dehiscant.

Victus ratio.

Noxia corporis nimia exercitatio.

Animi pathemata arcenda.

N O T A.

Exstat inter minora opuscula auctoris de hoc argumento dissertatio, quam legendam tradidit VINCENTIO NEGRIO *anno* 1776*, quum is de huiusmodi cordis vitio* theses *publice propugnandas aggrederetur. Vide* theses de polypis praecordiorum, quas in Ticinensi Gymnasio *laudatus* VINCENTIUS NEGRI propugnavit, *et eodem anno* Ticini *edit. in* 4. Typis Ioseph. Bolzani.

CAPUT XI.

DE ANEURYSMATIBUS ET VARICIBUS PRAECORDIORUM.

§. CCLXXX.

Etymologia.

Quid Graecis et Arubibus fuerit.

Veterum definitio immutata a FERNELIO *et* VESALIO *est. Aliter a* SENNERTO *definitus morbus est.* FREINDIUS *veterum sententiam nititur revocare.*

Id quod Latini *arteriae dilatationem* appellant, a Graecis Ἀνεύρυσμα, ab Arabibus *hyporisma*, vel *aporysma*, vel *emborysma* nominatur. *Aneurysmatis* etymon non omnes una eademque ratione explicant, alii enim ab una, alii ab alia voce illud derivant [1]). Graecis Arabibusque erat ille *tumor arteriae*, qui ab ea disrupta aut discissa effusoque sanguine in vicina spatia ortus esset [2]). Ab hac sententia descitum est posterioribus temporibus, sic ut *non rumpi*, sed tantummodo *dilatari arteriam* in *aneurysmate*, FERNELIO et VESALIO praeeuntibus passim crederent [3]). SENNERTUS vero, HILDANUM fortasse secutus [4]) *aneurysmatum* naturam non in sola *dilatatione arteriae*, verum etiam in eius *tunicae interioris ruptione* (duabus enim tunicis arteriam constare olim putabant), exteriore interim integra, positam esse tradidit [5]). Sed SENNERTI, FERNELII et VESALII sententiam reprobans FREINDIUS, observationibus bene multis in medium prolatis, veterum opinionem restituere annisus [6]) est. Rem vero ipse, si non fallimur, minime confecit. Ostendisse tantum visus est, *aneurysmata* cum ad summam dilatationem perveniant, disrumpi tandem, non in ipsa ruptione arteriae antea constitisse.

1) HIERONYMUS MONTIUS, ut LANCISIUS tradit *(de aneurysm. in gener. lib. I. propos. 1.)*, in *enervationis* vocabulum transtulit *aneurysma* a particula privativa α, et τοῦ νεύρου, i. e. *a nervo.* SYLVATICUS autem *(Tractat. de aneurysmat.)* a verbo Εὐρύνω, scilicet *dilato*, deducit. Demum M. AURELIUS SEVERINUS *(De noviss. observ. abscess. cap. VII. p. 170.)* Εὐρύνειν, nempe *effluere* et *exsilire* derivandum arbitratur. Etymologia vero SYLVATICI reliquis praeferenda videtur.

2) GALENUS (*lib. Isagog. defin. med., et de tumorib. praet. natur. class. III. c. XI.*) *aneurysma* (inquit) *est relaxatio venosi vasculi, aut dispersio spiritalis materiae sub carne per dissultationem se se diffundentis* etc. Atque alibi: *ore autem in arteria facto, affectio aneurysma vocatur; fit autem vulnerata* etc. Ex his GALENI verbis colligitur, ab eodem tam *dilatationes venarum*. quam *arteriarum, earumque ruptiones* comprehendi sub uno *aneurysmatis* nomine. Addit autem ibi unam ex multis causis, nempe *vulnerationem;* quod clarius explicat libro *de curand. ration. per sang. mission.* 22. *et* 23. inquiens, *incisam arteriam aneurysmate facillime corripi.* Vid. ORIBASIUM *Collect. medicinal. lib. VII. cap.* 13. *et* 14., AETIUM *Tetrab. IV. sermon.* 2. *cap.* 51. *et serm. III. c.* 10. ACTUARIUS ZACHARIAE filius (*meth. med. lib. III. cap.* 2.) testatur, hoc nomine Graecos intellexisse etiam simplicem *dilatationem arteriae. Ex sch. auct.*

3) Vid. BONET. *Sepulchret. anatom. lib. IV. sect.* 2.

4) Vid. FREINDII *Histor. med.*

5) *Id. ibid.*

6) *L. c.*

§. CCLXXXI.

Qualis hodie morbus intelligatur.

Hodie vero compertissimum est, *arterias*, detracto aut destructo cellulari quo firmantur involucro, protinus intumescere, et praeter naturam extendi, quin ulla interiorum scissura aut laceratio contigerit; neque ullo negari potest modo, a vulnere, punctura, contusione interdum aneurysmata repente oborta esse; neque rationi experientiaeque repugnat, laxata quomodocunque, aut exesa, aut diffracta interiore arteriarum compage, eas in tumorem protuberare consuevisse. Hinc *aneurysmatum* triplex genus commodissime constituitur, alterum a sola *dilatatione arteriae*, alterum ab *eadem disrupta*, aut quocunque modo *aperta, hiante* ac *sanguinem effundente*, tertium ab *utraque causa oriundum*, sive *mixtum*, quod Cl. HUNTERUS [1]) constituit, etsi a nonnullis ut fictitium reiiciatur [2]).

Triplex aneurysmatum genus.

1) *Medical observations and inquiries by a society of physicians in London. Vol. I. artic.* 37.

2) Id referunt auctores *Diarii de litteratura Europae T. IV. ann.* 1758. *pag.* 114.

§. CCLXXXII.

Primum genus est verorum, spuriorum secundum, et tertium compositum sive mixtum.
Additum quartum est, varicosum dictum.
Divisio spuriorum in diffusa et circumscripta ab HUNTERO *facta.*
Subdivisio in primitivum et consecutivum ex FOUBERTIO.

Quae ad *primum* genus spectant, a chirurgiae professoribus *vera* appellantur, *spuria* quae ad *alterum* [1]), quae demum ad *tertium*, utpote ex vero et spurio composita, *mixta* ab HUNTERO mox laudato dicuntur [2]). Nonnulli addunt *quartum* genus, scilicet *aneurysma varicosum*, quod fieri dicunt, quando *arteria* et *vena* contiguae ita perforantur, ut sanguis ex illa in hanc irruens *tumorem salientem* efficiat [3]), ut si ex. caus. *basilica vena pertusa communicet cum vulnere arteriae brachialis subiectae* [4]). *Spurium* porro aneurysma dividitur in *diffusum*, et in *circumscriptum*. Illud est, quando *sanguis effusus* latius *per cellularia spatia* vagatur; hoc vero quando *sanguis* e *cellulari textu* aut *membrana aponeurotica* incumbente ita coërcetur, ut in angustiore loco consistat [5]). Subdividitur quoque *spurium* a Cl. FOUBERTIO in *primitivum*, et *consecutivum;* quorum alterum mox post arteriae laesionem oritur, alterum vero post aliquot dierum spatium ab eiusdem laesione consequitur [6]).

HUNTERI error notatus.

1) PLATNERUS *Instit. chirurg.* §§: 420. 21. (†).

2) *L. c.*

3) WHITE et THOM. ARMIGER. *Comm. Lips. T. XVIII. P. III. p.* 408., *et* FOUBERT. *Mém. de l'acad. roy. de chirurg. T. II. p. p.* 535.

4) *Comm. Lipsiens. l. c.*

5) HUNTERUS *l. c.*

6) *L. c.*

†) AETIUS distinxit iam aneurysmata in *vera* et *spuria;* et fallitur Cl. HUNTERUS, cum eius distinctionis auctorem facit PAULLUM AEGINETAM, qui floruit seculo VIII. christianae salutis.

§. CCLXXXIII.

Distinctio prima de veris et spuriis LIEUTAUDIO *arridet tantum de externis.*

Aneurysmatum vero distinctionem in *vera* et *spuria* probare tunc tantum videtur LIEUTAUDIUS [1]), cum exteriores ea occupant partes. Quod sane de reliquis aliis etiam subtilioribus divisionibus dici posset. Non tamen absurdum est, quodlibet genus (§§. CCLXXXI. CCLXXXII.) ubique

oriri posse, et si qua difficultas est, totam in iis distincte dignoscendis, quoniam intrinsecus sita saepe omnem oculorum et manuum inquisitionem effugiunt, positam esse arbitramur. A vero tamen fortasse non abest, *aneurysma verum* frequentius *interioribus*, *spurium exterioribus* in partibus, ac praecipue in *artubus* deprehendi, quemadmodum PLATNERUS [2]) rectissime monet.

Utrumque genus tam intus, quam extra possibile est. Verum aneurysma crebrius intus et spurium extra est.

1) *Précis de médicine liv. I. p.* 146.

2) *L. c.* §. 422. Exemplum spurii aneurysmatis interiorum partium vide apud TABARRANIUM *observ. anat. n. VIII. pag.* 16.

§. CCLXXXIV.

Ex his in universum expositis, quid sit *aneurysma*, quisque intelligit. Est autem vel *arteria* praeter naturam alicubi *in tumorem dilatata* atque expansa, vel *tumor* in circumpositis partibus ab *eadem rupta*, aut *incisa* et sanguinem effundente ortus, vel utriusque mali complicatio. *Venis* quoque eiusmodi vitium commune est. Hinc enim vel propriam ac naturalem figuram amittunt, et ampliorem capacitatem acquirunt, vel ruptae aut discissae in cellulas circumpositas aliquid sanguinis effundunt. Illud nomine *varicis*, hoc *ecchymoseos* sive *sugillationis* proprie distinguitur. Non enim eorum nos auctoritate movemur, qui uno *aneurysmatis* vocabulo utraque et *venarum* et *arteriarum* mala complectuntur.

Qualis et quotuplex vitium arteriarum aneurysma.

Idem vitium venis quoque commune, et quotuplex. Varices. Ecchymoses vel sugillationes.

§. CCLXXXV.

De his itaque vitiis tam *aneurysmaticis*, quam *varicosis*, non quidem universis et quibuscunque, sed de iis duntaxat, quae speciatim in *praecordiis* fiunt, mox disseremus, *praecordiorum spatium* latius quam moris est, ad CORNELII CELSI exemplum, extendentes [1]), eo quidem consilio, ut universa fere *aorta*, in quam crebrius *aneurysmata* cadunt, et vena *cava*, quae *varicibus* corripitur, in eodem spatio commode etiam comprehendi possint. Antequam vero progrediamur, aliquid de ea peculiari divisione, qua in recensendis *prae-*

Hic agitur de iis tantum, quae in praecordiis fiunt. Praecordiorum spatium cur ad totam fere aortam et venam cavam extendatur.

Divisio LANCISII. *Quae ei vera sint.*

cordiorum aneurysmatibus usus est Cl. LANCISIUS, praemonere convenit. Haec et ipse in *vera* sive *legitima*, atque in *notha* sive *spuria* quidem distinxit, sed alia prorsus significatione, quam eiusmodi voces a chirurgis medicisque (quod supra exposuimus) accipi soleant. *Legitima* enim ei dicuntur tam, quae a laxato arteriarum textu, quam quae ab earum soluta continuitate procedunt. Contra *spuria*, quae ab initio non villorum fibrarum arterias contexentium debilitas, laxitas aut solutio effecit, sed adauctus sanguinis impetus, cui ferendo sine divulsione non valeat naturalis communisque arteriarum firmitas sive resistendi vis; id aut in his relaxatio aut ruptio villorum vel tunicarum tanquam effectus consequatur, minime vero aneurysmati primam causam praebeat, sicque in *vera* facile transmutentur [2]). Scire etiam interest, *aneurysmata*, quae *vera* a LANCISIO appellantur, *passiva* a SAUVACESIO, et quae *spuria* ab illo, ab hoc *activa* [3]) nominari.

Quaenam spuria.

Divisio SAUVAGESII.

1) *Lib. II. cap.* 3. *lib. IV. cap.* 1. *et* 8. *lib. V. cap.* 26.
2) *De aneurysmat. in gener. lib. I. propos. V.*
3) *Nosolog. method. T. I. class. I. ord. V. gen.* 2.

§. CCLXXXVI.

In duo genera rectius distinguuntur aneurysmata arteriarum, id est non saccata, et saccata.

Pace vero Cl. LANCISII, alioquin optimi de hisce morbis scriptoris, *aneurysmata* sive *arteriarum dilatationes*, quibus praecordia obnoxia sunt, in duo potissimum genera distribui possunt, quaecunque fuerit eorum origo, eorum nimirum, in quibus arteria in quamlibet partem ultra naturae limites expanditur, ac eorum, quae arteriae pars aliqua e *vasis latere* sacci instar protuberans excrescensque format. Vix enim ullum *interiorum partium aneurysma* est, a quo alterutra huiusmodi dilatatio abesse possit. Atque huius aneurysmatum divisionis, in *sacciformia* nimirum et *non sacciformia* [1]), auctor est Cl. MORGAGNIUS [2]), quem postea secuti sunt SCHREIBERUS [3]), VALCARENGHIUS [4]) aliique. Ast praeter arterias *cor* etiam multiplici ratione dilatari potest, cuius *dilatationes* quid vetat eodem *aneurys-*

Cor etiam iisdem dilatationibus obnoxium.

matis nomine cum BALLONIO [5]), LANCISIO [6]) aliisque bene multis hodie vocare, easque pariter in *sacciformes* et *non sacciformes* dispescere?

1) *Non sacciformia* dici etiam possunt *cylindroidea* cum SAUVAGESIO.

2) *Adversar. anatom.* 2. *aort. animadvers.* 38. *et Epist. Anat. med. XVII. n.* 27.

3) *Act. erudit. Lips. ann.* 1731. *mens. Aug. pag.* 377. 378.

4) *De aneurysm. observ. I.*

5) *Consil.* 109.

6) *L. c. proposit.* 11.

§. CCLXXXVII.

Cordis dilatatio vel sola, vel cum aliis vitiis copulata. Varia dilatationum cordis ratio et natura.

Cor autem, ut ab hoc exordiamur, modo totum, modo aliqua sui parte tantum *dilatatur*, aliisque etiam vitiis (puta *polypis*, *sarcomatibus*, *tumoribus* variis, itemque *erosione* exterioris ambitus una simul non raro subiicitur. Exempla *cordis* universi *mole aucti* et praeter modum *dilatati* frequentissima extant apud auctores [1]). Interdum cum summa *parietum* eius *extenuatione* aut *flacciditate* dilatatio coniungitur, interdum cum dilatatione cavearum omnium *parietum crassities* ac *spissitudo* firmitasque augetur, interdum *moles* tantum ipsa videtur *aucta*, quin tamen iusto maior cavearum amplitudo dici possit. Quandoque etiam *arteriae* et *venae coronariae aneurysmaticae* et *varicosae* in eo cernuntur. Ita vero saepe extenditur, ut *iuvenci cor*, aut *caput maiusculum*, aut *ter quaterve naturalem magnitudinem adaequet superetve* [2]).

Auctores, qui de cordis mole aucta exempla referunt.

1) Primi, qui ea notaverint, sunt NICOLAUS MASSA anno 1534 in *lib. introduct. anatom. c.* 28.; VESALIUS *De human. corpor. fabric. lib. I. c.* 5., CAROLUS STEPHANUS *De diss. part. corp. hum. lib. II. cap.* 33.; BALLONIUS *Epidem. l. II. in constitut. autumn. ann.* 1573, ANDREAS LAURENTIUS *Hist. anat. corp. hum. lib. IX. quaest.* 18. Qui alias huiusmodi historias desiderat, legat etiam BONETUM *Sepulchret. anatom.*, SCHENKIUM *Pratyriseon, sive observ. d. merar. etc.*, LANCISIUM *De motu cord. et aneurys.*, KINGS-MACOPPE *De aort. polyp.*, MORGAGNIUM *De sed. et causis morbor. per anatom. indag.*, SENACIUM *Traité du coeur*, PASTAM *De cord. polyp. in dub. revocat.*, VALCARENGHIUM *De aort. aneurysm. observ.* 3.,

MATANIUM *De aneurysm. praecord. vitiis*, SWIETENIUM *Comment. in Boerhaav. aphor. de cogn. et curand. morb.*, LIEUTAUDIUM *Hist. anat. med.*, HAENIUM *Ratio medendi*, et ibi non *cordis* tantum, verum etiam *aortae, venae cavae* aliorumque *vasorum* dilatationum exempla inveniet.

2) NICOLAUS MASSA et BALLONIUS *loc. citatis*.

§. CCLXXXVIII.

Modo quaedam cordis partes, modo plures dilatantur.

Quandoque autem aliquae tantum cordis partes, aut una vel altera singillatim in immensam molem explicantur. Imprimis *dextra cordis auricula* huic vitio obnoxia est, ut modo *dimidiatum*, modo *integrum cor*, modo *caput infantis recens nati* magnitudine referat. Dilatatur quoque *dexter eius ventriculus*, sicuti etiam *sinister*, eiusdemque lateris *auricula*, et ita quippe ut interdum disruptionis periculum immineat, imo disruptio ipsa sequatur.

An plus dextrae, quam sinistrae partes laborent.

Sinistri vero *ventriculi* dilatationes plures vidit LANCISIUS, item MORGAGNIUS, quam *dextri; auriculae* vero *sinistrae* rariores, quam *dextrae* [1]). At SWIETENIUS contrarium docet [2]). Interdum *dextrae*, interdum *sinistrae* solum *caveae*, interdum *utrinque* una *simul* ampliantur, ut apud observationum anatomico-medicarum scriptores videre est.

1) *Epist. anat. med. XVIII.*

2) §. 176.

§. CCLXXXIX.

Quaenam ex arteriis aneurysmate afficiantur.

Ex arteriis porro, quae in praecordiis locantur, praecipue aneurysmate afficiuntur *arteria pulmonaris, bronchialis, aorta* tam in suo *initio* atque *arcu*, quam in *trunco descendente, subclaviae, carotides, axillares, coeliaca, hepatica, splenica, mesentericae, emulgentes, iliacae* earumque *rami*.

Quaenam frequentius. Unde frequens erosio earumque disruptio.

Sed frequentius reliquis *aortae curvatura*, quod et proximior cordis actioni sit, et totum sanguinis impetum arcu suo recipiat. Saepe *arteriarum aneurysmata* aut ab acri humore ibi deposito, aut acri ex stagnatione facto intus eroduntur, et sanguinem in pericardium, in pectoris cavum aut alia proxima loca tam lacerata ac erosa, quam

rupta

rupta effundunt. Inter pocula et iocos *arteriam pulmonarem diffractam* MATANIUS [1]); *erosam* et *sanguinem* in *pericardium evomentem* TABARRANIUS [2]); *aortam* prope *corruptam* MORGAGNIUS [3]); et ob *molem adauctam* a cordis basi secedere incipentem MERYUS [4]) viderunt. *Bronchialem* eodem vitio affectam in quodam cursore repente denato conspexit Cl. LEPROTTUS [5]). Interdum intus osseae evadunt, aut osseis squamis obducuntur. Ex *aorta* in *aneurysma dilatata*, et hic illic *ossea* obiit WEPFERUS [6]). *Aortam* cum aneurysmate tres digitos lato *induratam*, ac *osseis* intus *laminis* obsitam refert MORGAGNIUS [7]), VALSALVA [8]); et *crusta ossea* inductam ALBERTINIUS [9]). De *monstrosissimo* tribus digitis *supra cor aneurysmate* cum interiore *aortae tunica erosa* mentionem facit RUYSCHIUS [10]), aliique multi commemorant, quod imprimis lue venerea laborantibus non infrequenter accidit. Haud raro *aortae aneurysma* oesophagum et tracheam comprimit. De hac dilatata *oesophagum tracheamque* comprimente meminit RAMAZZINIUS [11]); ac de alia, quae *oesophago* ita adhaerebat, ut eo *eroso* in ventriculum post *anerysmatis* ruptionem sanguis descenderit, MATANIUS [12]). Prope cor saepe ita dilatatur, ut in immensam molem excrescat. *Orificium* eius adeo *amplum* in *corde aneurysmatico* olim LAURENTIUS et nuper PASCHALIS FERRARIA observatum memorat, ut *brachium admitteret* [13]).

Exempla arteriarum pulmonar., aortae, bronchialis aneurysmate affectarum et disruptarum.

Interdum osseae, aut squamulis osseis obductae evadunt. Exempla ex observationibus cel. virorum.

Interdum aortae aneurysma oesophagum et tracheam laedit.

Saepe in immensum prope cor excrescit.

1) *De praecordior. morb. p.* 120.
2) *Observat. anat. n.* 8.
3) *Epist. anat. med. XVII. n.* 29.
4) *Hist. acad. Parisin. anni* 1716. *p.* 51.
5) *Comm. acad. Bonon. Vol. I. p.* 345.
6) HAENIUS ex eius vita *in Rat. med. P. IV. p.* 15.
7) *Epist. citat. n.* 17.
8) MORGAGNIUS *ibid. n.* 23.
9) *Comment. acad. Bonon. V. I. pag.* 402.
10) *Observ. chirurg. n.* 38.
11) MORGAGNIUS *Epist. XVIII. n.* 17.

12) *De aneurysm. praecord. morbis pug.* 120.

13) *Delle morti e malattie subitanee p.* 89.

§. CCXC.

Damna ab aneurysmatibus aliis remotis et solidis partibus illata. Rarae observationes anat:

I. Saccus arteriae magnae cum fractura claviculae et IV. costarum carie.

II. Aliud ingentis molis in dextra aortae parte ad thoracis usque latus dextrum et ultra sternum.

III. Item arcus aortae saccus comminuta 3. costa extra protuberans.

IV. Aliud arcus aortae cum duplici externo tumore.

V. Curvaturae arteriae magnae a medio thoracis ad inferiorem mandibulam.

VI. Aliud arcus

Interdum etiam *aneurysmata* ad varias dissitas regiones producuntur, ossa opposita diffringunt, cartilagines solvunt, omnia carie pessumdant. *Saccum aneurysmaticum haedinum caput* superantem ovalis figurae in dextro *arteriae magnae* latere, antequam haec commune principium subclaviae et carotidi dextrae praeberet, cum dextrae claviculae ruptura, carie et quatuor primarum costarum, qua diu cartilagineae esse solent, corruptione, describit MORGAGNIUS [1]), et ante eum VATERUS [2]), SCHREIBERUS [3]) et FLACKIUS [4]). *Aneurysma sacciforme* circumferentiam XXI. $\frac{1}{4}$ *pollicum rhenholland.* habens, X. $\frac{1}{4}$ latum altumque inter secundam et tertiam costam veram ex anteriore *dextra aortae* parte enatum, ac in dextro thoracis latere extrorsum protuberans sinistrorsum vero ultra sternum extensum, a clavicula duorum digitorum latitudine distans, inferius ad papillam usque dextram protensum, ac intus ad sinistrum usque cordis ventriculum expansum, sanguineque polyposo plenum (unde pulsus debiles et parvi in aegro fuerant) refertur ab EDUARDO SANDIFORTIO [5]). Aliud *sacciforme* in latere dextro *arcus aortae* post magnam vocis et corporis contentionem ortum, legitur in *Miscellaneis variae litteraturae* Lucae editis [6]); quod sic protuberabat dextrorsum, ut inter secundam et quartam costam, tertia penitus comminuta, ad ovi anserini magnitudinem erumperet. Nec dissimile fuit illud, quod ab *arcu aortae* inter secundam et tertiam costam, itemque inter tertiam et quartam sibi viam paraverat, duplicemque tumorem extrorsum attollebat, visum a MORANDIO [7]). Memoratu quoque dignum est, quod in curvatura magnae arteriae ab enormi quatuor dierum vomitu ortum iam prodidit in lucem LITTREUS [8]). Hoc media sui parte occupabat thoracem, superiore ad collum usque ferebatur, imo ad ipsam inferiorem mandibulam ascen-

debat. Cl. MORGAGNIUS narrat quoque in viro ludo pilae ligneae et vini largiori potui dedito anteriorem *arcus aortae* parietem in magnum se expandisse *aneurysma*, quod summum os sterni huicque insidentia clavicularum extrema et proximas costas partim absumserat, partim carie vitiaverat, et suprema ex parte sterni sub furunculi specie proruperat [9]). Ex gravissimo terrore *aneurysma aortae* in homine quinquagenario excitatum, et cum spirandi difficultate, febre, sinistri pulsus abolitione et cordis palpitatione coniunctum, tuberculumque supra sinistram claviculam ovo columbino magnitudine aequale exhibens, memoriae prodidit GUATTANIUS [10]). In dorso circa vertebras in patricio viro aortae *aneurysma* in tumorem protuberans ex VESALIO descripsit ALBERTINIUS. Exempla vero *aneurysmatum subclaviarum, carotidum, axillarium, bronchialis arteriae, aortae descendentis, coeliacae, splenicae, hepaticae aliarumque* videantur apud cel. viros VALSALVAM, MORGAGNIUM, NENCIUM, BEAUSSIERIUM, FANTONIUM, LEPROTTUM, HALLERUM, LANCISIUM, in historia Academiae Parisinae, apud BOUCHERUM, BANDERIUM, MATANIUM, TABARRANIUM aliosque non paucos.

aortae cum carie et consumptione ossium sterni, clavicularum et costarum.

VII. *Aortae supra claviculam sinistram exhibens tuberculum insigne.*

VIII. *Item aortae in tumorem protuberans circa vertebras dorsi. Reliquarum arteriarum aneurysmata.*

1) *Epist. anat. med. XVIII. n.* 25.

2) *Ephemerid. N. C. decad. III. n. IX. observ.* 162.

3) *Nov. Comment. acad. scientiar. Petropolit. T. III. physic. n.* 4.

4) *Ephemerid. nat. curios. cent. V. observ.* 74.

5) *Nova acta phys. med. N. C. T. IV. p.* 21.

6) *T. II. p.* 184.

7) *Mém. de l'acad. roy. de Paris ann.* 1707.

8) *Epist. anatom. medic. XXVI. n.* 9.

9) *De aneurysmat. intern.*

10) *Comm. instit. sc. et ar. Bonon. vol. I. p.* 402. *et seqq.*

§. CCXCI.

Venae demum intra praecordia varicibus patent, sed ex his imprimis vena *cava, pulmonaris*. Earum quoque exempla crebro occurrunt apud laudatos scriptores. Dilatationis in-

Varices venarum praecordiorum. Venae cavae exempla.

15 *

gentis *venae cavae* cum *corde maximo* et supra diaphragma prolapso meminerunt *Miscellanea N. C. Tom. V. decad. 1. observ. XL.*; item *venae cavae*, nec non *auriculae dextrae* amplioris, sanguinisque turgentis, in homine annorum LIV. subita morte extincto repertae LANCISIUS [1]), ut MORGAGNIUM, ALBERTINIUM aliosque plures praeteream. *Venam* porro *pulmonarem* dilatatam commemorat PARAEUS, [2] memorantque post eum alii quamplures. Hoc pariter vitio non vacat ipsa vena *azygos*. Eius enim truncum immaniter dilatatum ad palmi longitudinem, ut etiam post ruptionem, quae circa medium longitudinis contigit, venae cavae latitudinem simularet, invenit in phthisico HERACLITUS MANFREDIUS [3]). Sed notatu digna omnino est observatio PORTALII [4]), quae docet, in cadavere hypochondriaci, qui suppressis haemorrhoidibus in lentam febrem inciderat, et ea extinctus est, *venam portarum* adeo dilatatam, ut intestini faciem prae se ferret, cum hepate praegrandi et scirrhoso inventam esse [5]).

Venae pulmonaris.

Truncus Azygae immaniter dilatatus.

Venae portae dilatatio intestinum referens.

1) *De subitan. mort. observ. I. p.* 243. *et observ. IV. p.* 281.

2) *Oper. lib. VI. cap.* 32.

3) MORGAGN. *Epist. anat. m. XXVI. n.* 29.

4) *Histor. anat. med. T. I. p.* 125.

5) Vasa etiam breviora varicibus obnoxia sunt. Id patet ex observationibus, et ex illa potissimum, quam habet COLUMBUS *de re anatom. lib. XV. p.* 292. In Cardinali CIBO *vena*, quae a *liene* ad *os ventriculi tendit*, insignis magnitudinis erat, quae disrupta ventriculum et intestina sanguine replevit, et mortem intulit; licet dum viveret, vomitu et secessu aliquot sanguinis libras reiecerit. Huic sectioni adfuit BRASSAVOLA. *Ex sch. auct.*

Observatio COLUMBI anatomica.

§. CCXCII.

Causae utriusque vitii, tam aneurysmatici, quam varicosi.

Iam vero ad causarum recensionem, quibus haec vitia originem debent, veniamus. Harum itaque quaedam *cor ipsum*, vel *aliquas eius partes*, vel *venam cavam* et *pulmonarem*, vel *arteriam* eiusdem nominis dilatant; quaedam cum *cordi*, tum *aortae* in *aneurysma* diducendis aptissimae esse consueverunt. Ad primum genus pleraeque causae per-

tinent, quas *cordis palpitationem* inferre, supra (§§. CCXLII. CCXLIII. CCXLIV.) tradidimus. Imprimis videntur huc spectare, ut observationes anatomicae docuerunt, aortae angustia [1]) aut eius initium osseum, valvulae semilunares osseae, angustia pariter aut induratio arteriae pulmonaris, valvularum eius ad latera adpressio, tumores quicunque egressum sanguinis aliquomodo e corde impedientes, exterior cordis erosio, vomendi conatus repetiti et diu continuati. Nec desunt, qui aërem quoque in cordis thalamis evolutum et expansum his addiderint.

Primum genus causarum, quae dilatationem proxime inferunt.

1) *Aneurysma cordis* ab *angustia aortae* et *valvulis induratis* natum refertur a MECKELIO *Tom. VI. Mémoir. de l'academ. roy. de Berlin. A.* 1750; et a MORGAGNIO *epist. anat. med. XVIII. n.* 2. *et n.* 6.

Aneurysmata ex angustia aortae.

Novi et ego puellam annorum sedecim, quae *aneurysmate* ex *angustia aortae* laborans, usque a teneris unguiculis obnoxia fuit universi corporis tremoribus, magnis anxietatibus, palpitationi cordis, nec non pulsuum irregularitati. Tempore, quo eius menstrua fluebant, omnia symptomata augebantur, imo venae sectione vel purgantium usu ea increscere vidi. Demum syncope superveniens vitae finem imposuit. *Ex adversar. auct.*

§. CCXCIII.

Ad alterum genus referuntur nativa et acquisita fibrarum cordis aut arteriarum debilitas et laxitas, item nimia rigiditas [1]), motus vehementiores, insignes nisus conatusque thoracis, ut tubarum aut fistularum inflatio, ars cisiarii, rhedarii, baiuli, cursoris, saltatoris, cantus effusus, tussis valida et diu protracta, animi pathemata [2]) (praesertim ira diu violenterque compressa), moeror, terror subitus ac ingens, ictus [3]), lapsus, gestatio, vulnera, polypus, mercurialium remediorum usus [4]), interioris tunicae arteriarum exulceratio, aut exterioris consumptio [5]), sanguinis boni nimia copia, etsi haec raro per se sola sufficiat, cacochymia, hereditaria labes [6]), lues venerea, hypochondriacae, hystericae, rheumaticae, catarrhales, haemoptoicae, herpeticae affectiones, ac demum largior ciborum ac vini ingurgitatio. Hanc vero tanti facit LANCISIUS, ut ex centum

Causae secundi generis.

LANCISII opinio de fre-

quentiori causa proegumena. aneurysmatibus sponte natis quinquaginta saltem inde progenita ipse asseveret. Cor item mole auctum *aneurysmatibus arteriae pulmonaris* aut *aortae* causam praebet; quod validius sanguinem trudens in eas, alterutram, aut utramque urgeat, distrahat, divellat sensimque amplificet, necesse est.

HALLERI *opinio.* 1) *Aneurysmata* in *aorta* a *rigiditate hac* proficisci videntur, *quod in infantibus nunquam, in iunioribus rarissime, in senibus frequentissime hic morbus oriatur ex disrupta a sanguinis ictu exteriore tunica.* HALLER. *Opusc. patholog. observ. XX.*

ALBERTINII *doctrina.* 2) Ab huiusmodi principio celeber ALBERTINIUS causam deduxit, ob quam non infrequens in hominibus, rarum vero in brutis hoc vitium occurrat *(T. I. Comment. instit. scient. et art. Bononiens.).* Quod spectat ad hanc causam, scire licet ex ea, si pathemata subita, mixta et pugnantia ac vehementia sint, saepe quasi extemplo *aneurysmata* nasci; *vitia* vero *varicosa* ex simplicibus, diuturnis et gravibus animi curis plerumque lento passu suboriri.

3) Videantur exempla apud LANCISIUM *l. c. propos.* 21., SWIETENIUM *Comm. in* BOERHAAV. *aphor.* 176., VALCARENGHIUM *Observ. II.*, HAENIUM *Rat. med. P. IV. c.* 2., aliosque.

4) ALBERTINIUS *l. c.*

5) HALLER. *Prim. lin. n.* 34.

Observationes. 6) LANCISIUS *De aneurysmat. in gen. propos.* 47.; ALBERTIN. *lib. cit.* 65. Uterque observavit, *aneurysmatica vitia cordis* et *adnexarum partium* eadem omnino a proavo et parente in liberos perniciosa hereditate descendisse. *Ex sch. auct.*

Diagnosis.

§. CCXCIV.

Ardua et difficilis est. Singula haec vitia (§§. CCLXXXVIII. CCLXXXIX. CCXC. CCXCI.) variasque causas (§§. CCXCII. CCXCIII.), unde dimanarint, internoscere res sane complicatissima est. *Utilis methodus* ALBERTINII, *ut facilior fiat.* Ut vero minus difficultatis quaerenti indagantique occurrat, cum Cl. ALBERTINIO notandum est [1]), in praecordiorum vitiis, praeter alia signa mox afferenda, applicata ad thoracem, vel ad eum locum in quo morbus latitat manu, motum quendam insuetum vel cum pulsatione, vel sine ea percipi, vel etiam nullum. *Quaenam pulsatio* Plerumque motus, qui coniunctam

habet insolitam, diu durantem et cum vibratione ictuque micantem *pulsationem*, percipitur in simplici *dilatatione aneurysmatica* aut *cordis* totius, aut *auriculae*, aut *ventriculi sinistri*, aut *aortae*, aut *subclaviarum*, *carotidum*, *axillarium*, aut aliorum ab *aorta descendente* prodeuntium *arteriarum*.

aneurysmaticae dilatationis cordis aliarumque partium.

Qui vero sine eiusmodi pulsatione motus est, aut fere nullus ac insensibilis esse videtur, coniungi utplurimum solet cum *dilatationibus caudicis venae cavae*, aut *auriculae*, aut *ventriculi dextri* [2]) aut *arteriae* aut *venae pulmonaris*, aut *arteriae bronchialis*, aut *venarum subclaviarum iugulariumque*.

Quando minor aut valde insensibilis evadat.

Utilissima sane est clinico eiusmodi observatio motus vel praesentis, vel absentis in hisce morbis; quamquam ea non ita certa constantique lege innititur, ut pluribus de causis, dilatationum nimirum gradu, figura, magnitudine, situs varietate, complicatione, temporis aliarumque rerum ratione variari interdum quam maxime non possit.

Quandoque varietatibus obnoxiae huiusmodi leges sunt.

1) *Comment. instit. scient. et art. Bononiens. T. I. p.* 83. *De difficili respiration. vitiis.* Inter *opuscula.*

2) Laudatus ALBERTINIUS *dextri cordis ventriculi dilatationem* refert ad vitia, quae vocat ipse *varicosa:* quia *motum* inducit *fere insensibilem,* et quasi sine ulla pulsatione. At BURGGRAVIUS (*Act. academ. natur. cur. Vol. X. A.* 1754. edit. *Norimb. p.* 140. *et Vol. IV. p.* 684. *Comm. Lips.*) docet, *in dextri cordis ventriculi aneurysmate ictum cordis non omnem sub laeva papilla, sed sub sterno et in dextro etiam thoracis latere percipi.* Cuinam, quaeso, maior fides adhibenda? ALBERTINIUS solam experientiam consuluit, quae veracior est. BURGGRAVIUS vero videtur ad loci rationem respexisse. At *pulsatio* non a cordis aucta capacitate, verum ab eius *valida contractione* videtur repetenda. An haec maior in *dextro* cordis ventriculo dilatato? an *dexter* ventriculus *dextra* in parte residet, aut in posteriore? Non videtur. Fortasse itaque plus iusto verosimilitudini indulsit. Id etiam ex eo patet, quod ultro ipse fatetur, interdum *non ventriculum dextrum aneurysmaticum* inventum esse, ubi *dextrorsum pulsatio* percipiebatur, sed ipsum *aortae arcum dextrorsum distentum. Ex sched. auct.*

An haec ALBERTINII doctrina a BURGGRAVII exceptione infirmetur.

§. CCXCV.

At ubi pulsatio non valida admodum est, sed modica, aut longe minor, quam vitii magnitudo ferat, aut loci con-

Si pulsationis motus minus sensibilis sit,

quid a diligenti observatore praestandum.

ditio eam quodammodo minus sensibilem reddat manui, altius etiam digiti ad iugulum iuxta tracheae latera et sub claviculas adigendi sunt, eodemque tempore intentis oculis carotidum motus, aut venarum iugularium undulationes accurate lustrentur, idque pluries, ac imprimis a pastu, a motu, a scalarum ascensu iterandum, ut medici diligentiam non effugiat. Modica enim et longe minor pulsatio, imo interdum nulla est, ubi cor, licet aneurysmaticum, a basi ultra eius medietatem durius, ac quasi tendineum aut flaccidum nimis evaserit, vel ubi parietes dilatatae arteriae praeter modum crassiores redditi, aut oblongum et quasi fornicatum concreti et polyposi sanguinis aggerem intra se nacti, aut cartilaginea osseave intrinsecus tunica fuerint omnino obducti. Quod postremum ubi incidit, cognosci poterit, si pulsatio olim praecesserit, diu perstiterit, paulatim deinde elanguerit, et melius inde aeger habuerit. Quando vero sine hac causa pulsatio et pulsus obscuriores evadunt, tunc vires deficere, mortemque appropinquare perspicuum est.

Quaenam vitia cordis pulsationem obscuriorem aut minimam reddant quandoque.

Quando a pulsatione imminere mortem dignoscatur.

§. CCXCVI.

Quaedam alia praemittenda et consideranda, ut pulsatio aneurysmatica a reliquis pulsationibus eiusque differentiae et gradus distingui possint.

Praeterea sedulo inquirendum est, an motus manu perceptus a naturali recedat, nec ne, et quali quantoque recessu. An in propria cordis sede, an in vicinia videatur. An pulsans pars naturalem servet molem et magnitudinem, aut ampliorem exhibeat. Arduum enim est distinguere pulsationem cordis a pulsatione *aneurysmatis* prope cor positi, nisi haec omnia diligenti studio excutiantur. Si extra pectus morbi sedes fuerit, ubi costae impedimento manui esse non possunt, probe considerare oportet, num diameter arteriae aucta revera sit, quod facile anatomes peritus perspiciet, an vero secundum naturam. Si enim aorta aut coeliaca valide et crebro pulset, idque fiat sine ullo eius diametri augmento, indicium erit, *aneurysma* abesse.

§. CCXCVII.

Signa, quae in praeceden-

His (§§. CCXCIV. CCXCV. CCXCVI.) accuratissime

indagatis observatisque vel signa alterutrum vitii genus indicantia inveniuntur, vel nulla. Si aliqua, confirmari, si nulla, suppleri possunt aliis, quae aliunde petuntur, nimirum e respirationis laesione, e pulsu, e sensu aliquo aut ponderis, aut cuiusdam constrictionis, aut levis doloris regionem cordis subinde infestante (praesertim si cordis inordinatus motus praecesserit, aut una concurrerit), e decubitu et somno in utrovis latere, potissimum sinistro, non facili, e somni, imprimis inter eius initia, interruptione et levi aliquando se movendi necessitate. Respiratio autem morbo incipiente, vel paulo post eius initium non laeditur nisi post motum concitatiorem, aut modice tantum laeditur, ac inter somnum plerumque primum aliquam permutandi lateris aut residendi necessitatem inducit; invalescente vero, respirationis laesio et ipsa increscit, imo saepius leviorive ex causa aggreditur. *Aneurysmata* enim sive cordis, sive aortae, aut alterius cuiusque arteriae intra thoracem pulmones mole comprimunt, sanguinis per eos motum pervertunt, et saepe diaphragma ipsum praegravant, sicque respirationis liberae actioni officiunt [1]). Aortae quoque, ubi sinistrum bronchiorum ramum amplectitur, aneurysmatica dilatatio sic ramum illum, qui etiam natura angustior est, comprimit, ut per eum inspiratio fieri nequeat [2]). Pulsus ipse pluribus modis a naturali aegrotantis habitudine deflectens magnitudine, vel parvitate, tensione, vel mollitie, vel vibratione, vel frequentia, vel inaequalitate, vel intermissione, vel alia quacunque ratione, si cum constantia talis fit, sive in utroque carpo, sive in alterutro (ut saepe solet), poterit diagnoseos obscuritati non parum lucis afferre, dummodo ad ea animus advertatur, quae *de asphyxia, pulsu exili et parvo* atque *intermittente* proposita sunt (*cap. VIII. huius de morbis pectoris volum.*). Non tamen omnis motus cordis inconditus, aut pulsus et respirationis laesio statim vitia praecordiorum significat, ut alibi saepius praeceptum est. Id satis evincunt affectiones hypochondriacae et hystericae, chlorosis; naturalis amplioris cordis vis,

tium subsidium peti possunt. Unde petenda.

Respirationis laesio pro variis morbi stadiis.

Qui respiratio ab his vitiis laedatur.

Quae signa a pulsu petenda.

Animadversiones circa haec, i. e. motum et pulsationem cordis, respirationem

et pulsum, ad errorem in diagnosi vitandum.

aut pectoris angustior capacitas, aut utraque simul iuncta, aut fervida aetas ac temperies, aut pulsus ab ipsa natura inaequalis, vel intermittens, praesertim in pueris, in senibus, in podagra confirmata affectis, aut podagra imminente, in quibus si febris superveniat, naturalis evadere solet; sicut a naturali in febribus mali moris absque ullo organico vitio in intermittentem deflectit.

1) Morgagnius *epist. A. M. XVII. n. I.*

2) Portalius *Mém. de l'acad. roy. a* 1769.

§. CCXCVIII.

Signa nascentis, vel iam nati in praecordiis vitii.

Haec signa (§. CCXCVII.) cum vel omnia, vel plura concurrant, cum diu constanterque perseverent, et sine alio manifesto pectoris morbo sint, nos de vitiis nascentibus, vel iam natis praecordiorum monere possunt, eoque magis, si dolor quasi rheumaticus, inter initia praesertim, ad superas thoracis partes, ad humeros, ac ab his ad medietatem usque unius, vel alterius brachii, vel utriusque persentiatur, et maxime ad omoplatas, et si demum causae recensitae iam (§. CCXCIII.) non defuerint.

Signa ingravescentis morbi.

Ingravescentibus porro eiusmodi vitiis, labefactata sanguinis crasi et distributione, non raro ob difficilem orthopnoicamque respirationem, quae demum accedit, vasa pulmonum alicubi turgescunt, distenduntur, imo etiam lacerantur, rumpuntur, aut erosa dehiscunt, unde saepe in aliis sanguis per sputum prodeat, in aliis lympha et serum; hinc tussis, congestiones, dolores pleuritici, peripneumoniae superveniunt.

Quaenam superveniant, vel praecedant.

His saepe succedit, quin imo interdum praecedit ex retardato venosi sanguinis refluxu, aut dissilientibus vasis lymphaticis, aut uberiore per vasa exhalantia effusa humoris copia, quam recipi per absorbentia possit, hydrops pericardii, thoracis, abdominis, atque ex similibus causis sopor perpetuus, mentis obtenebratio, apoplectici affectus, hepatis obstructio, oedemata.

§. CCIC.

Atque haec de communibus *aneurysmatum* signis. Nunc ad cuiusque propria concedimus. *Cor* itaque utroque thalamo *aneurysmaticum* si fuerit, his notis distinguitur. Manu sinistrae mamillae admota cordis ictus non ibi tantum percipitur, sed sub sterno et ad latera extenditur latius, quam cordis naturalis magnitudo postulat, ac ita pulsationes eius confunduntur, ut fere ad numeros redigi nequeant. Imo id evenit, quod eveniret, si toto pectore, nimirum superne ad iugulum usque, inferne ad scrobiculum cordis, ac ad latera etiam demissiora plura quasi corda simul et sine ordine subsilirent, et quidem plus minus vehementer pro varia aneurysmatis magnitudine. Ad quemcunque corporis motum mox gravior anhelatio et molestior cordis palpitatio praesto est [1]). Praeterea aegri in sinistro thoracis latere, in quo dolor vel pondus esse solet, non possunt decumbere, subinde pectoris oppressionibus, anxietatibus, orthopnoeis [2]) animique deliquiis, licet levibus corripiuntur. Interdum commodius et spiritum ducunt, et cibos deglutiunt, corpore ad anteriora incurvato [3]). Pulsus vero plerumque magnus, durus, vehemens, vibratus, ac ab initio rarus, deinde durus item, sed celerior ac inaequalior est [4]). Interdum tamen naturalis [5]) est, quin etiam parvus, exilis, intermittens; sed tunc extenuatio etiam cordis parietum, aut nimia flacciditas, aut aliud vitii genus, aut nerveae vis cum his imminutio coniungitur. Saepe quoque accidit, ut cor *aneurysmaticum* deorsum procidat, diaphragma ventriculumque inferiora versus detrudat, difficilesque circa stomachi regionem molestias procreet. Tunc cor prolabi dicitur, et *pulsatio* cordis in hypochondrio, imprimis sinistro, vel epigastrio sic persentitur, ut saepe pro *coeliacae* pulsatione habeatur [6]).

Signa peculiaria cuiusque vitii aneurysmatici praecordiorum.

Utriusque cordis ventriculi aneurysmatum notae.

Pulsatio.

Respirationis ratio.

Item pulsus ratio.

Prolapsus cordis ita inferius accidit, ut pro coeliaca pulsante sumatur.

1) Burggravius *in act. acad. N. C. vol. X. ann.* 1754. *ed. Norimb.*

2) Morgagnius *Epist. A. M. XVII. n.* 6. 7. 8. 9.

3) *Idem epist. XVIII. n.* 18. 19.

4) *Id. epist. XVII. n.* 7.
5) *Id. ibid. n.* 8. 9.
6) *Id. ibid. n.* 17. *et* 28., *epistola item XV. n.* 53.

§. CCC.

Notae aneurysmatum aortae.

Aortae vero *aneurysmata* si intra thoracem sita sint, vel sursum, vel dextrorsum, vel sinistrorsum procul a cordis sede plerumque pulsationibus se produnt; interdum etiam in iugulo et temporibus, in dorso eorum pulsationes sunt manifestae. Spirandi quoque difficultas motu ingravescit, pulsus durus, rarus potius et vibratus, non intermittens, nec inaequalis (nisi cum aliis vitiis copulentur), interdum parvus et debilis, et facilis in utrumque latus decubitus esse consueverunt [1]).

Signa adulti morbi graviora.

Saepe ubi adoleverint et tracheam, et bronchia, et praecipue oesophagum comprimunt, unde et suffocatio, et pluribus in locis aliquod deglutiendi impedimentum supervenit [2]), praesertim resupinato corpore.

Dolores, qui ab aegris falso flatibus tribuuntur.

Non raro dolores in eo latere diuturni et gravantes divexant, qui a flatibus erumpentibus levantur. Hinc aegri flatibus se torqueri ac laborare credunt. Sed malum minime a flatibus est. *Aneurysma* potius oesophagi compressione sive flatus in ventriculo coërcendo, sive spasmum excitando sibi novam adiungit molestiam; emissis vero flatibus, vel laxato spasmo tandem omnia mitescunt [3]).

Cur etiam morbus aliquando convulsivus videatur aegrotanti.

Interdum etiam aura quaedam ascendens ab aegris percipitur; quare putant morbum esse *convulsivum.* Sed haec opinio plerumque refellitur aliis signis, et potissimum anteriora versus residendi [4]) necessitate.

1) Morgagnius *epist. XVII. n.* 17. *et* 21.
2) *Idem n.* 25. *et* 26. *Epist. item. XVIII. n.* 22.
3) *Idem epist. XVII. n.* 14. 15. 16.
4) *Id. epist. XVIII. n.* 18.

§. CCCI.

Aneurysmatum varia diagnosis

Prout ergo vel plura, vel pauca, vel unum, vel alterum ex his (§. CCXCV. *usque ad* CCC.) antecedunt, co-

mitantur et subsequuntur aliquod praecordiorum vitium aneurysmaticum, certior, vel incertior, vel etiam dubia erit eiusdem diagnosis. Obscurissima quoque est, ubi cordis motus, ut interdum usu venit, fere perpetuo variatur, et laesio organica etiam extra cor, ut in partibus prope ipsum positis, reperitur, ac demum ubi plura vitiorum genera variaque ratione complicantur, sic ut propria cuiusque signa discerni nequeant, nisi post cadaveris sectionem institutam. Qua in re summo mentis acumine et recta rerum omnium consideratione, si unquam, opus est.

pro varietate indicationum.

Quae obscurissima est.

Monitio.

§. CCCII.

Diametri *arteriae* consideratio, ubi *pulsatio aneurysmatis* suspicionem movet, ubique necessaria admodum est, sed imprimis ubi arteriae manibus magis patent, uti sunt etiam eae, quae in imo ventre locantur. Hac enim sola observatione *aneurysma* a reliquis arteriarum vitiis feliciter distinguebat, quin unquam falleretur, expertissimus ALBERTINIUS. Cum itaque *sola pulsatio arteriarum* non statim pro *aneurysmatis* signo haberi possit, cavendum est, ne de hoc etiam incipiente suspicemur, quoties in imo ventre magna pulsatio persentiatur. Multa enim in causa esse possunt. Imprimis macies summa potest *aortae descendentis* eiusque ramorum pulsationes reddere manifestiores. (Exempla vide apud BERENGARIUM [1]) MARTIANUM [2]) aliosque). Item plenitudo nimia, compressio arteriarum, phlegmonodes tumor aut scirrhosus, aut quicunque alius in pancreate, mesenterio, aut alibi situs arterias comprimens, obstructiones, spasmi, irritationes varii generis. Huc pertinent *aneurysmata spuria* LANCISII, quae in sola vehementiori arteriarum pulsatione sine earum dilatatione continentur. MARGGRAFFIUS [3]) vidit *pulsationem* ab umbilico ad cordis usque scrobiculum pertinentem et tantam, ut saepe ab adstantibus audiri posset, quae triginta et quatuor annos perduravit. Cumque suspicaretur, non ab *legitimo* arteriae in mesenterio insignis *aneurysmate*, quia diametro vix paulo amplifi-

In suspicione aneurysmatis arteriae diametri consideratio necessaria.

Sola arteriarum magna pulsatio fallax signum.

Plures causae pulsationis sunt, quin adsit aneurysma.

Exempla.

Aneurysmata spuria LANCISII *sine dilatatione arteriae et cum eius pulsatione vehementiori.*

Observatio MARGGRAFFII *de pulsatione arteriae mesenterii sine aneurysmatis vitio.*

cata videretur, eam oriri posse, sed ab *spurio* (quod vocabat LANCISIUS), idque ob diuturnitatem aestimaret insanabile; datis tandem post innumera incassum ab aliis adhibita remedia nonnullis, quae humorum saltem cruditatem corrigerent, praeter omnem spem *pulsatio* haec intra non longum tempus felicissime sublata fuit [4]). TABARRANIUS [5]) sub regione epigastrica non modo *pulsationem*, sed etiam tumorem pugni magnitudine deprehendit, eamque cum ceteris *aneurysmatis legitimi* signis coniunctam. Sed eius loco scirrhosum ad mesenterii centrum tumorem sectione cadaveris detexit, qui *aortam* comprimebat, eiusque pulsationibus attollebatur. Miram habet observationem MORGAGNIUS de sutore consistentis aetatis, magno vini potatore, qui signa omnia *aneurysmatis aortae* intra pectus, et praeterea *manifestissimam omnium* a capite ad calcem *pulsationem* ostendebat; in cuius tamen cadavere nullibi inventa est arteriarum dilatatio aut interior earum conspicua labes [6]).

Alia TABARRANII *maximae pulsationis aortae in epigastrio a scirrho non ab aneurysmate genitae. Tertia* MORGAGNII *patentissimae pulsationis aortae intra pectus absque ulla dilatatione aut laesione eiusdem.*

1) *Comment. IX. super anatom.* MUNDINII.
2) *VII. Epid. n.* 3.
3) *Act. N. C. T. VI. observ.* 131.
4) MORGAGN. *epist. XXXIX. n.* 20.
5) *Observ. anat. ed.* 2. *n.* IX.
6) *Epist. anat. med. XXIV. n.* 34.

§. CCIII.

DIAGNOSIS *vitiorum* GENERIS VARICOSI *aeque difficilis est.*

Difficilis quoque *diagnosis* videtur *vitiorum*, quae ad *varicosum* genus spectant. Aegre enim cognoscuntur ea, quae motum edunt pulsationis expertem, vel admodum levem ac obscurum; aegrius quae eundem non tantum obscurum, sed etiam profundum et confusum; aegerrime demum quae nullum, aut vix ullum eius vestigium exhibent. Quorum in numero sunt vitia, quae intra pericardium suborta ab ipsomet pericardio vel magnopere crasso, vel cordi arcte adhaerente sic coërcentur, ut eorum motus a nobis minime percipiatur. *Dilatatio caudicis venae cavae* ac *dextrae cordis auriculae*, aut *omnium dextrorum eius cavorum*, no-

Quaenam impedire queant, ut pulsationis motus percipiatur. In quibusdam varicosis vitiis pul-

tantibus LANCISIO [1]) ac ALBERTINIO [2]) nec repugnante MORGAGNIO [3]) pulsum habet plerumque magnum atque aequalem. Interdum tamen etiam inaequalem fuisse, docent observationes [4]); imo *varicosum* vitium nonnulli docent a pulsu parvo ac minime vibrato designari. Sed praeterea in ea cordis angustiae ac oppressiones animique defectiones aegrum excruciant, quae nonnunquam in syncopen cardiacam desinunt. Multa autem in causa sunt, cur haec plurimum varient, pericardii nimirum firma cum corde cohaesio, organica alia vitia coniuncta diversa et morbida partium, quae praecordiis insident, proportio, vis cordis sive naturalis, sive praeter naturam adscita, morbus ipse prout simplex aut complicatus, recens aut vetus, atque id genus alia.

sus plerumque aequalis. Interdum inaequalis, parvus etiam, nec vibratus. Deliquia et syncope. Cur haec signa varient plerumque.

ALBERTINIUS [5]) in cadavere hominis, qui ex paulo citatiore ambulatione statim cordis oppressionibus animique deliquiis cum pulsu deficiente corripi consueverat, invenit *osseas concretiones sinum falcatum occupantes*, ac *auriculam cordis dextram*, quae frequenter dilatationi obnoxia est, *sic dilatatam*, ut *membranea* potius quam muscularis appareret. Alios quoque vidit, qui adultiore iam morbo, quasi praeter eius morem nec e lecto surgere, nec in eodem residere poterant, quin cordis spiritusque oppressionibus, ac animi defectu tentarentur, ideoque perpetuo fere decumbere cogebantur.

Observationes ALBERTINII.

Similia prostant exempla apud MORGAGNIUM, ac imprimis notatu digna sunt duo, quorum alterum [6]) *dextram auriculam in ingens marsupium dilatatam* cum *aucta cordis mole* exhibet, qua postremis vitae diebus *orthopnoea* talis inducta fuit, ut aeger ne conqueri quidem de pectoris oppressione posset, dum interea eius pulsus *iuxta naturalem rhythmum* se haberent; alterum vero [7]), in quo *auriculam dextram summopere dilatatam orthopnoea, pulsus durus, celer, parvus, hydrops pectoris, pericardii abdominisque* subsecutus est.

Aliae ex MORGAGNIO.

1) *De aneurysm. lib. I.*
2) *L. c. p.* 390.
3) *Epist. anat. med. XVIII. n.* 11.

4) Morgagnius *ibid.*

5) *L. c.*

6) Morgagn. *epist. XVII. n.* 8. 9.

7) *Ibid. p.* 10.

§. CCCIV.

Signum pathognomonicum dilatationis auriculae et ventriculi dextri ex Lancisio. *Fluctuatio vel palpitatio iugularium est signum, quod cum aliis morbis ac vitiis coniungitur.*

Lancisius tamquam signum *auriculae* et *ventriculi dextri* praeter naturam *dilatati pathognomonicum* proponit *venarum iugularium* sive *pulsationem*, sive *fluctuationem*. Ex dilatatione enim auriculae ac ventriculi cordis dextri sequi docet, ut orificium quoque utrique interiectum, quod valvulis tricuspidalibus munitum est; ita dilatetur, ut, his diductis et necessario hiantibus, sanguinis portio a ventriculi constrictione per rimas earum in venam cavam repellatur; unde *venarum iugularium conspicua dilatatio*, et mox, eodem ventriculo relaxato, par constrictio alterne contingant, quae a minus cautis ac attentis pro carotidum dilatatione et constrictione haberi possint. Sed meminisse oportet, hoc signum interdum cum sola *chlorosi* coniungi, cum *graviditate*, cum *valvulis triangularibus non diductis*, sed tantum a sanguine in validiori cordis systole (qualis est palpitatione laborantibus) extrorsum propulsis, concussionesque in sanguinem venarum transferentibus [1]), cum minori quam par sit ventriculi sinistri capacitate, aut quocunque alio obstaculo sanguinis e corde egressui opposito effectumque suum ad dextra cordis cava exserente, et demum cum aliqua triangularium valvularum, si non omnibus, strigosa aut inflexili facta, aut cum chordulis earum erosis, aut laxatis, unde orificium, cui dicantur, aut non satis occludant, aut si occludant, extrorsum tamen urgeri invertique possint, et retrogradum motum in venosum sanguinem imprimere [2]).

1) Homberg. *Mémoir. de l'académ. des scienc. ann.* 1704. Ex hac causa vidit Hombergius *palpitationem* non solum *iugularium*, verum etiam *venarum brachii.*

2) Morgagn. *Epist. XVIII. n.* 9. 10.

§. CCCV.

§. CCCV.

Ratio recte utendi huiusmodi signo, ne cum aliis turgentiis et palpitationibus confundatur.

Quare ut recte signo hoc uti possimus, videndum primo est, ne forte pro *pulsatione venarum iugularium alterna* tantum quaedam earum turgentia accipiatur, quae validae inspirationi et exspirationi succedit [1]), aut tremulus ille motus, quem proximae carotides vibrationibus suis interdum excitant. Deinde quaerendum est, an iugularium palpitatio et concussio cum cordis angore, palpitatione, animi defectionibus, pulsu magno atque inaequali aliisque huiusmodi vitiorum signis (§. CCCIII) coniungatur. Tunc enim dextrorum cordis cavorum dilatationem signum hoc poterit indicare. Secus nequaquam. Cum vero venae iugulares subsilire ac pulsare vel vitio auriculae dextrae, vel vitio dextri ventriculi possint, MORGAGNIUS modum tradit, quo utrumque distinguas. *A ventriculi dextri*, inquit, *contractione illas micare intelliges, si obtutu in his fixo, simul digitis arteriae aut temporum, aut carpi admotis, evidenter cernas eodem temporis puncto venas se attollere, quo senties arteriam pulsare; contra evenit*, si non ab huius, sed a *contractione auriculae dextrae subsiliant* [2]).

Modus cognoscendi a pulsatione iugularium, num vitium sit in ventriculo dextro aut in dextra cordis auricula.

1) VALSALVA iugulares in inspiratione subsidere, attolli exspiratione, MORGAGNIUS vero contrarium vidit, id est turgere in inspiratione, subsidere in exspiratione. *Epist. XIX. num.* 33.

2) *Epist. anat. med. XVIII. n.* 12.

P r o g n o s i s.

§. CCCVI.

Haec vitia carent remedio.

Exitiosa magis iuvenibus et robustioribus, quam senili et imbecillae aetati.

Aneurysmatica et *varicosa* vitia discriminis plenissima et gravissima sunt, imprimis si adoleverint, aut alia insuper mala sibi adiunxerint. Nondum enim his medicina est inventa. Universim iuniores et robustiores homines, si his vitiis corripiantur, celerius pereunt; aetate vero provecti aut corpore imbecilli diutius eorum vim sustinent, item mulieres, quam viri. Coenobitae et moniales saepe hisce mor-

Qui eis obnoxii prae caeteris sint. Hereditarius morbus interdum est. Vel repentinam, vel mortem lentam afferunt. An aeger semper pereat statim post ruptionem.

bis conflictantur, et diu etiam eos ferunt. Interdum malum ex hereditaria nativaque constitutione a proavo, ab avo ac patre in filios transfunditur. Quinque fratres ex his vitiis sublatos, alios repentina, alios lenta morte abreptos narrat ALBERTINIUS. Qui subito moriuntur, aut ex syncope, aut ex ruptis repente *aneurysmate* aut *varice* pereunt. Interdum si ruptio non statim magna sit, sed lente sanguis ex angusto hiatu effluat, aegri a ruptione per aliquot horas supersunt, nec nisi sensim extinguuntur. Interdum etiam sine ruptione asphyxia sive pulsuum abolitione correpti per aliquot adhuc dies vitam trahunt. Initio tamen leniri certe, si non amoveri possunt huiusmodi morbi,

Quomodo vel quando leniri coërcerive morbus contingat.

spesque aliqua superest differendae mortis. Imo si nascentes, atque ex occulto, ut solent, insidias agentes dignosci possint, possent etiam ex parte reprimi et coërceri, ne adeo celeriter increscerent, atque ad peiora contenderent.

Curatio.

§. CCCVII.

Curatio generalis.

Eo spectet curatio, ut sanguinis nisus in vasa imminuatur, horum vero renisus augeatur, universa humorum massa, si quo vitio laboret, emendetur, depravata organorum structura reparetur, et quidquid alicubi praeter naturae ordinem aut concreverit, aut confluxerit, aut haeserit, ad pristinam rectaeque oeconomiae rationem redigatur. Sed

Cautio adhibenda.

danda est opera, ne dum vim liquorum in vasa incurrentium retundere, aut vasorum in liquores reagentium intendere volumus, modus minime excedatur, sed tantum, quantum opus est, solummodo efficiatur; quod sane difficillimum esse fatemur. Initium itaque curationis esto a tenuissimo, blando

Quale curationis initium. Praestantia V. sectionis ex LOPESII observatione.

temperanti victu, quiete summa tum corporis, tum animi, potu aqueo et sanguinis missione. Quantum sanguinis missioni tribuendum sit, vel una declaret observatio GARZIAE a LOPESIO. Is enim in homine, cui arteria loco venae per-

tusa fuerat, sinuit sanguinem effluere, donec syncope accederet, tuncque, vasis magna ex parte exhaustis, splenium vulneri apposuit, et brevi illud coaluit, quin ullum insequeretur *aneurysma*. Sanguinis autem missio aetati, temperamento, habitui, viribus, regioni, tempestati aliisque circumstantibus rebus aptetur, repetaturque, quoties videatur e re futurum. Generatim tamen incipienti morbo, nec valde provecto, nimirum nondum *statum* praetergresso, utilis ea est. Nocet autem provectiori ac ultra *statum* [1]) constituto. Praestantissimum quoque auxilium ea praestat in gravioribus respirationis angustiis et cordis oppressionibus, praesertim si sputa sanguine tincta aut meri sanguinis superveniant; sed parca et prudenti manu adhibenda est, ut eidem iterandae locus, qui saepe recurrere solet, non desit, nec sub eadem aeger viribus deficiat. Vere item ac autumno utilissime ad symptomata atque incrementum morbi praecavendum adhiberi consuevit. Nec ab ea deterreat aliquis partium extremarum tumor. Nam saepe post eductum sanguinem, restituto liberiore sanguinis circuitu, ille ut effectus depravatae in organis mechanices dissipari consuevit [2]).

Generales regulae circa sanguinis missionem observandae.

Ab hoc vero praesidii genere nos fere abducat subtumida facies, cachecticus habitus, venerea aut scorbutica cacochymia, quae proximum in hydropem aut anasarca transitum praenunciant. Desistere etiam ab ea oportet, quando soli tum amplius non affert solatium. Cavendum item est, ut monet MORGAGNIUS [3]), ne invito aegro aut admodum repugnante sanguinem mittamus. Accidit enim interdum, ut sub ipsam sanguinis missionem, aut paulo post rumpatur aneurysma, atque aeger pereat. Quod fortasse ab aucta sanguinis velocitate, quae eiusdem detractione concitari solet, repetendum videtur.

Quando ab ea abstinendum.

1) ALBERTINIUS *l. c. p.* 394.

2) MORGAGN. *epist. med. XVII. n.* 31. 32.

3) *Id. ibid.*

§. CCCVIII.

Cathartica noxia

Noxium porro est alvum ducere validioribus medicamentis. Compertum est enim, improvido consilio nonnullos pharmaco cathartico sumto sub ipsam alvi ductionem, aut paulo post ipsam interiisse. Innocua sunt lenientia alvum et enemata, ubi res expostulare videtur. Imo solis clysmatibus ex urina pueri, sale prunellae, vel nitro stibiato, aut terebinthina vitello ovi soluta, aut melle rosato solutivo paratis uti expedit, quando respirationis difficultas et partium externarum tumor increscunt. Interdum etiam lenissima ac anodyna in alvum iniecta spasmodicae ventris affectiones exposcunt.

Innocua alvum ducentia quae. Clysmata.

Anodyna iniicienda

§. CCCIX.

Diuretica acriora arcenda.

Acriora item diuretica cautissime in usum veniant, cum experientia demonstraverit, motum sanguinis ab his nimium concitari, aut dolores nephriticos induci, aut hydropicum tumorem sic interdum augeri, ut respiratio paene supprimatur, aut licet aegri inter initia copiosiore urina emissa levari videantur, subita tamen, vel non tarda saltem virium exsolutione non raro eos confici, ac e medio praeter omnium exspectationem repente tolli. Mitissima ac fere innoxia habentur syrupus terebinthinae, imprimis si ex saccharo rosato aut cydonite fuerit confectus, millepedum infusio vel pulvis, nitrum, liquor terrae foliatae tartari, quae praesertim in pectoris anxietate cum aucto partium oedematoso tumore opportunissima fiunt. Tunc etiam oxymel scilliticum, mel hispanicum, sal volatile succini vel eius essentia locum obtinent. Sed ALBERTINIUS prae reliquis commendabat succum plantaginis tum recens expressum, tum ad dimidium excoctum, eumque vel merum, vel mixtum cum pulvere operculorum cochlearum propinabat. Sic quoque calidiora omnia ac concitantia remedia procul absint. Item quae corroborante ac vulneraria, ut vocant, facultate pollent, mitioris naturae sint oportet, atque imprimis ex eo genere, quod sanguinem blande fluidum servat, si crassitie

Mitiora proponuntur.

Succus plantaginis cum operculorum cochlearum pulvere.

Calidiora et concitantia arceantur. Roborantia quae

peccare videatur, aut, si tenuitate, debitam ei crasim restituunt. Saepe enim alterutrum vitium in hisce morbis, nempe vel nimius lentor, vel nimius fluor esse consuevit.

§. CCCX.

Ex alterantium itaque classe ea seligantur, quae causis morbi atque indicationibus, quas supra posuimus, faciant satis. Generatim cichoreum, taraxacum, fumaria, acetosa egregie temperant ac refrigerant, praesertim ex lactis sero decocta. Si simul adstringendum aliquantulum sit, aut simul blande serosa colluvies per urinas educenda, consolida, plantago, agrimonia, hedera terrestris, hypericon, hisque similes plantae adiici possunt. Quibus vero lactis serum sive vaccinum sit, sive caprillum, aut decocta ex vegetabilibus modo propositis non bene cedunt, sufficiunt interdum iura ex cancris fluviatilibus et carne ranarum palustrium, quibus sub finem incocti leviter fuerint flores aut hyperici aut hederae terrestris. His porro pro varia complicatorum morborum ratione modo antivenerea, modo antiscorbutica, modo absorbentia, uti coralliorum aut osteocollae pulvis, modo nervina atque antispasmodica adiiciuntur. Excipi autem commodissime solent vel cydonite, vel conserva rosarum rubrarum, vel extracto hyperici, aliove apto ac idoneo medicaminum genere. Nonnunquam additur *tinctura martis* succo pomorum dulcium elicita, aut scobis ferri in pollen super porphyritim attenuata, aut alia, prout corporis habitus, liquorum diathesis, hypochondriorum affectiones, oedemata, syphilis etc. peculiarem exposcunt animadversionem.

Alterantia ex sero lactis decocta.

Adstringentia addenda quae.

Iura cancrorum et ranarum.

Varia adiicienda in fine pro varietate complicationum.

Additio interdum fit vel tincturae martis, vel scobis ferri attenuatae.

§. CCCXI.

In summis respirandi difficultatibus (quae saepe quasi periodice recurrunt, aut saltem vehementius subinde aggrediuntur), cum non semper liceat sanguinem mittere (§. CCCVII.), ad alia praesidia, quae spiritum faciliorem reddant, est confugiendum. In his volatilia naribus admota excellunt, ut spiritus melissae, sanguinis humani, salis am-

Recurrens morbus est.

Volatilia quae et quando.

moniaci, acetum vini; quinimo aliquid etiam eorum intrinsecus dari potest, ut guttae aliquot spiritus salis ammoniaci, aut fuliginis, aut liquoris cornu cervi succinati aqua hyssopi aut capillorum veneris exceptae. Oleum quoque ex amygdalis dulcibus recentissime expressum, aut commune ex olivis eductum utilissime propinari solet tam cochleatim, quam ad aliquot uncias uno haustu. Quod si alvus etiam ducenda sit, ut liberior respiratio fiat, amygdalis, antequam oleum exprimatur, adiiciatur pulveris rhabarbari tantillum. Sed reliquis palmam fere praeripiunt fricationes artuum, aut eorum in calidam immersiones [1]). Quocunque enim modo sanguis in arteriis, atque adeo in ipso *aneurysmate* consistat congeraturque, anxietates summae, quae inde excitantur, illico cessant, reliquis partibus per aquam calidam laxatis. Hinc brachia, manus, pedes in eam demersi, vel linteolis aqua calenti madidis involuti paroxysmum et praecavent, et praesentem solvunt. Id etiam opportunum est, ubi brachium sinistrum, quod saepe evenit, dolore aut torpore afficiatur. Dum autem artus sic aqua calida foventur, si simul eorum fricatio accesserit, promptior revulsio aliqua fit, et si qua convulsio copuletur, resolvitur. Imo solae frictiones (etiam siccae) tremores, spasmos et iactationes sopiunt, somnumque accersunt, ut non semel vidimus. Interdum aqua etiam frigida in pectus nudum proiecta solamen attulisse visa est [2]). In orthopnoeis tussique vehementiori, quae subinde excitantur, sputum sanguinis erumpit, nec semper vena ad illud sistendum secari potest, nec secta semper sufficit. Sistendo itaque aut praecavendo huiusmodi sputo quies, abstinentia, potus demulcens imperandus est. Succus etiam concretus hederae terrestris cum terra catechu non una vice profuit.

Oleosa.

Quando rhabarbarum oleo adiiciendum.

Fricationes artuum eorumque in calida immersiones. Quid in paroxysmo et torpore aut dolore sinistri brachii conveniens sit.

Frigida in nudum pectus iniicienda.

Quid sputo sanguinis opponendum, si V. S. locum non obtinet.

1) Albertinius *l. c.*, Morgagnius *Epist. XVII. n.* 27. et Senacius *Traité du coeur etc. Tom. IV.*

2) Albertin. *l. c.*

§. CCCXII.

Sed maxima curationis aut prophylaxeos pars in diaetetico regimine sita est. Loco vini, quod exulare debet, nisi stomachus, vires aliaque exigant, datur potui aqua simplex vel ignito chalybe alterata, vel ex ligno lentisco, aut cotoneo, aut hordeo decocta, additis, si videatur, passulis dulcibus. Alimenta sint et parca, et levissima, et quae viribus sustinendis tantum sufficiant. Pulmenta ex hordeo contrito aut oryza in lacte vaccino aut iure cocta bis vel ter in die sumta sine alio cibo interdum profuerunt. Lactea vero diaeta post unam vel alteram sanguinis missionem instituta, et ad XXX. aut XL. dies protracta cum perpetuo in lecto decubitu ex VALSALVAE ac ALBERTINII testimonio plurimum visa est aliquoties profuisse. Vesperi somnus ac quies emulsionibus, diacodion, imo etiam laudano, ubi valentius agere expediat (uti in doloribus et spasmis opus est), concilietur. Doloribus vero ob subclaviarum distentionem urgentibus remedia opium habentia uti spasmos compescentia dentur. Praefertur illud opii genus, quod *laudani liquidi* IO. BAPT. HELMONTII nomine venit, daturque sub vesperam *ad guttas XII. vel XV. in aqua distillata ex succo lactucae* hausta [1]). Omnes denique remotae causae evitentur.

Prophylaxis.

Potus ratio.

Alimenta quae.

Diaeta lactea cum decubitu in lecto.

Quieti somnoque conciliandis, et dolori leniendo quid conferat.

Causae remotae vitandae.

1) MICHELOTTUS *in opusc. vol. I. comment. institut. sc. et art. Bononiens.*

N O T A.

Fortasse plura in dissertatione De aneurysmaticis praecordiorum vitiis, *quam* anno 1777. Ticini *editam, atque in* theses *distributam propugnavit cl. auctoris tunc auditor et discipulus, immaturo fato nobis ereptus,* CAIETANUS LOMBARDINIUS *Mediolanensis.*

VOLUMINIS QUARTI

DE

MORBIS IMI VENTRIS

PARS ALTERA.

DE MORBIS IMI VENTRIS.

CAPUT I.

DE DYSPHAGIA.

§. I.

Definitio. Quae morbi natura. *Cur non ad faucium vel thoracis morbos referatur.*

A morbis, qui ad pectus pertinent, ordo iam admonet, ut ad eos, qui sedem habent in *abdomine*, properemus. In huius prope ingressu se primum offert *Δυσφαγία*, videlicet *difficilis*, ut a nobis accipitur, aut *impeditus alimentorum potusve* per oesophagum in ventriculum *descensus*. Neque interest, dolor in ea percipiatur, an absit; aut celer acutusque morbus sit, an lentus et diuturnus [1]). Neque hic ea impedimenta comprehendi volumus, quae faucibus verius insident, utpote iam alibi (capite *de angina* voluminis III.) a nobis exposita. Neque demum, quia oesophagus a gutture incipit, thoracisque cavum traiicit, quisquam obtrudat, perperam de laesa deglutiendi actione a nobis hoc loco agi; nam si minus sede, natura certe et connexione oesophagus ad ventriculum, qui in abdomine situs est, tamquam eius appendix continuata attinet.

Dysphagia an cum dolore semper coniungatur iuxta SAUVAGESIUM. *An lentus chronicusque*

1) SAUVAGESIO *dysphagia* est difficultas deglutiendi cum dolore coniuncta. Doloris autem sensus ab ea abesse posse mihi videtur, quin ipsa cesset. Nec satis sic definita ab *angina synanche*, nempe pharyngis inflammatione, in qua difficultas deglutiendi cum dolore coniungitur, ut patet, discriminatur. Neque assentior MATTHAEO VAN GEUNSIO, qui *(in volumine XI. P. I. II. Actorum Haarlemens.) dysphagiam* lente accedere et progredi, *anginam* vero celerem et repenti-

morbus sit, ut VANGEUNSIO *placet.*

num morbum esse existimat. Nam et dysphagia interdum celeriter et repente oboriri et progredi potest, quemadmodum ex sequentibus patebit; et contra lento etiam passu aggredi *angina,* diuque persistere, ut alibi *(Volum. III. Cap. XVII.* §§. 408. 419. 439. 443.*)* indicatum est.

§. II.

Causae organicae.

Aegre autem, aut nullo modo ingesta descendunt in ventriculum, si via non pateat, aut potentiae sive vires eorum descensum promoventes deficiant. Via non patet, si extrinsecus comprimatur a *tumoribus* cuiusvis generis in oesophagi sive gulae vicinia natis, a thymo, a glandula thyreoidea, ab aspera arteria, a pulmonibus induratis et tumentibus, a glandulis dorsi, aut etiam bronchialibus obstructis, ac mole praeter modum auctis, ab aneurysmatibus imprimis aortae [1]), a varicibus, a nimia pinguedine circum congesta, a spasmo diaphragmatis, ab eiusdem adsitarumque oesophago partium phlegmone [2]), ab hepatis magnitudine immodica atque ad oesophagum sic protensa, ut eum ad dorsi vertebras allidat. Vitio autem ipsius oesophagi via occluditur, si oesophagus coarctetur vel spasmo, vel tunicarum eius inflammatione, callo, scirrho, vel folliculorum muciferorum tumoribus, vel glandularum cardiam cingentium obstructione, vel ipsiusmet superioris ventriculi oris tumoribus, scirrhis, callis, vel polypis, fungis, carcinomatis aliisque huiusmodi vitiis innatis accretisque, vel obstruatur ab alienis corporibus intrusis, infixis, aut alibi haerentibus [3]), vel parietum coalitu praeter naturam concreverit.

Observationes et exempla. Aneurysm. aortae.

1) Exemplum tumoris aneurysmatici in sinistra iuguli parte orti ex aorta in saccum sursum dilatata, a quo non modo aspera arteria et larynx, sed etiam oesophagus et pharynx premebantur, et respiratio, vox et transitus ciborum impediebatur, habet ex VALSALVA MORGAGNIUS *epistola anat. med. XVII. n.* 19. *et* 20.

Aliud simile *ibidem n.* 25. adducit exemplum respirationis et transitus per oesophagum impediti ex ingentis aneurysmatis sacciformis arcus aortae pressione. Saccus autem aneurysmaticus sub clavicula dextra ad sternum situs erat, et duorum vel trium mensium spatio ita creverat, ut alterum quasi caput e medio sterno enatum videretur. Tertium porro videri potest

apud eundem Cl. MORGAGNIUM *epistol. anatom. med. XVIII. n.* 22.

2) Raras esse *inflammationis oesophagi* observationes SCHACHTUS *Instiut. med. pract. l. VII. cap. XII. p.* 249. affirmat. *Inflamm. oesophagi.* Tres tamen, idest certe paucas, invenies apud MORGAGNIUM *epist. anat. med. VIII.* 25. *XXXVII.* 30. *LIX.* 15. sectione comprobatas.

3) A *conglomeratis* in *oesophago lumbricis* ibique cunctantibus *dysphagiam* in puella febre gastrica verminosa laborante *Lumbrici in oesophago.* ortam vidi et prope suffocantem. Sectio cadaveris rem comprobavit.

§. III.

Potentiae vero, quae deglutitorum descensum promovere debent, deficere pluribus modis possunt, sed potissimum si mucus, quo interior oesophagi facies obliniri solet, non secernatur, aut a folliculis suis non suppeditetur; si *Aliae causae ab aliis defectibus et vitiis oesophagi.* eiusdem oris fibrae coarctentur [1]), vel eius tunicae obriguerint, aut cartilagineae aut osseae evaserint; si fibrae musculares ulcere exedantur, aut summa atonia, aut paralysi laborent, sive id propria, sive nervorum culpa contigerit; postremo si oesophagi aliqua pars in saccum expansa sit, cuius exemplum adduxit GRASHUYSIUS [2]), aut oesophagus ipse deorsum a ventriculo e sede sua prolapso distrahatur, aut alia quacunque ratione elongetur disrumpaturve, quem casum in viro generosissimo offendit Cl. BOERHAAVIUS [3]); aut ulcere perforetur, ut in phthisico quodam vidit HEISTERUS [4]).

1) *Quum ad rem facere videatur, rarioris dysphagiae adiicimus exemplum, quod ex diario italico cl. auctoris deprompsimus, rem gratam legentibus facturi non dubitantes.* *Exemplum verae dysphagiae.*

„Obiit mense decembri anni 1782. quidam ex Dominicana familia LX. annos natus, quem ad summam maciem adduxerat *Observatio auctoris.* *dysphagia oesophagea*, qua iamdiu laborabat, cuiusque noxios effectus a prima iuventa coeperat experiri, cum nisi sensim lenteque admodum mandere posset, eique manu guttur, ut facilius deglutiret, comprimendum esset, et si quid cibi extremo vitae suae curriculo sumeret, licet omnino, aut ferme liquidus foret, usque ad ima stomachi minime pervenire videatur, sed illum identidem paulatimque aeger ex ore cogebatur reiicere. Dissecto cadavere hoc unum vitium organicum in eodem repertum est: *Summitas oris oesophagi* aliquanto erat *adstrictior.* Pone oesophagum autem, quo nempe desinit

pharynx, *cavum* inventum est ad *infundibuli speciem efformatum*, in quod alimenta transibant. Qua latius patebat, erat hiatus sive initium eius apertum; infra post oesophagum descendebat appendice occlusa, inter ipsum nempe et colli vertebras VI. aut VII. latos digitos longitudine adaequans. Statim ac ad oesophagi initium, quo nimirum *arctior* erat, pervenerant alimenta, a recto tramite deflectendo dictum *cavum*, sive *saccum* ingressa ibi tamdiu morabantur, donec vi alicuius spasmi in eodem excitati sursum retropulsa exirent. Huiusmodi *saccus* erat quaedam veluti *hernia extremitatis inferioris* et *posterioris pharyngis*. Cetera nulla laesione erant affecta. Haec omnia mecum Cl. GIANELLA clinicus Mediolanensis experientissimus, qui adfuit sectioni, oretenus communicavit. *Dysphagiam* a tali causa genitam neminem descripsisse recordor."

2) *Acta N. C. Tom. VI. observat.* 73.

3) *Artrocis nec descripti prius morbi historia.*

4) O. SCHACHT. *Instit. med. pract. l. VI. cap. XII.* §. 26.

§. IV.

Proëgumenae.

His porro vitiis (§. II. III.), quorum innumera prostant [1]) exempla apud observationum anatomico-medicarum scriptores, tamquam causae remotiores ortum praebent mollior, tenerior et debilior corporis constitutio, aut siccior et strigosior eius habitudo, virus strumosum, venereum, scorbuticum, metastases, acria, venenata, coagulantia ingesta, potus gelidus, aut contra nimis fervens, uti foliorum *thee* aut fabarum *caffe*, spiritus vinosi inflammabiles, aromatici, vina adulterata, aut plumbi sive saturni calce aut solutione edulcata, diuturnus aquarum quarundam usus, salinorum, stramonii, et fortasse fungorum quorundam esus, morsus animalium rabidorum, capitis, pectoris et nervorum morbi, errores diaetetici, ac vehemens pleno ventriculo vomitus.

1) Vid. BONET. *Sepulchr. anatom. lib. III. sect. IV. a pag.* 745. *ad. p.* 755.

Diagnosis.

§. V.

Generalis diagnosis.

Pro varia aegri, causarum, loci affecti aliarumque rerum ratione plurimum quoque differunt morbi phaenomena.

Singula igitur rite perpendantur necesse est, si speciei peculiarisque causae, quae *dysphagiam* parit, diagnosim assequi velimus. Perpetuum fere est, in hoc morbi genere alimenta, statim ac oesophagum ingrediuntur, vel ab ipso repelli, vel ulterius progressa in eodem subsistere atque haerere, vel super trochleam quasi circumagi, vel per angustum tramitem cum anxietate et quandoque cum dolore pedetentim gliscere et transire. Accedit etiam, quod augescente morbo uberior utplurimum sub lento et difficili deglutitorum transitu salivae copia prodeat; in quo multi *pathognomonicum* huiusce mali signum positum esse credunt. Verum, ut ingenue fatear, hic quoque, sicut in plerisque aliis morbis notavimus, diligenti opus est examine eorum omnium, quae antecesserunt et subsequuntur, antequam quidquam certi statuatur.

Signum fere perpetuum.

Aliud quibusdam pathognomonicum.

Monitum.

§. VI.

Haec (§. V.) communia fere esse consueverunt. Propria vero peculiaris cuiusque causae plerumque nec desunt, nec sedulum indagatorem praeterfugiunt. Nam *dysphagiam* a tumore magno in oesophagi vicinia sito effici cognosces, si aeger non solum difficulter deglutiat, verum dolorem etiam quendam in pectore proximisque oesophago partibus cum gravitatis et pressionis sensu, imprimis circa mediastini aut diaphragmatis regionem, itemque cum difficili et brevi inspiratione, interdum etiam cum suffocationis metu percipiat, et praeterea si stilus aut cereus funiculus, vulgo *candeletta*, demissus obstaculum extrinsecus quodammodo locatum inveniat, quo oesophagum comprimi [1]) appareat. Praegressi vero laryngis, asperae arteriae aut pulmonum morbi, earumque partium laesae functiones, ut vocis mutatio, continua spirandi difficultas, paulatim aucta, tussis, sibilus, stertor aliaque huiusmodi ostendent, ab aliqua laryngis, aut asperae arteriae, aut pulmonum parte indurata et mole aucta malum pendere. Adest tum etiam singularis pectoris gravitas, et stilus in oesophagum leniter demissus

Diagnosis particularis.

Signa dysphagiae a tumoribus oesophago adiacentibus.

Ab aucta mole aut induratione laryngis, aut asperae arteriae, aut pulmonum.

Resistentia stilo superatur.

offendit quidem obicem, sed talem, qui ei cedere et locum dare videatur.

1) A. P. Nahuys. *De morb. oesophag. in act. acad. Haarlem. vol. XI. p.* 179. *et seqq.*

§. VII.

Signa dysphagiae a glandulis dorsi.

Quo loco occurrant, earum resistentiae.

Quando suspicari licet, malum ab *obstructione glandularum dorsi* oesophago adsitarum oriri, tunc respiratio fere libera est, desuntque signa (§. VI.) affecti organi vocis et spiritus. Nec dolor deglutientem corripit. Stilus vero demissus, si quid impedimenti alicubi invenit, id circa quintam dorsi vertebram occurrit, et plerumque alibi glandularum aliquae obstructae et tumentes praesto sunt, et corpus *pituitosis* humoribus scatere videtur, aut labe *scorbutica*, *venerea* aut *strumosa* contaminatum est. Si vero dolor aut ardoris sensus deglutienti molestus sit, atque ea antecesserint, quae suppurationem indicant, aut ulcus efficere solent, aut comitantur (quod facile cognosces ex iis, quae iam alibi tradita sunt); tunc de *dysphagia ab oesophagi ulceratione* coniecturam facies.

Dysphagia ab ulcerato oesophago.

§. VIII.

Signa dysphagiae a tumoribus oesophago intrinsecis.

Cum vero oesophagi fistulam *excrescens caro*, aut *fungus*, aut *polypus* tenet, iterque paene impedit, verosimile omnino est, transitum ingestorum, imprimis si solidiuscula fuerint, longe difficiliorem reddi; corpus autem, quod stilo demisso obiicitur, reniti quidem aliquantulum, sed non difficulter superari. Contra *scirrhus*, ubi non exiguus est, omnem ferme deglutiendi facultatem tollit, prohibetque, quo minus, nisi magna vi adigatur, stilus ultra procedat, quod si, ubi resistens corpus occurrit, dolor etiam acer et pungens, aut ardor lancinans percipiatur, coniicere licet, *scirrhum*, qui *dysphagiam* facit, in *cancrum* commutari, aut iam ulcere corrumpi.

A scirrhis.

Signa scirrhi in cancrum mutati.

§. IX.

Signa dys-

Tumorum, qui *folliculo* aut *cystide* includuntur, dia-

diagnosis paulo difficilior est, cum vix a scirrhis, aut fungis, aut excrescenti carne discerni queant. Si quod tamen discrimen intercedit, id omne positum esse videtur in minore vel maiore mollitie et renisu, quem deglutienda aut stilus invenient. *Rigiditas fibrarum oesophagi*, docente NAHUYSIO [1]), eosdem propemodum effectus praestat, quos scirrhus. Sed exstant exempla oesophagi cartilaginei facti, per quem sine molestia cibi in ventriculum descendebant [2]). Non ergo sola rigiditas, nisi cum *arctato* oesophagi *meatu* coniuncta, *dysphagiam* procreabit. In rigiditate praeterea sola, quacum coniuncta non sit viarum angustia, stilo facilius quacunque patet aditus.

phagiae a tumoribus tunicatis.

A sola rigiditate membranarum oesophagi an dysphagia.

1) *Act. academ. Harlem. T. XI. p.* 179.

2) MORGAGN. *Epist. anat. med. XXVIII. n.* 15. *ex* GORNIAE *observatione.*

§. X.

Signa dysphagiae ab atonia et paralysi.

A nimia fibrarum oesophagi laxitate aut paralysi si deglutiendi difficultas provenerit, deglutita neque dolorem, saltem notatu dignum excitant, neque singula eadem difficultate descendunt, liquida enim difficilius, quam solidiora deglutiuntur, contra quam in ea specie, quae ab impedimentis intra cavum oesophagi innatis (§. VIII.) gignitur. Utraque tamen sive liquida, sive solida aliquo auxilio, aut irritamento, aut conatu peculiari egent, ut ulterius prolabantur. Sed si perfecta resolutio fibrarum fuerit, ingesta aut haerent, suffocationemque minantur, aut in fauces naresque refluunt. In huiusmodi *dysphagia* stilus quoque facile demittitur, nulloque obstaculo repellitur. Habitus corporis laxus, aquosus, languidus, segnities et torpor omnium motuum et functionum, mentis stupor, soporosi et paralytici affectus, apoplexia nervorumque resolutiones aliae eam comitantur aut antecedunt.

Stilus immittitur absque resistentia.

§. XI.

Signa dysphagiae a spasmis.

Contraria omnino ratio est *dysphagiae a spasmo.* In hac non modo constringi aut coarctari oesophagus vel totus

vel eius aliqua pars percipitur ab aegrotante, verum etiam stilus immissus fortiter a circumposito canali amplexatur. Plerumque accedit et recedit, intervalla libera a degluticndi difficultate relinquens. Saepe ab ipso ventriculo exorditur eiusmodi spastica constrictio, aliquando ad fauces et collum spasmus tumore et quasi suffocatione se prodit, et si alicubi magis oesophagum afficit, ibi globi cuiusdam aut boli restitantis sensum affert, qui tamen non fixus est, sed modo altius ascendit, modo inferius deprimitur. Interdum ita universus oesophagi tractus rigescere videtur, ut quasi pali infixi imaginem animo sistat. Tum vero epigastrium saepe tumet et tenditur, cibi plerumque desiderium deficit, et subinde etiam pectoris oppressiones atque anxietates accedunt, flatus ex ore erumpunt, aut erumpere nituntur, horripilationes, pandiculationes oscitationesque intercedunt, nec desunt tremores, aut hysteriae, aut hypochondriasis reliqua symptomata causaeque, inter quas pathemata animi, moeror, tristitia, ira compressa praecipua sunt. Dolor interdum sub sterno occupat, interdum iuxta spinam propagatur, et non raro vox ipsa perit. Id mali genus modo assidue tenet, modo sese remittit, modo statis quibusdam horis recurrit, praesertim vespertinis, modo ad aliquot dies protrahitur, modo brevius est, et cito deserit, quamquam levi ex causa ad redeundum paratissimum. Plerumque frigido potu exacerbatur, calido vero lenitur. Haec species, observante SAUVAGESIO, opisthotonum comitatur, aliosque tetanicos affectus.

Ad fauces et collum extenditur tumor.

Ad epigastrium quoque.

Signa adsunt hysteriae et hypochondriasis.

Dolor sub sterno et iuxta spinam quandoque.

Tetani affectus comitatur.

§. XII.

Quomodo reliquae species innotescant.

Dysphagia denique a *muci defectu*, ab *ariditate interioris oesophagi superficiei*, a *coalitu eius tunicarum*, ab *earum inflammatione*, a *diaphragmatis spasmo* aut *phlegmone*, a *scirrhode duritie cardiae*, ab *aneurysmate aortae*, aut *cavae aliarumve venarum varicibus*, ab *hepatis aucta mole*, ab *oesophagi elongatione*, aut *ruptura*, aut in *saccum expansione*, a *saturninis*, a *venenis*, a *solanis*, *stra-*

monio, a *potu fervente* aut *gelido*, a *vermibus* aliisque *corporibus alienis* in *oesophagum illapsis* aut *intrusis*, et si quae aliae species sunt, ut internosci possint, diligentissime respicere oportet ad causas remotas, ad symptomata, ad effecta quae consequuntur, ad locum qui magis patitur, atque ad notas aliorum morborum, ex quibus enasci possunt; quod arduum nequaquam erit, si memoria probe teneantur ea omnia, quae sparsim suis locis fusius tradita fuerunt. Causarum item quaedam extrinsecus adveniunt, atque adeo in sensus incurrunt, ut latere minime possint medicum, qui ab aegro eiusque assidentibus et familiaribus sedulo quaesiverit, quae acta prius sint, quae fortuito contigerint, quae comesta aut potata fuerint, quae vitae et victus ratio adhibita, et sic porro. Sed nihil in casu difficiliori atque ambiguo praestantius utiliusque est, quam similium morborum historias et defunctorum extispicia, quorum non exigua nobis copia hodie suppetit, consulere, et sagaciter cum nostris comparare [1]). Incredibile enim est, quantum id ad diagnosin tum morbi, tum causae recte instituendam luminis afferat.

Ancipiti in casu quid agendum praestet ad singularum naturam dignoscendam.

1) Loca complura apud scriptores, in quibus historiae dysphagiarum a variis diversisque et raris causis pendentium indicantur, videsis in *Nosologia* SAUVAGESII *class. VII. ord.* 3. *gen.* 17. *Ex sch. auct.*

Prognosis.

§. XIII.

Cognitis autem et rite compertis causis, continuo sequitur, ut, quid timendum aut sperandum sit, et quid auxilii ab arte peti debeat, perspicuum nobis fiat. Nam periculum maius aut minus a causae magnitudine aut levitate aestimabitur. Itaque si eiusmodi ea videatur, ut minime per nos emendari aut tolli queat, ut pleraque organica vitia, de quibus dictum supra est, esse soleut, aegri in summa desperatione versantur, paulatimque inopia alimenti atque

A causis maius vel minus periculum. Quid, si ab organico vitio fit.

inedia confecti misere contabescunt, et tandem exsucci et viribus omnibus destituti pereunt. His si qua spes salutis unquam relinqueretur, id quidem eveniret, si inter initia, morbo nempe nondum eo provecto, quo incurabilis sit, in causae cognitionem ventum cito esset.

Quando salutis spes.

Curatio.

§. XIV.

Curatio dysphagiae a rigiditate fibrarum aut muci defectu.

Verum cuiuscunque generis exitusque fuerit *dysphagia*, non omittam proponere, quae cuique curatio opportunior videatur, eo consilio, ut si minus ad curationem sit satis, ad mitigationem saltem calamitatis vitaeque productionem quoad fieri potest conferat. Itaque *angustior oesophagi capacitas* aliqua *fibrarum rigiditate* et *muci defectu* orta exposcit ea, quae humectant, molliunt et lubricant, uti decocta radicum althacae, malvae, seminum lini, olea unguinosa, blanda et recentia, mucilagines ex gummi arabico et tragacantha, aut amylo, atque ex his composita paulatim et saepius danda. Demittendus etiam subinde in oesophagum est stilus flexilis ex pinnis cetaceis cum capitulo eburneo, aut ex spongia confecto ad alterum extremum alligato, ut caute et leniter oesophagus dilatetur.

§. XV.

Curatio dysphagiae ortae a glandulis, vel a callo aliisque vitiis oesophagum arctantibus. Incidentia, resolventia, attenuantia, aperientia.

Si *oesophagi cavea* a *tumidis obstructisque glandulis oppleatur*, aut extrinsecus arctetur comprimaturve, si *callus* alicubi fieri incipiat, indicantur incidentia, resolventia, attenuantia, aperientia, uti sales medii, alcalini, sapones, gummata ferulacea, extractum cicutae, mercurius, interpositis identidem iis, quae alvum leniter ducunt. Verum tanta saepe est difficultas degluticndi, ut huiusmodi medicamina aut sumi ore non possint, aut non ea copia et frequentia, qua opus esset. Tunc litus ex mercurio administrari debent, praesertim si venerea labes in suspicionem cadit. Quae-

cunque demum causa glandulas obstruxerit, tumidasque effecerit, collum recenti in morbo mercuriali unguento lege artis perfricari iubet MUNCKLEYUS [1]), sic ut aliquis salivae fluxus excitetur, exemplisque in medium prolatis non paucis huiusce methodi utilitatem tuetur.

Litus mercuriale.

1) *Medical transactions published by the college of physicians Vol. I. p.* 165.

§. XVI.

Nec alia adhibenda medela est *tumoribus* aliis, aut *scirrhis*, aut *iecinori infarcto*, aut in *enormem molem expanso* (§. II.), si ex his morbus profluxerit. At si in *carcinomata* iam abierint, aut abire inceperint, quoniam exstirpationi vix ullus relinquitur locus, cavere oportet ab omnibus iis, quae valde acriterque agunt, et contra adhiberi ea duntaxat, quae acritates leniunt, symptomata blande coërcent, et cancrosae corruptioni quocunque modo resistunt. In his primas tenent lac asininum, serum lactis caprilli, ranarum et cancrorum fluviatilium iura, camphora, cortex péruvianus, aquae medicatae, balnea, eccoprotica identidem propinata, et urgente dolore, aut phlogoseos metu sanguinis missio et prudens opii usus. *Ulcera* vero, *excrescens caro* et *fungi*, si oesophago inesse comperiantur, leniter detergentibus, reprimentibus atque exsiccantibus medicamentis egent, nec aliena tum etiam habentur quaecunque pro varia sanguinis labe atque acritate eum corrigere et purificare creduntur, imprimis antiscorbutica, antivenerea, antiscrophulosa, sudorifera atque alia huiusce generis.

Quae curatio, si ab aliis tumoribus, aut scirrhis, aut carcinomatis morbus sit. Cautio circa scirrhos. Lac asininum et caprillum. Demulcentia, roborantia, antiseptica, balnea. V. S. Opiata. Quid ulceribus fungosisque excrescentiis conveniat.

§. XVII.

Maiori cum fructu opera navabitur in ea deglutiendi difficultate, quae ab *inflammationibus oesophagi* aut *proximarum partium*, vel *a vermibus*, vel ab *acribus*, *ingestis* et *venenatis*, vel a *spasmis hystericis* et *hypochondriacis* proficiscitur. *Inflammationem* enim qualia discutiant et resolvant, adeo nota et comperta puto ex superioribus alibi-

Curatio dysphagiarum ab aliis causis. Inflammatoriae medela.

Genitae a vermibus. que saepius repetitis doctrinis, ut commemoratione hic minime opus habeant. Quod ad *vermes* attinet, hi non modo enecandi anthelminthicis validioribus sunt, de quibus infra peculiari capite [1]) agemus, verum etiam cito deorsum catharticis, aut sursum emeticis expellendi. *Ab acribus, venenatis, ingestis progenitae.* *Acria, venenata ingesta* pinguibus oleosisque irretiantur, aut aquosis liberali manu datis diluantur, et quum primum fieri poterit emeticis et catharticis sursum deorsumque et ipsa eiiciantur. *Spasmodicae.* *Spasmos* autem, indagata prius eorum origine, etsi plerumque pertinaciter vexent, et plus molestiae quam discriminis afferant, non ita arduum opus est superare, iis tamen exceptis, quorum causae cerebro aut spinali medullae insideant; nam hi difficilius tolluntur, ut patet ex *tetano, opisthotono* aliisque spasticis affectionibus, imprimis idiopathicis. *Natae a saburra, a dyspepsia, a suppressis evacuationibus sanguinis etc.* At si a *saburra gastica*, si a *depravata ciborum coctione*, si a *catameniis* aliisve consuetis, puta *haemorrhoidum, evacuationibus* manaverint, remedio plane iis sunt eccoprotica, amaricantia, tonica, de quibus proxime dicam, vel sanguinis missio, aperientia et evacuationes consuetas revocantia. *Quid si a nimia sensibilitate nervea, irritabilitate musculari, aut animi pathemate.* At si *nimia sensibilitas nervea*, aut *irritabilitas Halleriana*, aut *animi pathemata* fuerint in causa, praeclare tum eos tollunt emollientia, oleosa, anodyna et opium imprimis, atque animi quies contrariique affectus.

1) Vid. *cap. X. §. CXXXIV. et seqq. huius II. Partis.*

§. XVIII.

Quid de spastica TODII *nimio salinorum usu adtributa.* IOHANNES CLEMENS TODIUS meminit *dysphagiae spasticae*, quam induxerat, ut ipse sibi persuaserat, nimius salinorum medicaminum usus. *Cur adhibitis remediis nihil* TODIUS *profecerit.* Huic nec vis castorei, nec essentia gentianae, nec aqua menthae piperitae, nec liquor anodynus mineralis HOFFMANNI, nec elixir viscerale eiusdem quidquam profuerat, quod nequaquam mirum est, cum omnia ista fibrarum tensionem irritabilitatemque potius adaugere potuerint. *An curatio praestita a* TODIO *tribuenda sit quassiae, vel* Ipse vero eam intra triduum feliciter sustulit [1]) diluto aquoso *quassiae* instar *thee* praeparato, ac saepius in die propinato. Probabile autem videtur a copia potius aquei

tepentisque potus, quo salium vis irritans enervata ac diluta, nec non fibrarum tonus relaxatus est, quam a *quassiae* peculiari virtute id emolumenti fuisse perceptum. *potius potus aquei copiae.*

1) *Collect. societatis medic. Havniens. Vol. I. p.* 205.

§. XIX.

Contraria his omnino expetit *dysphagia* ab *atonia* aut *paralysi*. Fibrarum inertiam, laxitatem imminutamque irritabilitatem, ubi degluliendi facultati officit (raro enim perfecte eam adimit), ea omnia emendant, quae serosos et pituitosos humores detrahunt, quae acri quodam stimulo excitant vim muscularem, quae fibras roborant et firmant. Horum longo et continuato usu paulatim diuturnum et facile recidivum malum abigitur. Paulo difficilior res est, ubi vis *nervea* languet, ut in *paralysi oesophagi*. Quo obscurius est et abditius eius principium, et quo lentior diuturniorque progressus, semper vero in deterius ruens, eo minor spes affulgere solet recuperandae valetudinis. Quando autem ab *apoplectico* insultu repente corripit, a morbi principis, cuius symptoma est, gradu maiore vel minore exitum dimetiri licet. Quae tum ad curationem accommodata sint, ex capite IV. de *apoplexia* §. CXLII. et seqq., ubi *de paralysi* disseruimus *morbos capitis* volumine III. recensentes, compertissimum puto. *Curatio dysphagiae ab atonia et paralysi* *Recidivum hoc malum.* *Languente vi nervea curatio difficilior.* *Quid si apoplexiae symptoma est.*

§. XX.

Corpora aliena in oesophagum illapsa, aut intrusa, aut casu deglutita, uti monetae, clavi, lapides, ossicula et nuclei quorundam fructuum aliaque eiusmodi, aut frusta maiora solidi alimenti, non prius satis comminuta dentibus, in eo haerentia aut infixa peculiarem considerationem merentur, utpote quae subitam promptamque opem expostulant. Generatim desuper hausta aqua aut oleo eorum transitus promoveri solet, et si id non suffecerit, stilo cereo aut simili instrumento leniter demisso deorsum sensim propelluntur. Nam quando in ventriculum delapsa sunt, facile postea *Dysphagiae ab ingestis curatio.* *Oleum.* *Stilus cereus.*

Quanto tempore plerumque aliena corpora ingesta intus retineantur.

sibi viam parant per intestina, sic ut intra duos vel tres dies ex ano egredi cernantur. Raro ultra hosce terminos retineri solent, quamquam interdum non egredi visa sint, nisi post decem aut plures etiam dies; quod a magnitudine et figura corporis, aut a materie, ex qua illud constat, variari non parum potest. Non diffiteor tamen, huiusmodi corpora interdum aut in pyloro, aut in aliis intestinorum flexibus, aut ad valvulam coli sisti, et diu ibi adhaerere, et gravissima mala progignere, ut proh! nimium experientia demonstravit. Sed nihil adiuvat eorum ex intestinis egressum magis quam oleosa, pinguia, mucilaginosa subinde sumpta, et quidem copia non modica. Sic sine noxa vel in ipsis infantibus et pueris corpora voluminis et figurae eius, quae minime ad descendendum apta credebantur, vidi utplurimum paulatim deiecta atque excreta.

Quid eorum egressum magis adiuvet.

§. XXI.

Quid agendum, si difficilior extractio corporum sit, vel eorum deglutitio.

Varia tentanda proponuntur.

Interdum tamen accidit, ut nullo modo e loco, quem in oesophago tenent, dimoveri queant, sive quod infixa ibi sint, sive quod instrumentum, quo detrudi debent, in oesophagum demitti minime liceat. Tunc in fauces digiti aut pluma oleo illita demitti debent, ut vomitus proritetur. Si haec non proficiant, deglutiendum frustulum panis aut fructus alicuius est, et conatu ingenti adigendum, ut, si fieri potest, detrudat, secumque deferat impactum corpus. Quod si hoc quoque vel fieri non liceat, vel frustra tentetur, tunc globus ex spongia oleo imbuta forti filo serico accurate alligata deglutiendus est, atque iterum ope fili appensi sursum retrahendus; sic enim saepe spinae, acus, ossicula aut deorsum protruduntur, aut sursum feliciter revocantur, teste Cl. HEISTERO. Demum si haec quoque fallant, emeticum aqua dilutum nonnulli propinandum iubent, ut vomitu excitato sursum per os reiiciantur. Sufficit enim, ut paucae guttulae emetici liquoris in ventriculum distillent, vomitumque cieant. Consilii bonitatem prosper exitus saepe demonstravit. Frustum carnis bovinae in medio oesophago cui-

Emetici vires.

dam militi haeserat, quin ulla arte sive deorsum sive sursum moveri posset. Singulari prope ausu in venam brachii tartarum emeticum liquidum infudit IOH. LEBERECHTUS SCHMUCKERUS [1]). Post semihoram circiter magno cum impetu vomitus accessit, eoque frustum illud facile eiectum est. Nescio tamen, an id semper tutum sit, semperque tentari queat. Caro certe illa brevi aut corrumpi potuisset, aut aliter digeri, ut mole diminuta locum mutaret, descenderetque in ventriculum sine discrimine. Verum durioribus corporibus an eadem sors promitti posset? Num etiam vomitus acutis, lacerantibus, scindentibus corporibus, uti acus, clavi, cultri aut vitri frustula sunt, aeque innoxius futurus dicetur? Profecto timeri iure potest, ne vomitus inanibus nisibus altius infigantur, ut avelli amplius nequeant. Igitur, si unquam prudenti consilio opus est, hisce in casibus profecto ne desit, ut temeritatis nota vitetur. Illud hic praeteriri non debet, quod interdum huiusmodi corpora non longe a pharynge inmota in oesophago remanent, quin ulla ratione educi possint. Hoc in casu sectionem oesophagi e latere asperae arteriae, ut inde extrahantur, proponere ausus est vir chirurgiae peritissimus, multisque nominibus clarus GUATTANIUS [2]).

An tutum semper remedium emesis?

Quando sectioni oesophagi locus sit.

1) *Miscell. chirurgic. Vol. I. pag.* 335. *Item in Commentar. Lips. Vol. XXIV. p.* 325.

2) *De aneurysmat. ad calcem.* Vid. etiam *Vol. III. harum Institution.* §§. *CCCLXXXVI. CCCCXXXVI. in notis.*

§. XXII.

Restat demum, ut aliquid dicam de regimine eorum, quibus malum ita increvit, ut alimenta vel tenuissima deglutiri, et ad ventriculum ob summas itineris angustias transmitti quam minimum vix possint. His oportet stilo cereo aut (quod magis placet) fistula flexili cava ex tela cerata confecta oesophagum leniter dilatare, et per eam infundibili ope liquores nutrientes ad ventriculum demittere. Instrumentum huiusmodi, quo iniici alimenta in ventriculum

Diaeta.

Quomodo nutriendi aegroti.

Enemata ex iure carnium, lacte etc.

possint, videre est apud MAUCHARTIUM, qui illud excogitavit, et hunc in usum perfici curavit. Si vero ne id quidem locum habet, quod frequentissimum est, enemata ex iure carnium, vel ex lacte et vitellis ovorum similibusque alimentis crebro subter dentur, ut hac saltem ratione vita pro virili sustineatur.

Balnea totius corporis ex sero lactis etc.

Nec utilitate carebit, totum corpus subinde demergere in balneum tepens ex sero lactis, aut aqua et lacte commixtis, vel iure carnium tenui cum vini canarini tantillo, ibique aliquantulum sinere, ut venis absorbentibus attrahatur subtilior humoris pars, qua corpus quodammodo reficiatur nutriaturque. Sed durum miserrimumque est sic vitam protrahere conari, cum quidem plerumque incassum id fiat.

CAPUT II.

DE AUCTO CIBORUM DESIDERIO ET FASTIDIO PRAETER NATURAM.

§. XXIII.

Aucti appetitus vitia quae et quot.

Appetitus, sive cibi desiderium, interdum ita praeter naturam augetur, ut non modo omnes quicunque cibi sine ullo discrimine avidissime assumantur, quin tamen satietatem procreent (quod in Κυνορεξία sive Ὄρεξι κυνώδη, *fame* videlicet *canina*, atque in *bulimo* sive *fame bovina* contingit), verum etiam quandoque in certas quasdam res vehementer feramur cum a natura cibi alienas, tum in alimentum usurpari solitas, ut in *pica*, *cissa*, *citta* et *malacia*.

Bulimus.

Pica, cissa, citta et malacia.

§. XXIV.

Definitur cynorexia.

Cynorexia definitur insatiabilis ciborum cupiditas, quam brevi ingestorum vomitus consequitur, aut cita per anum

eorum deiectio. Sic levato a nimio onere ventriculo, nova vorandi cupiditas redit, iterumque devorata vomuntur, non secus ac canibus evenit nimium voracibus. Cum vero alimenta cito ex alvo, interdum semiconcocta egeruntur, hanc affectionem nonnulli vocant non *famem caninam*, sed *lupinam* sive Λυκοξεξίαν.

Fames lupina.

§. XXV.

A *cynorexia* differt Βούλιμος sive Βουλιμία, quod in hac posteriore immodicam famem, nisi eidem mox satisfiat, excipiant animi defectiones. *Picam* porro, Κίσσαν sive Κίτταν esse perhibent eam appetitus depravationem, in qua absurda atque a cibis aliena, uti calx, gypsum, creta, lapides molares, carbo, cinis, vitrum, stercus, appetuntur [1]); Μαλακίαν vero, in qua peculiares quidam cibi aut condimenta, sed nimia copia atque aviditate nimia sumuntur, cuiusmodi sunt haleces, piper, zingiber, sal aliaque similia [2]).

Definitiones aliarum specierum.

1) Narrat SENNERTUS, fuisse mulierem, quae cretam et lapides molares contritos ad duas libras quovis die sine noxa ingerebat.

Observationes.

2) Apud GALENUM exstat historia feminae cuiusdam utero gerentis, quae zingiberis libras aliquot unica vice maxima cum voluptate et sine ullo faucium aut stomachi ardore devoravit.

§. XXVI.

Quemadmodum autem ciborum *appetentia* praeter modum saepe augetur, aut praeter naturam depravatur, ita quandoque imminuitur aut aboletur. *Imminuta* dicitur Δυσοξεξία, prorsus *ablata* Ανοξεξία aut Αποσιτία; quamquam hac postrema voce intelligendum quidam velint illud cibi fastidium, in quo sola ciborum praesentia horrorem et nauseam moveat. Verum non semper singula haec a medicis accurate satis distinguuntur, cum plerumque appetentiam tam *imminutam* quam *deletam* uno *anorexiae* nomine appellare soleant.

Contrarii vitii, sive imminuti appetitus, vel sublati definitiones.

Utrumque vitium uno anorexiae nomine designatur plerumque.

§. XXVII.

Causa coniuncta, ut vocant, *cynorexiae* et *bulimi* est,

Causa pro-

xima cynorexiae et bulimiae. Remotae causae.

ni fallor, *molesta* quaedam *sensatio*, qua qui afficitur, versari sibi videtur in magna cibi sumendi necessitate, sic ut perpetuo esuriat. Eam excitant et fovent vel gastrici succi acriores activioresque facti, vel ciborum reliquiae in ventriculo vellicandi vim adeptae, vel choledochi in ventriculum et in pylorum insertio aliquando observata in voracibus [1]), lumbrici, taeniae aliaeque vermium species, parietum et rugarum stomachi validior inter se confricatio, vel eiusdem peculiaris quaedam convulsiva aut spastica affectio, hystericis praesertim feminis non insolens, vel sensibilitas aut irritabilitas ventriculi undecunque aucta, quarum alterutra a levi et naturali quacunque causa excitetur, ac famis sensum maiorem moveat, et peristalticum motum invertat, aut ita intendat atque acceleret, ut inde et animi deliquia et vomitus ingestorum copiam subsequens, aut eorum praeproperus descensus facile intelligantur. Hunc celerem nimis ciborum e ventriculo descensum ita magni faciunt non-

Quarundam opinio de unica horum morborum causa. Pylori dilatatio.

nulli scriptores, ut in hoc uno atque adeo in praecipiti et creberrima vacuitate ventriculi positam horum morborum causam velint. Quin imo contendunt, ideo iusto celerius alimenta e ventriculo prolabi, quod *pylorus* ipse praeter naturam ita laxus patensque [2]) sit, ut eorum descensum, prout par est, retardare et reprimere nequeat, dum interea valide ventriculi vires expultrices agunt. Sententiam confirmant

Observatio Ruyschii.

observatione anatomica Cl. Ruyschii [3]), qui in cadavere cuiusdam mulieris ex diuturna *lycorexia* defunctae non aliud vitium reperit, nisi *pylori* insolitam dilatationem, quae omnes unius manus digitos admittebat. Cibos illa, dum viveret, statim ac assumserat, et vix ventriculo exceptos demittebat ad intestina, et paulo post torminibus afficiebatur, donec sic alimento privata ac tabe confecta morte tandem malis finem imponeret.

Observationes anatomicae aliorum.

1) Bohn, *Circul. anat. physiol. Progymnas. X. p.* 153. Ettmüller. *Oper. T. II. p.* 54. *in hominc.* In voracissimo animali struthiocamelo inseritur ductus biliarius in pylorum, observante Duverneyo. *Mém. de l'acad. des scienc. ann.* 1692 *p.* 30. Item in hystrice. *Id. ibid.*

2) Ad huiusmodi opinionem accessit perceleber NATALIS IOSEPH. PALLUCCIUS in recenti opusculo inscripto: *Arte nuova e facile di curare i mali* etc., ubi pag. 48. etiam admonet, curari morbum ab hac causa profectum sola abstinentia.

3) *Observ. anat. chirurgic. observ.* 47. *pag.* 94. Haec observatio refertur etiam a Cl. LIEUTAUDIO *Hist. anat. med. T. I. lib. I. articulo XXVII.* Sed ibi etiam PLATNERI observatio allegatur *de pyloro laxo* et *dilatato* in homine, qui nunquam *fame canina* aut *bulimia* laboraverat. *Non semper a dilatato pyloro haec vitia sunt.*

§. XXVIII.

Alterutrum vero depravati appetitus vitium, *pica* nempe et *malacia* (§. XXV.) non aliunde probabilius repeti potest, quam a *mutata perversaque gastricorum liquorum natura*, sed tamen eiusmodi, quae non solum ventriculi sensum motumque concitando appetitum primo adaugeat, verum etiam per nervos sensim commune sensorium, et deinde protensos illinc nerveos surculos ad linguam et nares spectantes sic afficiat, ut idea cum desiderii in hanc vel illam rem, tum voluptatis ex ea percipiendae animo obversetur. *Causa item et origo picae et malaciae probabilior.* Non autem sola mentis hallucinatio, ut quibusdam videtur, hic satis est, sed *succorum* etiam *digerentium peculiaris* quaedam *vis nova* et *actio* necessario requiritur, ut nempe res tam absurdae, atque ab usu alimenti alienae et ferri et digeri sine ulla noxa possint. *Mentis hallucinatio non est causa sufficiens. Vis nova et peculiaris succorum digerentium actio requiritur.* Quam ob rem nil mirum, si *aciditatem*, ut vocant, *esurinam* plerique medicorum in ventriculi succis exsistere putant; nec profecto valde a vero aberrare eos arbitramur, cum huiusmodi malis laborantes acidum saepe humorem eructent, terreis atque alcalicis delectentur, horumque ope, retuso veluti acore, plerumque sanentur. *Aciditas esurina in ventriculi succis existens.* Accedit, quod pleraeque remotae causae eius generis esse consueverunt, quae acido spontaneo gignendo aut alendo potissimum valent, quales sunt rerum crudarum et fructuum immaturorum abusus, hypochondriaci ac melancholici affectus, tenera corporis constitutio, graviditas, mensium suppressio, chlorosis, cachexia, cacochymia, aetas puerilis, moeror, vita deses et nimia quies. *Causae remotae aciditatis.*

§. XXIX.

Contrarii vitii i. e. imminuti vel deleti appetitus contrariae etiam causae. Causa proxima. Proëgumenae.

Ciborum porro desiderium imminuitur aut etiam abolетur (§. XXVI.) *defectu* illius *sensationis, in qua naturalis appetentia* continetur, causisque contrariis (§. XXVII.); nimirum a lenta et viscida saburra ventriculi, ab inopia aut inertia gastrici liquoris, a putridi, purulenti aut alcalescentis principii commixtione, a biliosi humoris imminutione, depravatione aut copia exuberante, a naturalis sensibilitatis aut irritabilitatis ignavia, a sanguinis velociori motu aut eius circa ventriculum congestione, ut in febribus quibusdam, a tumoribus, scirrhis, cancris, ulceribus aliisque vitiis ventriculo aut vicinis sedibus infestis. Quae si etiam nervorum principium commune ita permovent, ut idea aversationis atque odii in eo enascatur, aut si ventriculum ita offendunt et gravant, ut comesta sine molestia, dolore, nausea aut vomitu retinere nequeat, iam clare patet, cur Ἀποσιτία sive *summum ciborum fastidium* adesse debeat.

Causae procatarcticae.

Antecedunt haec mala tamquam causae remotae animi pathemata, imprimis terror et moestitia, venus immoderata, mentis contentiones assiduae, evacuationes nimiae, lactatio diutius protracta, uterus gravidus, excrementa in intestinis accumulata, motus navis in mari, largior et crebrior potus aquae calidae aut tepidae, nimius aut frequens pinguium, oleosorum, putrium, alcalescentium, narcoticorum, vini, spirituum inflammabilium usus, vita exercitationis expers, suppressae aut adauctae evacuationes, plethora, aestivi calores, aër iners et palustris, obstructiones viscerum imi ventris, atra bilis stagnans, melancholia, febres et alia huiusmodi.

Diagnosis et Prognosis.

§. XXX.

Diagnostica signa unde petenda.

Singulorum istiusmodi affectuum (§§. XXIII. XXIV. XXV. XXVI.) diagnosis ex iis, quae supra explicata iam sunt, omnino evidens est, nec difficilis causarum inventio,

si cuiusque morbi tradita descriptio prae oculis, ut decet, habeatur. Quare aliquid potius de eorum prognosi dicamus. *Fames aucta* per se periculo vacat, nisi cum aliis morbis copuletur, quorum aut discrimen, ut in *hectica* et *phthisi*, aut longitudinem, ut in *febribus intermittentibus* et *lentis* atque in *hydrope*, aut relapsum, ut in convalescentibus, solet portendere. Sed *cynorexia* non raro altum soporem, aut *lienteriam* sive laevitatem intestinorum, aut *atrophiam* post se trahit; itemque interdum visa est desinere in *bulimum*, et tandem in *syncopen* lethalem. Periculosior enim est *bulimos* ob animi crebra deliquia, quae eum comitantur et subsequuntur.

Prognosis famis auctae.

Cynorexiae effectus mali.

Bulimus periculosior.

§. XXXI.

A *pica* et *malacia*, si diu perdurant, praesertim in pueris et virginibus, exspectari debent peiora mala, ut cachexia, viscerum abdominalium obstructiones, ventris tumor, mesenterii infarctus, cacochymia, macies, atrophia, hydrops. Mulieres vero utero gerentes minus detrimenti percipere, una fere voce testantur clinici exercitatiores. Ad *cibi fastidium* sive *anorexiam* spectant sequentes HIPPOCRATIS aphorismi: *mente constare, et bene se habere ad ea, quae offeruntur, bonum; contra se habere, malum* [1]). *In morbo diuturno cibi fastidium et deiectiones sincerae, malum* [2]). *Malum quoque in dysenteriis, et cum febre peius* [3]); in universum prae ceteris metuenda est *apositia*. Causam saepe indicat gravissimam et vix depellendam. In morborum declinationibus appetitus languens aut deiectus crisin imperfectam significat, et metum iure incutit, ne aegri recidivi fiant.

De pica et malacia quid metui debeat.

Prognostica appetitus imminuti ex HIPPOCRATE.

Ceteris periculosior APOSITIA.

Quid significet in morborum declinationibus.

1) *Aphorism. XXXIII. sect.* 2.

2) *Aphorism. VI. sect.* 7.

3) *Aphorism. III. sect.* 6.

C u r a t i o.

§. XXXII.

Curatio cynorexiae et bulimi.

Quid si a gastrici liquoris acrimonia sit.

Diluentia.

Oleosa.

Absorbentia.

Magnesia alba.

Curatio *cynorexiae* et *bulimi* eo spectare debèt, ut sensatio illa permolesta famis, quam dixi (§. XXVII.), deleatur. Id vero praestabitur causas eius singulares removendo. Quare ubi hae in gastrici liquoris acrimonia nimia consistunt, diluentia aquosa, oleosa, pinguia, mucosa, lac vaccinum, lacticinia, terrea, alcalica et similia magna copia et longo tempore sumenda indicantur. Quibus subinde interponere blanda evacuantia, et sic morbi fomitem deturbare, convenientissimum est. Inter ea, quae alvum laxant, hic ceteris praestat magnesia alba liberali manu et iterato praescripta. Si his malum non cesserit, emetica etiam tentari possunt, ubi nihil obstet, eo consilio, ut totum gastricum systema excutiatur, et breviori via noxius humor emendetur. Radix ipecacuánhae primum locum sibi vindicet.

Quando emeticis utendum.

Sensibilitatem et irritabilitatem auctam compescentia.

Sensibilitas et irritabilitas ventriculi aucta, auctusque eius peristalticus motus, ut causis famis auctae adnumerari interdum potest, sic consopiri compescique debet remediis opium habentibus, quibus illud etiam efficitur, ut vomitus et cita assumtorum ex alvo deiectio conquiescat. Quod maxime faciendum, cum *hysterica* aut *hypochondriaca nervorum mobilitas* morbum fovere videatur.

Vini usus famem coërcet, praesertim in bulimia.

Famis quoque sensum vinum generosum et dulce retundit iuxta illud HIPPOCRATIS [1]): *famem vini potio solvit.* Id autem praestantius erit in ipso *bulimo*, quia cardiaca vi lipothymias et syncopes praecavebit.

Quando anthelminthica conveniant.

Acida mineralia.

Si *vermium* suspicio inciderit, quae eos enecare, obstupefacere aut expellere posse creduntur, in usum vocentur. De his iam alibi [2]) satis retulimus. Hic praecipue acida mineralia conveniunt, et speciatim spiritus sulphuris, quo famem caninam curasse POTERIUS fertur. Fortasse *fames* illa erat a *vermibus*, aut etiam a nimia ventriculi irritabilitate, quam imminuere sane potuit acidum sulphureum, quin *alcalinam volatilem* acrimoniam acido corrigen-

rigendam in illo casu fingamus. Demum *pylori laxitati* aut *dilatationi*, ob quam praeproperus et praeceps a ventriculo ciborum descensus fiat, *cynorexiam* aut *lycorexiam* pariens, medebitur imprimis abstinentia et alimenti in plures vices cauta divisio, videlicet ut vacuus ventriculus tempus pyloro relinquat sese contrahendi. Nec eo in casu tonica et leniter adstringentia paregoricis mixta praetermitti debent.

Quomodo pylori laxitati, a qua cynorexia et lycorexia, medendum.

Tonica et paregorica.

1) *Aphor. XXII. sect.* 2.

2) *Vol. I. De febrib.* §. *CCCCII.*, et huc quoque referatur *Cap. X.*, quo peculiariter agitur *de vermibus.*

§. XXXIII.

Quod spectat ad appetitus depravati, sive *picae* et *malaciae* (§. XXIII. et XXV.) curationem, in hac non modo gastricis succis restituenda est naturalis et pristina temperies, verum imaginationis etiam vitium tollendum ventriculusque firmandus. Saepe leni vomitu aut alvi ductione causa sive fomes morbi subtrahitur. Si acor nimius peccet, terreis, alcalicis, absorbentibus, nempe oculis cancrorum, terra *nucerina*, *lemnia*, *bezoar minerali*, ut appellant, magnesia nitri, coralliis pulveris forma datis corrigitur. Evacuationes suppressae omni ope revocentur. Cautius in feminis gravidis procedere oportet. Namque in his natura saepe ipsa sibi prospicit aut vomitu excitato, aut paulatim sponte, sic ut post tertium aut quartum gestationis mensem omnis appetitus depravatio finiatur. In universum iucundis aptisque epulis, vino rubro et generoso, probabili sermone et prudenti consilio, subacidis, amaricantibus, tonicis atque imprimis e ferro deductis aliisque auxiliis ad rectam victus rationem usumque ciborum salubrium aegri paulatim redigendi sunt.

Curatio picae et malaciae.

Quae praemittenda.

Si ab acore nimio quid.

Suppressae evacuationes revocandae.

Cautela circa gravidas.

Victus ratio.

§. XXXIV.

Dysorexiae demum, *anorexiae* atque *apositiae* (§. XXVI. XXIX.) adhibenda etiam curatio est, quae causarum varie-

Curatio imminuti aut deleti appeti-

tus iuxta varias eius causas. tati respondeat. Si *lenti* et *viscidi humores ventriculum oppleant*, eiusque *sensum* atque *irritabilitatem obtundant*, quod ex corporis habitu, temperamento, aetate, victu praecedente, sapore oris fatuo, salivae lentore, linguae albedine, epigastrii pondere dignoscetur, salibus neutris, gummi ammoniaco, sapone veneto incidendi primum solvendique sunt, deinde eccoproticis subducendi. Hoc nomine excellunt rhabarbarum, aloë, agaricum atque ex his varia compositorum genera. Nec locus denegatur blandae emesi, quando aeger eidem assuetus sit, aut ad vomendum propendeat, aut morbus memoratis medicamentis parum obediat, nec ullum contraindicans illam prohibeat.

Incidentia.

Eccoprotica.

Quando emesi locus pateat.

§. XXXV.

Si ab inertia humoris gastrici et atonia ventriculi. Si vero *gastricus liquor iners* videatur, et *ventriculi atonia* simul concurrat, quod causae remotae consideratione patebit, aperientibus, amaris, leniter aromaticis, stimulantibus et roborantibus utendum erit. Inter haec celebrantur absinthium, abrotanum, centaureum minus, chamaedrys, mentha, radix caryophyllatae, valerianae sylvestris, lignum quassiae, cortex cascarillae, mali aurantii, chinae chinae et prae ceteris chalybs. Ex his parantur diluta, decocta, tincturae, extracta, elixiria multiplicia pro varia rerum, aegri et aetatis ratione. Elixir illud, quod a *Paracelso* nomen habet, quodque in magno pretio habetur, ex aloë constat, myrrha et croco. Sed caute in temperamentis calidis et siccis, et regionibus meridionalibus, aut aestivis temporibus, nam nimium calefacit atque exstimulat, a prudentioribus usurpari solet.

Aperientia et roborantia quae.

Cautio in usu elixirii Paracelsi.

§. XXXVI.

Quae biliosam colluviem emendent evacuentque. Quando amarus oris sapor, linguae, oculorum, cutis flavedo, ructus nidorosi, urinae coloratiores aut croceae bilis copiam, aut alcalescentem corruptamve naturam significant, corrigenda atque evacuanda *colluvies illa biliosa* est, quae appetitum deiecit, succis vegetabilium subacidis, tama-

Subacida.

rindis, cremore tartari aut blandis emeticis. Egregie etiam abstergit evacuatque aqua tectucciana, sal subamarum mutinense, anglicanum, carolinum, polychrestum magna aquae copia dilutum. A sanguinis vero copia, aut motu eius concitatiore, aut circa ventriculum congestione *cibi fastidium* manare si ostenderint plethorae signa, aut pulsuum citatus motus, aut evacuationes consuetae deficientes, tunc venam aperire oportet, haemorrhoides reserare, catamenia promovere, et vegetabilium succis, ut loquuntur, saponaceis stagnantem sanguinem in visceribus ventris resolvere, eiusque circuitum restituere. Huc pertinent succi cichorei, taraxaci, agrimoniae, graminis, aut horum decocta, melle aut oxymelle addito actuata, vel serum lactis cum aliqua illarum plantarum decoctum, aut pulpa tamarindorum sali cuidam neutro admixta atque epicratice data.

Evacuantia.

Curatio morbi, si a nimia copia sanguinis aliisve vitiis eiusdem sit. S. M.

Incidentia et resolventia.

§. XXXVII.

Quae demum *anorexiae* species aliorum morborum debentur praesentiae, tolli haud possunt, nisi primario morbo, si fieri possit, curato. Verum ubi morbus princeps nequaquam curationem admittit, vanus omnis labor ad appetitum revocandum. Interea tamen non deserendus omnino aeger est, dandaque opera, ut quam minimum damni patiatur, datis tonicis, antisepticis, antipyicis, et facile sub parva mole nutrimentum largientibus pro aegri consuetudine et lubitu. Ceterum in quovis huiusmodi vitiati appetitus genere ea victus ratio instituatur, quae causis ipsis tollendis accommodata sit. Generatim animi curae, et quaecunque nervorum vim et robur, aut humorum naturalem indolem aut copiam evertunt, et pessumdant, diligenter vitari debent. Corpus deambulatione, vectione, equitatione, cursu, venatu, fricatione frequenti roboretur. Balnea item frigida, aquae medicatae et martialia medicamenta apto tempore opportunissima reputantur, atque ad prophylaxin non minus, quam ad curationem maxime faciunt. Alimenta sint levia, grata, iucunda et leni quodam stimulo praedita. Fructus maturi

Curatio secundariae anorexiae.

Si princeps morbus incurabilis sit, quae conveniant aegrotis.

Diaeta.

Balnea, aquae medicatae et martialia.

atque olera plerumque optime cedunt, minusque nauseantur. Vinum meracum, non pingue, non dulce, sed tenue, acidulum, aut subausterum, quale rhenanum, austriacum, burdigalense, sed vetus et tempore perfectum, aut his simile videtur concedi posse, et reliquis antecellere.

CAPUT III.

DE LAESA ALIMENTORUM COCTIONE.

§. XXXVIII.

Quae et quot genera huius vitii. Quid dyspepsia. Quid bradypepsia. Quid apepsia.

Quatuor laesae coctionis genera reperiuntur apud medicinae practicae scriptores, nimirum Δυσπεψία, Βραδυπεψία, Ἀπεψία et Διαφθορά. *Primum* est, quando ciborum coctio sive digestio imperfecte difficulterque peragitur; *alterum*, quando tardius, quam decet, absolvitur; *tertium*, quando penitus deficit atque aboletur, sic ut cruda alimenta in ventriculo maneant, aut inconcocta deiiciantur; *quartum* demum, ubi spontaneam corruptionem subeunt potius, quam digerantur. Raro autem haec vitia seorsum, prout descripta sunt, sese exhibent; sed saepissime vario modo complicata simul inveniuntur. Atque ubi *diaphthora*, sive *alimentorum spontanea degeneratio* fit, duplex emergit cruditatis ratio, nimirum *nidorosa* sive, ut aliter dicitur, *alcalescens* aut *putrida*; atque *acida* altera, quam *sodam* aut *ardorem ventriculi* aut Πύρωσιν nominant nonnulli. Addi his potest cruditas *rancescens* aut *rancida*, quae sapore a reliquis facile distinguitur.

Diaphthora quid. Haec vitia raro sola, et saepe complicata. Ex diaphthora duplex cruditatis species, i. e. nidorosa, et acida sive soda.

§. XXXIX.

Tertia quoque, rancida dicta, addenda.

Quemadmodum plures causae ad rectam ciborum coctionem concurrunt, et necessariae sunt, quas physiologia recenset atque explicat, sic earum omnium, aut quarundam

defectio, imminutio aut depravatio eam delent, impediunt, minuunt aut vitiant. Itaque huc referri debent pleraeque illae causae, quibus (§. XXVIII. XXIX.) laedi, depravari aut deleri appetitum docuimus, et praeterea mala ciborum conditio, copia nimia, praeparationis defectus, liquoris salivalis, gastrici, duodenalis, biliaris videlicet et pancreatici parcitas, inertia, dyscrasia vitiataque indoles, tumores, ulcera, calli aliaque mala ventriculum proxime aut remote laedentia, irritantia, comprimentia, laxantia, et demum quae frequentissima causa habetur, ventriculi atonia et paralysis, aut contra spasmus, unde peristalticus eius motus aut languet, aut cessat, aut turbatur, aut cohibetur. Quando atoniae et paralysi malum debetur, *imbecillitas* etiam et *resolutio ventriculi* a nonnullis appellatur.

Causa laesae coctionis.

Quae frequentior.

Imbecillitas et resolutio ventriculi.

Diagnosis.

§. XL.

Viliatae coctioni obnoxii imprimis sunt desidi vitae et litterarum studiis dediti, pathematibus animi diu vexati, hypochondriaci, melancholici, debiles, languidi, vino et venere soluti et fracti. Eos autem angunt ventriculi pondus, inflatio, languor, distentio, anxietas, fluctuationis in eo perceptio, murmura, flatus, ructus frequentes, praesertim quinque vel sex horis a pastu permolesti, rubores faciei, difficilis aut gravis respiratio, pravus oris sapor, lingua muco albo aut flavo obducta, cibi semi-concocti per os reiectio, appetitus plerumque deficiens, alvus saepe compressa, ventriculi aut intestinorum dolores, borborygmi, quandoque diarrhoea, faeces cinereae, alias virides, animi leves defectiones, ieiuno praesertim ventriculo, globus ad fauces ascendens, ibique boli instar haerens, cordis palpitationes, vapores fugaces, pulsuum mira varietas, vertigines, capitis dolores, imprimis circa frontem aut tempora, aurium tinnitus, vigiliae nocturnae, somni interrupti, pallor faciei, tristitia,

Signa communia.

timor, macies. Atque haec quidem communia habentur cuiusque *laesae coctionis* ciborum. Sunt vero quaedam propria singularum *cruditatum* (§. XXXVIII.), sed praecipuus oris et ructuum sapor eas distinguit; nam in *nidorosa* sapor quidam putridus, qualis ex ovis corruptis percipitur, permolestus est, et quidquid carnis, iuris aut animalis cibi est, aegri odio habent atque aversantur; contra acida, acescentia, vegetabilia tantummodo cupiunt. In *acida* autem cruditate insolitus acor salivam inficit, et si quid e ventriculo ructus forma aut flatus erumpit cibi aut humoris, acidum saporem prae se fert, fauces exurit, et in terram decidens aceti instar ebullit. In hac cruditate saepe queruntur de ventriculi quodam ardoris sensu, veluti roderetur. *Rancida* demum cruditas subsequitur cibos pingues, oleosos, et praecipue ex butyro aut flore lactis paratos, et in eructationibus fauces atque os sic afficiuntur, ut a butyro rancido et corrupto affici solent.

Signa propria cuiusque cruditatis. Nidorosa.

Acida.

Rancida.

Prognosis.

§. XLI.

Dixi, quomodo *laesae ciborum coctiones* manifestentur. Restat modo, ut dicam de morbis, qui eas subsequi consueverunt. Hi profecto innumeri fere sunt, sed frequentiores videntur cardialgiae, dolores colici, varia alvi profluvia, hypochondriasis, cachexia, scorbutus [1]), phthisis, atrophia, obstructiones imi ventris, hydrops, arthritis, podagra, nephriticae aliaeque chronicae affectiones, imo etiam febres gastricae acutae aut lentae, putridae, malignae et quandoque exanthematicae. Quare non negligenda istiusmodi coctionis ciborum vitia, et, quoad per eorum causas licet, emendanda pro viribus. Spes autem omnis curationis obtinendae sita est in recenti origine morbi, in eius levitate atque in aegrotantis facili ingenio, quo libenter legibus medicinae se obliget, et consiliis idoneis aures praebeat.

Morbi inde geniti.

Non spernenda vitia huiusmodi coctionis.

Spes curationis pendet a recenti origine morbi.

Non tamen facile promittenda salus est; saepe enim ob levissimos diaetae errores recrudescit malum. Interdum etiam a causis, quae minime removeri possunt, fovetur, inter quas *resolutio ventriculi* ponenda quoque est, quae raro atque aegerrime medelam recipit.

Ob leves diaetae errores recurrens malum.

Quaedam causae nequeunt removeri.

1) Facilis est transitus a laesa ciborum coctione in affectionem hypochondriacam, atque ab hac in scorbutum. Ante annos amplius viginti quinque vir aetate florens, temperamento melancholico biliosus, civis Faventinus, DOMINICUS BERTOLATIUS cruditate acida laborabat, ex qua non modo in hypochondriasin, sed etiam in scorbutum verum atque omnibus signis confirmatum incidit, non putridum certe, ut plerumque esse solet, sed acidum frigidumque. Tanta autem fuit acidi spontanei, ut vocant, vis et progressio, ut saliva reliquique humores aceti acerrimi atque erodentis saporem referrent. Nec ulla arte potuit acor ille obtundi aut emendari, quamquam longo tempore plurium excellentium medicorum consiliis usus esset, ita ut demum macie lenta confectus, et viribus vitae paulatim deperditis extremum diem obire debuerit. Vidi ex eadem causa scorbuto laborantem nobilem quendam virum Florentinum, cui medicam opem ferebat doctrina, atque usu praestantissimus, si quis alius, XAVERIUS MANETTIUS. Illi autem tanta erat in acidam cruditatem proclivitas, ut neque ius carnis, neque carnes ipsas assumere posset, nisi ex avibus exteris ad *alcalescendum* pronioribus. Cetera enim alimenta, etiam iurulenta et carnea aciditatem molestissimam in eius ventriculo acquirebant. Vegetabilis diaeta, cuius laudes eximias celebravit Cl. COCCHIUS, pluries tentata, semper plurimum detrimenti eidem attulit. Rara, fateor, haec quidem exempla, sed vera, atque meis oculis visa nolui silentio et oblivione perirent.

Observatio rara auctoris.

Alia observatio XAV. MANETTI.

Curatio.

§. XLII.

Ut causae *ciborum fastidii* prope eaedem sunt *laesae* eorundem *coctionis*, sic indicationes et curatio (§. XXXIV. *ad* XXXVII.) ibi propositae huic quoque morbo conveniunt. Generatim aperientia et amaricantia laudantur, utpote quae gastricorum succorum et bilis et succi pancreatici secretionem promovent, copiam et vim augent, et naturalem eorum crasin restituunt. Non debent tamen promiscue adhiberi, nec sine delectu. Ratio enim, uti in omni alio morbo, habenda est aetatis, temperamenti, sexus, re-

Indicationes.

Curatio generalis.

In calidis siccisque tempera-

mentis quae remedia. Aperientia. gionis atque anni temporis, et pro horum diversitate modo haec, modo illa deligi et praeferri. In calidis puta, et siccis temperamentis gramen, cichoreum, acetosa, fragraria, *Quae in frigidis et humidis.* agrimonia, taraxacum inter aperientia atque amaricantia primas habebunt; contra in frigidis et humidis temperiebus praestabunt radices apii, petroselini, dauci sylvestris, absinthium, abrotanum, marrubium et sic porro. Idem dicito *Eccoprotica et alvum ducentia.* de eccoproticis et alvum ducentibus. Priori in casu cremor tartari, tamarindi, manna, sales medii, in altero rhabarbarum, aloë, sales fixi plantarum, sapo venetus opportuniora erunt. Itaque *therapeutices* notissima praecepta probe observentur, et pro circumstantiarum diversitate medicamenta quoque prudenter accommodata eligantur.

§. XLIII.

Si ab atonia quae curatio. In ea vero *ciborum coctione laesa*, cui causam praebet fibrarum laxitas atque atonia, aut nervorum resolutio, in *Roborantia.* universum roborantia utiliter adhibentur, quae inter excellunt cortex aurantiorum, chinae chinae, cascarillae, radix valeria- *Acidulae ferratae.* nae sylvestris, rubiae tinctorum, ligni quassiae, aquae acidulae ferratae, uti spadanae, recobarienses, mauritianae aliaeque plures huius census, et ferrum ipsum varia ratione praeparatum, delicatioribus nimirum menstruo vegetabili solutum, robustioribus in scobem tenuissimam redactum. Prod- *Quid resolutione ventriculi laborantibus.* est etiam quamplurimum *resolutione ventriculi* laborantibus aqua frigida perfundi, in ea natare, stillicidio epigastrium subiicere, membra saepius perfricare, exerceri, rusticari, peregrinari, equo vehi, atque in aëre puro et perflato vitam *Quibus cito cibus putrescit in ventriculo quae nutritio.* degere. Praeterea quibus cito in *ventriculo cibus putrescit*, e carnibus dandae illae potissimum sunt, quae paulo firmiores et duriores habentur, uti bubulae. *Acidae cru-* *Quae cruditatibus acidis.* *ditati* magis resistunt potus aqueus, carnes, et quidem avium atque animalium sylvestrium, pisces, ova atque olera acria et ex plantis cruciformibus depromta. Contra *nido-* *Quae nidorosis et rancidis.* *rosae* et *rancidae* opponuntur acida, acescentia, victus ve-

getabilis, legumina, farinacea, vinum acidulum, abstinentia a carnibus, ab ovis, a pinguibus, aut oleosis.

CAPUT IV.

DE NAUSEA ET VOMITU.

§. XLIV.

Gradu tantummodo videntur differre inter se *nausea* et *vomitus*. Illa vomitum plerumque antecedit, estque inutilis vomendi cupiditas, saepe aliquo cum conatu. Hic vero, nempe *vomitus*, est violenta eorum, quae ventriculo continentur, aut in ipsum et proximas eius partes confluunt, per os reiectio. Ut autem levior motus fibrarum oesophagi ac ventriculi inversio *nauseam*, sic validior, adductis in contractionem spasticam saepe diaphragmate et musculis abdominalibus, *vomitum* efficit. *Definitio nauseae et vomitus.*

§. XLV.

Causa proxima utriusque est *convulsiva oesophagi*, aut *ventriculi*, aut *adnexarum partium irritatio*, at eiusmodi porro, ut motus ab inferioribus ad superiora invertatur. *Causa proxima utriusque.* Huic efficiendae sunt apta ea omnia, quae ciborum desiderium imminuunt, augent, aut depravant (§§. XXVII. XXVIII. XXIX.), aut coctionem alimentorum (§§. XXXIX. XL.) impediunt. *Causae remotae.* Quorum aliqua ventriculo insident, aliqua extra ventriculum quidem exstant, sic tamen, ut connexione, sensibilitate, consensu eum afficiant. *Aliae in ventriculo, extra eum aliae sunt.* Insigniora vitia, quae ventriculo insunt, quaeque vomitum diuturnum excitant, sunt obstructio pylori, eiusdem callus, scirrhus, ventriculi ulcus, abscessus, hernia [1]), carcinoma, superioris orificii laxitas et atonia, sanguis vasa ventriculi nimium distendens, aut in iis stagnans, inflammatio eius [2]), pravorum humorum colluvies, *Quaenam ventriculi.*

acria, venenata, pinguia, putrida ingesta et retenta, vermes.

Extra ventriculum vitia quae. Quae extra ventriculum esse solent sunt capitis ictus, cerebri vulnus, communis sensorii quaevis laesio, imaginationis vis, nervorum paris vagi, pharyngis laryngisve irritatio, hepatis [3]), pancreatis, mesenterii, lienis, renum, uteri, vesicae mala, abdominis musculorum aut intestinorum inflammatio, tumor, obstructio, strangulatio, spasmus, motus rhedae, navis, reique ingratae conspectus. A ligato sarcomate in fronte vomitum sympathicum excitatum, narrat P. C. Abilgaardus [4]).

Observationes.

1) *De herniis ventriculi et eius effectibus vide notam in fine huius capitis post* §. *LII.*

2) *Vomitum* ab huiusmodi causa esse genitum, et subsecuta gangraena etiam mortem, patet ex historia, quam refert Baronius in *actis acad. Parisin. ann.* 1748. Vid. etiam *Comm. Lips. vol. II. P. I. p.* 31. *Ex sch. auct.*

3) Post vomitum contumacissimum ingestorum aeque ac materiae nigrae foetidaeque cum alvo adstricta Cl. Lieutaudius in cadavere vetulae *lobum minorem hepatis excavatum* invenit, in quo haerens putrida sanies ventriculum arroserat, viamque in eum sibi fecerat. *Hist. anat. med. I. T. I. p.* 35. *Ex sch. auct.*

Observatio auctoris de vomitu diuturno et lethali. De vomitu diuturno et lethali *legi meretur observatio ab auctore descripta et inserta n. XXXI. voluminis I. collectionis, quae inscribitur* — Observationes medicae, quae anatomia superstructae sunt — *et quam Lucae edidit Cl.* Benvenutus *ann.* 1764.

4) *Collect. soc. med. Havnien. vol. I. p.* 176.

§. XLVI.

Utriusque differentiae. Idiopathici et sympathici, primarii et symptomatici etc. Aliae differentiae a materiae qualitate. Hinc *nauseae* et *vomitus* multiplices differentiae. Malum enim vel *idiopathicum* est, vel *sympathicum*, *primarium*, vel *secundarium* et *symptomaticum*, item *periodicum*, *frequens*, *habituale*, *salutare*, *criticum*, *noxium* et sic porro. Pro varia quoque materiae reiectae ratione vomitus distinguitur in *pituitosum*, *biliosum*, *aeruginosum*, *atrabilarem*, *nigrum*, *verminosum*, *stercoreum*, *cruentum* etc. Rarum autem non est, sanguinem etiam in ventriculi cavum effundi, et vomitu sursum efferri; idque fieri aliquo ex modis, qui-

Sanguinei bus aliae haemorrhagiae (*Vol. III. c. XII. et Vol. IV. p. I.*

c. II. et alibi) eveniunt. At frequentior causa est lien obstructus. Vasa enim brevia sanguine restitante oppleta dehiscunt, et contentum liquorem in ventriculum evomunt. *frequentior causa.*

CHOLERA.

§. XLVII.

Quod si *vomitus* creber incidat, et eodem tempore, quo sursum fit evacuatio, haec ipsa deorsum etiam contingat, sic ut ore et ano multa et liquida una ac violenter expellantur, χολέρα id morbi dicitur. Periculo plenus sane morbus est, et intra paucos dies, imo horas saepe enecat. Oritur autem a causa vomitus ad intestina quoque et reliqua abdominis viscera propagata, sive a spastica et inordinata ventriculi atque intestinorum agitatione, qua quidquid in iis continetur, aut confluit, aut allicitur, violenter expellitur. Causae eius remotae frequentiores sunt fructuum horaeorum nimia ingurgitatio, liquores et cibi fermentescentes, bilis acerrima, purgantia acria, emetica, ac demum acre peculiare intus genitum, aut extrinsecus immissum. Aestate frequentissime corripere consuevit. Distinguitur a plerisque in *humidam* et *siccam*. *Sicca* autem est, quando copiosus aër tantum ano et ore violenter expellitur, nullus vero aut parcissimus humor, secus atque in *humida* contingit. Dividitur etiam in *spuriam* et *veram*. In illa alimenta et potulenta corrupta, in hac bilis aut putridi alii humores eiiciuntur. Febris eam comitatur, si quando gravior est, licet sine febri a plerisque observata describatur.

Definitio cholerae.

Causa proxima.

Causae remotae.

Differentiae cholerae.

Sicca et humida.

Vera et spuria.

SINGULTUS.

§. XLVIII.

Vomitui saepe praeit aut succedit *singultus*. Modo tamen solitarius est, modo aliis quoque morbis supervenit. Definiri autem singultus potest subita et successive recur-

Modo solitarius, modo non.

Definitio singultus.

rens velocissimae inspirationis interceptio, qua aër ita vehementer e pectore expellitur, ut ad glottidem et fauces allidens sonitum momentaneum ac peculiarem reddat. Praecipua et proxima eius causa videtur esse spastica, molesta et vehemens diaphragmatis contractio, quae tanta fit, ut momento temporis imae thoracis partes introrsum cum cruciatu adducantur, pulmonesque valide comprimantur. Plerumque simul musculi quoque abdominales convelluntur, unde thorace magis magisque constricto, vehementior aëris e pulmonibus resilitio contingit. Stomachus item in hoc affectu, oesophagus et glottis ipsa uno ferme eodemque tempore affici videntur. Imo in ventriculo ipso initium morbi plerumque est, atque ab eo ad alias deinde partes protenditur.

Causa proxima.

Initium morbi plerumque in ventriculo.

§. XLIX.

Remotae causae.

Quidquid igitur oesophagum, ventriculum, laryngem, diaphragma tam proxime, quam remote distrahere aut irritare acriter potest, *singultum* quoque poterit excitare. Huiusmodi sunt boli grandiores difficilius oesophagum transeuntes, copiosior potio uno ac subito haustu ingesta, nimia ventriculi repletio ac distentio, acris alimenti, medicamenti, veneni aut humoris cuiusvis in ventriculum illapsi natura, tussis ferina, pus, aqua, ichor in thoracis cavea collecta, nervosque phrenicos aut diaphragma irritantia, convulsivae quaecunque affectiones abdominalium viscerum, praesertim intestinorum, vesicae urinariae, hepatis, ac demum ipsius diaphragmatis inflammatio, vulnus, distractio, rosio et huiusmodi [1]).

1) De singultu *symptomate morborum exanthematicorum saepe auctor loquitur Vol. II. et speciatim* §. *CCCXLIV.; de curatione autem eius* §. *CCCLXVI. et alibi.*

Diagnosis et Prognosis.

§. L.

Signa morbi instantis.

Horum omnium affectuum (§§. XLIV. XLVII. XLVIII.) *diagnosis* per se facilis est. Neque multum difficultatis ha-

bet *prognosis*. Instante *vomitu* saliva uberior fertur, labrum inferius contremiscit, hypochondria tenduntur, et *nausea* cum stomachi subversione fit. Ceterum sive *nausea*, sive *vomitus*, cum a levioribus causis originem ducunt, periculo vacant, et vicissim. Consuetus, criticus, superflui, incocti corruptive alimenti aut humoris, per intervalla rediens, plerumque salutaris. Utilis quoque, si assumta venena reiicit, si alvo fluenti accedit, si neque quantitate, neque qualitate aut adiunctis symptomatibus terreat. Malus ac deterior est, si sincerus, si prasinus, si aeruginosus, si cruentus, imprimis exanthematicis morbis [1]) superveniens, si lividus, si saniosus, si foetidus, si stercoreus, si niger fuerit. Pessimus variis diversisque coloribus distinctus, aut cum distentio nervorum, singultus, virium languor, labor anxietasve eum consequatur; item qui morbis capitis, herniis incarceratis, ileo, inflammationibus supervenit. A graviditate aut suppressione mensium, etsi cruentus [2]) sit, non magnum periculum affert; neque semper noxius qui a lienis infarctu, nisi eo sanguis grumosus, crassus, acer, atrabilaris erumpat.

Quando vacet periculo, quando non. Quinam salutaris.

Qui noxius.

Qui pessimus.

Quid in gravidis.

1) Vid. *Vol. II. De morbis exanthematicis febrilibus,* ubi saepe de *nausea* et *vomitu* eorumdem symptomatis mentio occurrit.

2) *Exemplum vomitus sanguinis et carnis, utpote rarum, et felicis curationis, ex sched. auct. huc transferendum putamus.* „De nausea praecedente et appetitu prostrato diu conquesta quaedam mulier leniter purgatur. Sed postea vomitu corripitur, quo sanguis multus cum duobus carnis frustis eiectus est. Frustum unum lucii hepar, alterum pulmonis referebat substantiam, et valde magnum erat. Tum corroborantibus valetudini pristinae restituta. Vid. *Miscell. N. C. Ann. VI. observ. XXX. p.* 63.

Observatio.

§. LI.

Cholera vero *spuria* aut *sicca* periculi expers est. *Humida* autem ac *vera* saepe lethalis, atque acutissimus morbus. Solvitur interdum sudore critico, aut urina cum ardore reddita. Non raro inflammationem, gangraenam, syncopen aut lienteriam febresque lentas inducit. *Singul-*

Cholerae prognosis.

Singultus prognostica.

tus pariter pueris, hypochondriacis, hystericis familiaris non ita timendus est, ac qui acutis morbis et malignis febribus, ileo, herniis incarceratis, evacuationibus nimiis, hepatitidi praesertim, ischuriae vesicali, vulneribus ventriculi aut diaphragmatis supervenit. *Singultum* sternutamentum obortum sedat.

Curatio.

§. LII.

Materiales causae tollendae. *Blanda emollientia, oleosa, diluentia, roborantia, anodyna.* *Mixtura salina.* *Topica.* *Indicationes aliae.*

Curatio absolvitur iis, quae causas tollunt. *Nausea, vomitus, cholera, singultus* compescitur, si eius causa materialis ventriculo, aut oesophago, aut duodeno insideat, vomitum blande adiuvantibus, diluentibus, demulcentibus, oleosis, clysmatibus, ac demum corroborantibus et anodynis opium habentibus [1]). Huc quoque spectat vinum meracum calide sorbillatum, sal absinthii succo mali medici mixtus, et quaevis alia ventriculo iucunda atque amica; extrinsecus etiam cum theriaca admota. Si ab aliis causis sint, his pro re nata occurrendum est, aut saltem aptis remediis mitiganda symptomata sunt. *Observationes.* COMPARETTUS *vomitum* a tumore pylori ortum curatum narrat sublimati corrosivi usu in nosocomio Patavino anno 1771 [2]). *Vomitum sanguineum* nullis remediis cedentem in iuvene brumali tempore per frigidissimas potiones curavit MICHELOTTUS [3]). *Curatio singultus.* Moschi, camphorae ac opii vires in *singultu* a malignis perniciosisque halitibus diaphragma et ventriculum afficientibus, itemque cantharidum admotarum virtus adeo iam innotuere, ut his immorandum non sit. *Ad prophylaxin.* Ubi vero conquieverit malum, curare oportet exquisitissimo victus regimine, ne iterum, quod frequentissime evenit, recrudescat.

1) Vide *cap. seq.* §. *LXX. in nota* 5) quae de *antiemetica* virtute *radicis columbi* referantur, aliaque vomitum sedantia proposita §. CXI.

Cautio circa usum subli-

2) *Occursus medic. p.* 343. A sublimati tamen corrosivi usu non pauca damna ventriculo inferri, et saepe lentos chro-

nicosque morbos sequi contendit PIERACIUS (*Mém. de l'académ. de chirurg. T. IV. edit. in 4. p.* 153.); etiamsi quaedam interdum mala devicta videantur. Nec aliter sentire videtur F. C. MEDICUS. Vid. *suppl.* 2. *ad decad.* 11. *comm. Lipsiens. pag.* 225. *Ex sch. auct.* *mati corrosivi.*

3) *Comm. instit. scient. Bonon. in opusc.* Videatur *dissertatio de ratione venaesectionis in vomitu cruento laborantibus*, quae prostat in *Adversar. med. pract. Cl.* LUDWIGII *P. I. p.* 165. *V. S. in vomitu cruento.*

N O T A.

Coronidis loco nonnulla ad vomitum eiusque effectus pertinentia ex sched. auctoris addere liceat. „FABRICIUS HILDANUS commemorat *herniam* ventriculi subsecutam post emetici assumti enormes conatus. GARENGEOTUS etiam *tom. III. academ. chirurgicae Paris.* duas historias recenset huiusmodi herniae, quas in dubium fortasse iniuria vocavit GUNZIUS in suo *de herniis tractatu* Lipsiae edito ann. 1744, dum ipse tamen proprias refert huius herniae historias. Signa sunt tumor mollis in regione epigastrica, plus minus magnus, qui cedit et evanescit positu supino, vomitus comitans et digestionis vitia, anxietas, suffocationes, distractiones, dolores, alvi tarditas. Praecedunt ictus violenti. Reposita et vi contenta hernia cessant symptomata.“ Videatur etiam PIPLETUS iunior *Mém. pe l'académ. de chirurg. c. XI. p.* 294. *Hernia ventriculi ab emetico, eiusque signa.*

CAPUT V.

DE ALVI FLUXIBUS, SIVE ALVI PROFLUVIIS.

§. LIII.

Alvum fluere dicimus, cum saepius excrementa ano egeruntur, et liquida sunt, ac aliam, quam quae naturae faecum convenit, formam et speciem referunt. Praecipua vero *alvi fluentis* genera a clinicis commemorata rediguntur ad *lienteriam, ad coeliacam passionem;* ad *diarrhoeam* et *dysenteriam*, ac demum ad *cruentos alvi fluxus*, nimirum *haemorrhagias, fluxum hepaticum* et *nigrum* HIPPOCRATIS. De his itaque singulis brevissime dicere oportet. *Definitio.* *Fluxuum differentiae.*

LIENTERIA.

§. LIV.

Quid lienteria.

Cum epulae potionesque neque coctae, neque corruptae, sed crudae et quales fuerunt assumtae, vix ac ne vix quidem mutatae, celeriter et sine dolore, et citra sanguinis aut bilis mixtionem ano deiiciuntur (sive liquidae, sive solidae fuerint), λειεντερίαν Graeci, nostri *laevitatem intestinorum* appellant. Plerisque causa eius fluxus proxima videtur virium digerentium languor et fibrarum pylori nimia laxitas, unde sola respirationis vis inconcocta ex ventriculo alimenta depellit. Sed visa interdum est ampliata pylori capacitas sine *lienteria* [1]). Nos ergo *auctam ventriculi et intestinorum irritabilitatem in lienteria* arbitramur, qua ingesta citius expellantur deiicianturque, quam necesse est ad eorum coctionem. Idque comprobatur ab iis, quae *lienteriam* praecedunt, nam saepe *cynorexia* eam anteit aut comitatur, tum a medendi ratione, qua cessare solet, nam saepe remediis irritabilitati nimiae adversis curatur. Haud tamen negamus, interdum cum aucta intestinorum irritabilitate [2]) ventriculi languorem succorumque digerentium inertiam coniungi.

Causa proxima quorundam.

Quaenam auctoris.

Haec quandoque cum illa complicatur.

1) Morgagnius *Epist. anat. med. XXXI. n.* 7.

2) Intestinorum irritabilitatem nimiam quandoque accusat Swietenius §. 719. *V. pro causa vires etc.*

COELIACA PASSIO.

§. LV.

Quaenam coeliaca passio.

A lienteria parum distat *coeliaca passio* sive *affectio*, sive *coeliacus fluxus*, quem vocant. In hoc alvi excrementa ex concoctis quidem, sed liquidis et chylo intersperso albicantibus constant. Non itaque culpa in ventriculi actionem laesam aut deficientem reiicienda est; sed vera eius causa haberi potest impedita chyli in vasa lactea propulsio, aut ab-

Causa proxima. Remotae.

absorptio vel bilis et succi pancreatici defectu, quod chylum non satis attenuarint, vel intestinorum vitio, quod infirmiora et languidiora sint, vel vasorum lacteorum, quod vim absorbendi amiserint, vel cicatrice clausa, obstructa aut compressa chylo iter denegent. Quae omnia quum variis ex causis fieri possint, cuilibet vel leviter physiologia imbuto facile innotescunt.

DIARRHOEA.

§. LVI.

Quinam alvi fluxus diarrhoea.

Ut in superioribus alvi fluxibus ratio potius habenda est indolis materiae excretae, sic in sequenti eius copia magis attenditur. Quaecunque crebra, liquida et copiosa alvi deiectio, sive fuerit ex putridis liquatisque excrementis, sive cum his bilis, mucus, pinguedo, serum, aut omnes hi liquores confundantur, Διάῤῥοια dicitur. Plerumque nullus in ea dolor est; interdum tamen aliquis quoque circa intestina percipitur. Prout vero peculiaris humor prae ceteris excernitur, vocatur vel *biliosa*, vel *mucosa*, vel *pinguedinosa*, vel *serosa*, vel *aquea* et *colliquativa*. Distinguitur etiam in *criticam* et *symptomaticam* 1). *Quotuplex.*

1) *De hac veluti symptomate febrium, exanthematum aliorumque morborum tum capitis, tum pectoris pluries N. A. diu multumque in superioribus disputavit. Quare consulenda quae Vol. I. II. III. et P. I. Vol. IV. ubiq. ab eo tradita sunt.*

§. LVII.

Causa eius proxima.

Hanc proxime efficit uberior ad intestina humorum appulsus auctusque intestinorum peristalticus motus, sic ut ab absorbentibus vasis aequa mensura recipi non possint. Remotam causam suppeditant potus uberior tam calidus, quam frigidus, qui neque ad renes, neque ad cutis spiracula cito traducatur, acritates cum cibo, potione, aëre, medicamentis immissae, aut mora, dyspepsia et putrefactione intus progenitae, accumulata ac vitiata natura humoris ga- *Remotae causae.*

strici [1]), enterici, pancreatici, biliaris, aquearum quarumcunque excretionum et insensibilis perspirationis suppressio, metastases ad interiora acrium vitiatarumque materierum, dyscrasia sanguinis universi, aut eius inaequalis distributio ac ad interiora ob fibrarum intestinalium laxitatem confluxus, ataxia nervorum, animique pathemata, imprimis ira, difficilis dentium eruptio, vermes, abusus fructuum et rerum fermentantium, vina non defaecata, aquae corruptae [2]), nimius calor, febres acutae, et alia huius census.

1) Interdum in ipso ventriculo inventa est diarrhoeae causa. Vid. MORGAGNIUM *Epist. anat. med. XXXI. n.* 9. 10.

2) PRINGLIUS id testatur; itemque affirmat HEBENSTREIT *Anthropologia forens. sect. I. c.* 2. §. 12.

DYSENTERIA.

§. LVIII.

Quinam fluxus vere dysenteria vocetur.

Cum vero liquidis alvi deiectionibus accedunt intestinorum torsiones et crebri ventris dolores, frequens deiiciendi cupiditas, excrementa vero foetida admodum sint, et saepe exigua quantitate et muco adipi simili aut sanguine intermixta [1]), imo interdum filamentis, carunculis et membranulis scateant, tum fluxus huiusmodi Δυσεντερία dicitur, quo nomine *difficultas intestinorum* designatur. Hoc malum *tormina* vocavit A. C. CELSUS. Hinc patet, *diarrhoeam* et *dysenteriam* solo tantum differre gradu, cum in hac symptomata graviora omnino sint, et causa proxima, quam *acre* quidpiam efficit, *sensibilitatem* magis afficiat, valentius irritet, tenaciusque intestinis adhaereat, ea pungat, vellicet, rodat, ad egerendum sollicitet, inflammet, dolores, spasmos ac deiectiones excitet, mucum everrat, sanguinem ex dilatatis aut laceratis vasorum extremis exprimat, imo villosa ex tunica quaedam filamenta ac membranea frustula discerpat, cumque faecibus deturbet. Si *tenuia* tantum *intestina* afficiantur, dolor est acutissimus, isque maxime circa umbilicum excruciat, alvus non statim post do-

Differentia eius a diarrhoea.

Causa proxima eiusdemque symptomata.

Quando tenuia intestina afficiantur.

loris cruciatus deiicitur, cruorque magis cum excrementis admiscetur. Si vero *crassa*, obtusior est dolor, non ita assiduus, ab umbilico magis distat, statimque post eum deiectiones sequi solent, et cruor ac purulenta materia leviter excrementis adhaerent, aut tantummodo innatant. Verum saepe contingit, ut afficiantur utraque intestina; tuncque una simul haec phaenomena observantur.

Quando crassa.

Quando utraque simul.

1) *Sanguis* si desit, adsint vero reliqua signa, *dysenteria* tamen est, ut SYDENHAMIUS *sectione IV. c.* 3. pariter animadvertit.

§. LIX.

Remotae causae.

Remotiores eius causae sunt eaedem fere, ac *diarrhoeae* (§. LVI.). Inter has vero recensendum est *aestivum tempus post hiemem siccam et aquilonarem, ver autem pluviosum et austrinum* [1]). *Ver siccum et aquilonare post hiemem austrinam et pluviosam et tranquillam* [2]), diuturnae siccitates, aestus nimii, calidiores regiones, aër humidus et palustris, subitum insolitumque frigus, temperamentum cholericum aut atrabilare, *aetas virilis* [3]).

1) HIPPOCRATES *Aphor. III. n.* 11.
2) *Id Aphor. eod. n.* 12.
3) *Id. ibid. n.* 30.

§. LX.

Differentiae dysenteriae.

Dysenteria porro modo *sporadica* est, modo *epidemica*, modo *acuta*, modo *chronica*, modo *benigna*, *maligna*, *contagiosa*, *castrensis*, interdum cum *tenesmo* coniungitur, interdum in eum desinit, interdum eo caret. Est autem Τεινεσμὸς illa intestini recti molesta et dolorifica irritatio, quae inane plerumque et crebrum deiiciendi desiderium procreat. Videtur autem oriri a *nimia intestini recti sensibilitate*, quam muci absentia et interioris tunicae nuditas efficit, unde ad quodvis stimuli genus violenter contrahitur, ac quasi in globum contorquetur, qui fallacem corporis exitum molientis sensum mentitur. *Tenesmus* vero etiam sine dysenteria esse potest. *Rectum* enim *intestinum*

Quid sit tenesmus eiusque causa.

Quando sine dysenteria tenesmus.

ab acri muco, a spasmo, ab ascaridibus, ab inflammatione, ab haemorrhoidibus distentis, a calculis vesicae, a faecibus induratis ac haerentibus, aliisque causis irritatum in hunc morbum incidit. Tunc vero mucus tantum cruore conspersus deiicitur, anusque saepe prolabitur, ac alvina excrementa, ubi redduntur, naturalem servant figuram, colorem et naturam.

Eius notae.

FLUXUS CRUENTUS.

§. LXI.

Qui fluxus cruentus, et unde oriatur.

Cruentus quoque *alvi fluxus* non raro a clinicis memoratur, qui tum adesse solet, cum cruor purus, ut in haemorrhagiis, aut dilutus, aut nigricans, aut ater, aut splendens ex alvo deiectionibus fertur. Ex disruptis enim, dilatatis, aut erosis *ventriculi*, *intestinorum*, *hepatis* aut *pancreatis* [1]) vasis saepe magna copia sanguis funditur, ut *cruentus alvi fluxus* oriatur. Si sincerus, rutilus et magna copia feratur sine signis haemorrhoidum fluentium, a LIEUTAUDIO *fluxus mesentericus*, rectius vero *haemorrhagia intestinalis* vocatur. Si fuerit sanguis dilutior et aquae, in qua caro lota sit, similis, *fluxus hepaticus* a veteribus, a nostris vero *dysenteria hepatica* GORDONII, aut BALLONII, aut *hepatirrhoea vera* SAUVAGESII dici consuevit. Ab hepatis vasis per choledochum ductum in intestina traduci creditur, hepate atonia ac laxitate, aliove vitio, uti ulcere, abscessu, laborante. *Verum fluxum hepaticum*, observantibus LIEUTAUDIO et LUDWIGIO, negare non ausim. Sed similis quoque, et quidem sine dolore, ex *intestinis* et *pancreate* interdum fluere visus est, ut testantur plerique nuperiorum medicorum RIVERIUS, ETTMÜLLERUS, LIEUTAUDIUS, LUDWIGIUS, SAUVAGESIUS. Hunc fluxum vocavit TRALLIANUS *coeliacum affectum* [2]). *Coeliacus ventriculi morbus* CELSI habet ventrem durum, doloremque, alvum adstrictam, difficilem spiritum, crepitus emissionem impedi-

Quando dicatur fluxus mesentericus LIEUTAUDII, *sive haemorrhagia intestinalis.*

Quando fluxus hepaticus.

tam [3]). Tandem si nigrae, foetidae, acres deiectiones sint, et, quod peius, splendentes, *fluxus niger* ac *atrabilaris*, vel *morbus niger* HIPPOCRATIS et HOFFMANNI habentur, vel *fluxus spleneticus* GORDONII, *dysenteria splenetica* BALLONII. Ex sanguine enim congesto, stagnante, corrupto, nigro, acri e vasis ventriculi aut intestinorum ulcusculis cancrosis affectorum modo ruptis, modo erosis fieri consuevit. Atque haec *cruenta profluvia* scorbuticis, evacuationes consuetas non habentibus, febribus mali moris tam continuis, quam intermittentibus laborantibus, melancholicis, lienosis, obstructis, ictericis imprimis superveniunt.

Fluxus spleneticus GORDONII, *vel dysenteria splenetica* BALLONII.

1) BOERHAAVIUS id fieri autumat, quando *pancreate scirrhoso* existente catharticum propinetur. Tunc eius vi aucta circulatione *vasa* circa *scirrhum* sita urgentur, et tandem disrumpuntur. *De virib. medicamentor. pag.* 205.

2) *Lib. VIII.*

3) *Lib. IV. cap. XII.*

Prognosis.

§. LXII.

In *lienteria* et *coeliaca passione* aegri fructum alimenti non sentiunt, ac in malum corporis habitum, atrophiam, tabem, hydropem incidunt. Ardor hypochondriis inest, et sitis ingens urget, ac interdum cibi fastidium. Interdum morbus trahitur, interdum aegros praecipitat. In tenera aetate facilius depellitur, utique si urina copiosius fluxerit, et corpus ali incipiat. Difficillime in provectioribus hominibus, praesertim si *dysenteriae* diuturnae successerit, si os exulceratur, si facies rubet, si venter gracilescit et rugosus fit, si senes diu fatigat. *In diuturnis intestinorum laevitatibus ructus superveniens, qui prius non fuerit, signum bonum* [1]).

LIENTERIAE *et* COELIACAE PASSIONIS *prognostica fausta et infausta.*

1) HIPPOCRATES *Aphorism. VI. n.* 1.

§. LXIII.

In omni autem *alvi fluxu* illud HIPPOCRATIS memoria tenendum est, quod sic habet: *In perturbationibus alvi*

Signa bona cuiusvis alvi profluvii ex

Hippocrate et C. Celso.

et vomitibus spontaneis, si qualia oportet purgentur, confert, et facile ferunt; sin minus, contra [1]). Item apposite scribit Corn. Celsus [2]): *Uno die fluere alvum, saepe bonum, et etiam pluribus, dum febris absit, et intra septem dies quiescat; purgatur enim corpus, et quod laesurum erat, utiliter effunditur. Verum spatium periculosum est: interdum enim tormina et febrem excitat, viresque consumit.* Huc spectant alia, quae apud Hippocratem leguntur. *A longo alvi profluvio detento spontaneus vomitus superveniens morbum solvit* [3]). *Ophthalmia laborantes alvi profluvio corripi, bonum* [4]). *Si leucophlegmatiae vehemens diarrhoea supervenerit, malum solvit* [5]). *Quibus in febre aures obsurduerint, his sanguis e naribus effluens, aut alvus exturbata morbum solvit* [6]). *Alvi fluxus interdum solvit praecordiorum, aut crurum et inferiorum partium dolorem derepente absque febre natum* [7]). *In alvi profluviis mutationes excrementorum iuvant, nisi in prava mutentur* [8]). *Qui alvi profluvio diutius cum tussi detinentur, non liberantur, nisi dolores vehementes ad pedes contigerint* [9]).

1) *Aphor. II. sect. I.*
2) *Lib. II. cap. X.*
3) *Aphor. sect. VI. n.* 15.
4) *Coac.* 224. *de iudic.* 83.
5) *Aph. sect. VII. n.* 29. *et Coac.* 457. 482.
6) *Aph. VI. n.* 60. *Coac.* 210.
7) *Coacar.* 294.
8) *Aphor. II. n.* 14.
9) *De iudicat. n.* 17.

§. LXIV.

Item infausta praesagia ex Hippocrate.

Quae sequuntur, deterioris notae indicia sunt. *Ex morbo diuturno alvi fluxus, malum* [1]). *Mulieri utero gerenti si alvus multum fluit, periculum est ne abortiat* [2]). Quod tamen perpetuum non est; interdum enim usque ad partum innoxie alvi fluxus perfertur, ac sponte a partu desinit. Hinc, nequidquam proficiente medico, naturae res

est committenda [3]). *Praerubrum in alvi proluvie excrementum, vitiosum; vitiosum etiam admodum ex viridi pallescens, aut albicans, aut spumans, aut aquosum. Item malum est, quod exiguum, glutinosum, leve et ex viridi subpallidum. Pessima quoque deiectio liquida in sopore et torpore detentis* [4]). *Alvus in febre ardente affatim prorumpens mortis periculum affert* [5]) *Quibus tabe laborantibus capilli de capite defluunt, hi alvi fluxu superveniente moriuntur* [6]). *A tabe detento alvi profluvium superveniens, lethale* [7]). *In iis, qui longo tempore consumti sunt, temerariae et quae praeter naturam fiunt alvi exsolutiones una cum vocis defectione tremula, perniciem denunciant* [8]).

1) *Aphor. V. sect. VIII.*

2) *Aphor. XXXIV. sect. V.*

3) SCARDONA (De morb. mulier. cap. IX. §. V.) *optime,* ait, *ab* HIPPOCRATE *adnotatum est, mulierem gravidam dysenteria laborantem, si convalitura est ab aegritudine* vel ipso partus die, vel paulo post *levari oportere.* Eaedem sunt SCHENCKII et MAURICEAU observationes. *Ex sched. auct.*

4) *Coacar.* 611.

5) *Coacar.* 129.

6) *Aphor. XII. sect. V.*

7) *Aphor. XIV. sect. V.*

8) *Coacar.* 634. *et* 258.

§. LXV.

Dysenteria quoque non levis est morbus, imprimis *maligna*, quae cum febre esse solet, et *epidemica*. In hac saepe inflammatio aut gangraena supervenit. Interdum etiam *dysenteria* in ulcera intestinorum desinit. *A deiectione sincera dysenteria, malum* [1]). *Intestinorum difficultate laborantibus vomitio biliosa circa initia malum est* [2]). *Dysenteriae, quae incipiunt cum nausea, deinde superveniat vomitus, paene omnes lethales sunt*, ut observat BAGLIVIVS, si nempe adsit in intestinis inflammatio [3]) *Tormina* omnia *mala sunt, si cum febre invadunt, aut variis alvi recrementis, aut iecoris inflammatione, aut praecordiorum, aut*

Prognostica DYSENTERIAE. *Malignae et epidemicae. Alia infausta praesagia ex* HIPPOCRATE *aliisque.*

Chronicae.

ventris; aut quaecunque doloribus cruciant, aut cibos cohibent, sitimque inferunt [4]). *In longis dysenteriis cibi fastidia mala, tum alias, tum si insuper febrierint* [5]).

Ab atra bile.

Dysenteria si ab *atra bile inceperit, lethale* [6]). Summopere enim caustica est atra bilis, et cito gangraenam accersit. *Si dysenteria detento velut carunculae secesserint, lethale* [7]).

Ab infarcto liene.

Quicunque lienosi a dysenteria corripiuntur longa, eaque in hydropem aut lienteriam convertitur, moriuntur [8]). *Celerrime is perit, quem maxima pars malorum symptomatum occupat* [9]).

In pueris.

Is morbus praecipue pueros a quinto anno perimit, et, qui eum superant, ad decimum usque; ceterae aetates tutiores sunt [10]).

A metastasi.

Peior est, quae a metastasi, quam quae ab ingestis oritur. Dolores subito conquiescentes, nigris foetidisque ex alvo sponte prodeuntibus cum virium prostratione, pulsu parvo ac debili, aliisque pravis symptomatis, gangraena lethali *dysenteriam* terminari significant.

Tenesmus quando lethalis.

Plerumque mortis signum est, cum *tenesmus* tantus est, ut perpetuo hiet anus, unde clysteres statim elabantur; aut ita constringatur, ut nihil possit immitti.

Quid singultus, maculae in facie et pustulae nigrae post aures.

Singultus diarrhoeae aut dysenteriae superveniens, aut *maculae* in facie erumpentes, aut *pustula nigra* post aurem lethalia sunt. *Pustula* autem *nigra* erumpens post *aurem sinistram* iuxta nonnullos mortem *vigesimo* die futuram praedicit. RIVERIUS etiam addit, manuum oedemata esse lethalia.

1) HIPPOCR. *Aph.* 23. *sect. VII.*

2) *Coac.* 463.

3) *In appendic. ad dysenteriam.*

4) HIPPOCR. *Praed. II. n.* 118.

5) *Id. epidem. VI. VIII. n.* 1.

6) *Aphor.* 24. *sect. IV.*

7) *Aphor.* 26. *sect. IV.*

8) *Aphor.* 43. *sect. VI. Coac.* 466.

9) *Id. Praed. II.* 118.

10) *Id. ibid. n.* 119.

§. LXVI.

Bene ominantur excrementa solidiuscula liquidis intermixta, et flatus seiunctim emissi. *Si flátus exire incipiant, brevi sanitatem promittunt* [1]). *Raro critica et benigna est. Attamen ab insania dysenteria*, bonum [2]). *Lienosis dysenteria superveniens*, bonum [3]). Item *quae non longa* [4]). Generatim *dysenterico plurimum inest spei, cui pravorum symptomatum paucissima adsunt* [5]).

Signa fausta in dysenteria.

1) Baglivius *Prax. med. lib. II. cap.* 3.
2) Hippocr. *Aphor. V. sect.* 7.
3) *Id Aphor.* 48. *sect. VI.*
4) *Coac.* 466.
5) *Id. Praed. II.* 118.

§. LXVII.

Cruentae alvi *deiectiones* sincerae aliarum haemorrhagiarum pericula et vices subeunt; ideoque in memoriam revocentur ea, quae alibi innuimus. Fluxus *hepaticus* in hydropem plerumque terminatur. *Niger* modo cita virium exsolutione, modo lenta tabe vitam adimit. *Morbis quibuscunque si bilis atra vel sursum, vel deorsum prodierit, lethale* [1]). *Quibuscunque ex morbis acutis, aut diuturnis, aut ex vulneribus, aut aliter quocunque modo extenuatis bilis atra, vel qualis sanguis niger subtus prodierit; postridie moriuntur* [2]). Nihilo tamen minus exstant observationes, quae docent, aegros interdum evadere.

Prognostica CRUENTI, HEPATICI *et* NIGRI HIPPOCR.

1) Hippocr. *Aphor. XXII. sect. IV.*
2) *Id. sect. ead. Aphor. XXIII.*

Curatio.

§. LXVIII.

Curatio in his affectibus eo tendat, ut causa primum tollatur, deinde symptomata mitigentur. In *lienteria* initio lenia abstergentia, uti serum lactis, oleum olivarum, rha-

Curatio generalis. LIENTERIAE *curatio.*

barbari tinctura aquosa, decoctum tamarindorum, deinde leniter sedantia, ac adstringentia, et stomachica, uti theriaca, diascordium *Fracastorii*, terra lemnia, catechu, sanguis draconis, amara, vinum mali punici, cydonia conveniunt. Haec vero imprimis, si atonia quoque morbum aut faciat, aut foveat. *Lienteria* saepe laborant pueri, quia infarctum et multa pituita tumentem habent ventrem, quo introitus in vasa lactea inhibetur: hinc corpus extenuatur, et omnia ingesta per anum deiiciuntur. Curantur autem eccoproticis, resolventibus, stomachicis. Myrrha, sal lixiviosum, aloë (hic ex vino) aliquoties in die parva dosi data brevi sanitatem restituunt [1]). Nec dissimili ratione agendum est in *coeliaca affectione*, dummodo aperientia simul et diuretica in usum vocentur. In *diarrhoea*, et multo magis in *dysenteria* inter initia, viribus adhuc integris, temperamento ac aetate florente, si febris aut dolores urgeant, venam etiam iterato secare oportet. Depletis vasis, ac inflammationis nullo indicio praesente, nec ullo alio morbo repugnante, si materia turgeat, emetico exturbanda est. Nec desunt exempla curationum per emetica praestitarum, ubi nulla signa docerent, aliquid circa primas vias haerere, quod stimulo suo fluxum alvi faceret. Contumaces huiusmodi *diarrhoeas* curavit SWIETENIUS [2]) dato singulis diebus per biduum mane vomitorio, deinde etiam alternis diebus per tres vel quatuor vices iterato, donec felici eventu sisterentur, quod adstringentia nequaquam efficere potuerunt. Vesperi tamen emetici operationem subsequente opiatum remedium dabat. Item SYDENHAMIUS [3]) et PRINGLIUS. Datur quoque epicratice a grani dimidio ad grana duo gummi tragacantha confectione hyacinthina, aut diascordio excepta [4]). Excellit imprimis *ipecacuanha*. *Dysenterias* anno 1731, Edimburgi grassantes, quae *diarrhoeas biliosas* subsecutae sunt, curatas fuisse narrant repetita eius dosi, narcoticis, rhabarbaroque cum mercurio dulci, qui vomitum interdum ciebat. Adstringentia vero noxia erant, nisi satis prius purgantia [5]) adhibita fuissent [6]). In illa tamen, quae Lon-

Cur pueri huic magis obnoxii.

Aptiora illis remedia.

Curatio COELIACAE *passionis.* DIARRHOEAE *et* DYSENTERIAE.

V. S. quando instituenda.

Emetici utendi ratio in contumaci diarrhoea.

Tragacantha et opiata.

Ipecacuanhae efficacia in dysenteria epidemica.

dini epidemica fuit anno 1762, GEORGIUS BACKERUS contendit, inutile prorsus remedium ipecacuanham fuisse, nec multum opio et rhabarbaro, nisi in fine morbi, tributum, ceteris emeticis praeferens tartarum stibiatum [7]). In Galliis vero anno 1745 autumnali tempore *dysenteria* pariter *epidemica*, quae neque ipecacuanhae, neque simaroubae, neque aliis cedebat remediis, vitro antimonii cerato, referente DU HAMELIO et ARNALDO [8]), tuto et feliciter cessit. A PRINGLIO quoque summopere laudatur; sed GEORGIUS HEUERMANNUS [9]) miratur, quomodo is tam saepe illud suaserit; vitrum enim antimonii ceratum putat referendum esse inter minus tuta remedia, quia cera semper per liquores ventriculi eiusque calore liquata augeri *dysenterias* ipse viderit. Contra commendat fabam pechurei (*pechurim*) brasiliensis, tamquam antidysentericum, quo ex triginta aegris vicenos sanavit. De hoc remedio mentionem iam fecerat Cl. BAECKIUS [10]). Praemissis vomitoriis et laxantibus dedit eius pulverem ad *scrupul.* ij. bis quotidie, et, si dolores postulabant, nocte opiatum exhibebat. Post emetica principem locum occupant lenientia, tamarindi, myrobalani, rhabarbarum, oleum, serum lactis, aqua tectucciana (quam certissimum remedium REDIUS et BAGLIVIUS [11]) habent), etiam per epicrasin adhibita, interpositis, noctu imprimis, paregoricis, de quibus modo dictum est. Lysimachia vulgaris flore purpureo, sive salicaria purpureo, sive lythrum *Linnaei* commendatur a TRELKELDIO [12]) medico anglo tam in decocto, quam in pulvere adversus *dysenteriam*. Salicariae quoque praestantiam in *diarrhoeis* ac *dysenteriis*, ubi a laxitate malum oritur, variis experimentis cognovit HAENIUS. Dato prius purgante, drachma una vel scrupuli jv. eius pulveris mane et sero dantur. Intra tres aut quatuor dies aegri curantur, dummodo sordium copia, nimia putredo, intestinorum ulcus, aut alicuius visceris labes absint; paulo vero longiori tempore, si fit diuturnior. Annosa diarrhoea ad quaevis rebellis remedia trium hebdomadum spatio sic curata est [13]).

Eius inutilitas in aliis epidemiis.

Tartar. stibiat.

Vitrum ceratum antimonii.

Faba pechurei brasiliensis.

Lenientia post emesin.

Lysimachia vulgaris.

HAENII *methodus in huius remedii usu.*

1) GORTER. *de fame* §. 42.

2) §. 722. *v. ex pulsu per emetica etc.*

3) *Sect. I. cap.* 4.

4) Vid. JURIEU *in notis* BREMOND. *ad transact. anglican.*

5) Cave tamen a radicis ialappae usu, qui lethalis interdum fuit in dysenteria laborantibus, aut reconvalescentibus, ut videre est in *collection. societ. med. Havniens. Vol. I. p.* 234. *Ex sched. auct.*

6) *Essais de médec. d'Edimbourg. Vol. I. pag.* 42.

7) *De dysenteria et catarrho utrisq. epidemic. ann.* 1762. *Londini* 1764.

Methodus utendi vitri cerati antimonii ex ARNALDO.

8) *Histoir. de l'acad. R. des scienc. ann.* 1745. En methodum ARNALDI, qua vitro cerato antimonii *dysenterias* curabat. Quinquaginta aegros eodem liberasse, nemine excepto, affirmat. Eos clysteribus et lenitivo antea praeparabat; postea sex vel octo grana eiusdem cum rosarum conserva alternis diebus propinabat, vespere autem anodynum exhibebat, terque, quaterque repetebat remedium. Denique curationem, superstitibus doloribus, leni opiato finiebat. *Comment. Lipsiens. p.* 273. *et Giornal. medic. di Venezia ann.* 1764. *n.* 50. *p.* 396.

9) *Comment. de reb. in sc. N. et M. gest. Vol. XV. p.* 303.

10) *Ibid. Vol. X. p.* 198. *et XIV. p.* 516.

11) *Cap. de diarrhoea et dysenter.*

12) *Gazzett. d'oltremonti. n. VIII.*

13) *Rat. med. part. III. cap. V. p.* 214. *et P. IV. c.* 7. Vid. curationem *alvi fluxuum* ab auctore propositam centies in I. et II. *Vol.,* ex. caus. §. 295. *Vol. I.* et §§. 83. 144. 148. et alibi.

§. LXIX.

Quae enemata iniicienda.

Crebra item enemata iniicere proficuum valde est, primum abstergentia, deinde anodyna et sedantia, tandem balsamica et roborantia. Talia sunt, quae ex sero lactis et aqua hordei cum melle rosaceo fiunt, ex decocto pedum vituli et omento vervecis, ex lacte vitello ovi indito, aut terebinthinae eodem vitello ovi solutae tantillo, aut addita theriaca, diascordio, philonio romano, aut decocto radicum consolidae, bistortae, tormentillae, aut ex aqua fabrorum similibusque. Extrinsecus ventri admovenda quae molliunt laxantque, et postremo quae ventriculum et intestina roborant ac firmant. Vesicantia etiam efficacissima ad *chronicam*

Extrinsecus admovenda.

Vesicantia.

diarrhoeam, avocato aliorsum morbi fomite [1]), expertus saepissime est HAMILTONUS [2]).

1) *Chronicas* plurimum annorum *diarrhoeas* ac *dysenterias* curatas legimus a suppuratione vulnerum, quae iis laborantibus fortuito inflicta sunt. Fortasse id evenit, quia virus morbosum, quod dysenteriam fovebat, extra corpus eduxerat suppuratio a vulnere inducta. Vid. *Journal. de médec. de Paris. Avril.* 1756. *T. IV. p.* 369. Ibi etiam narratur, quempiam post suppuratas colli glandulas a *diarrhoea habituali* fuisse sanatum. *Ex sched. auct.* *De revellentibus observatio.*

2) *De Febr. miliar. cap. VII.*

§. LXX.

Curatio FLUXUS PUTRIDI *cum* ATONIA *coniuncti.*

Serosis putridisque deiectionibus remedio sunt, si simul concurrat atonia, adstringentia. Cortex simarubae ex America sub huius saeculi initium in Europam allatus [1]) inter haec recensetur, daturque vel in subtilissimum pulverem redactus, et aqua infusus [2]), vel ex aqua decoctus [3]). Cortex quoque connessi, poegerebae [4]), cascarillae [5]), peruvianus, radix tormentillae eundem usum obtinent. Radix *Iohann. Lopez* [6]) simarubae praeferenda GAUBIO videtur [7]). Hodie magno in pretio habetur radix *columbi* [8]). Mespila immatura magna copia vorata a SWIETENIO celebrantur [9]), sicut eius semina laudantur a VALERIOLA et FORESTO; FOTHERGILLIUS novum quoddam gummi adstringentis genus ex Africa delatum [10]) describit, laudatque ut pharmacum optimae notae adversus annosas diarrhoeas, fluorem album, immodicos alvi fluxus, et generatim contra quascunque laxitates et acrimonias [11]). Eundem in finem commendantur lapis haematites, tinctura rosarum rubrarum [12]), coralliorum *Helvetii*, acidi spiritus, atque ex opio parata. Sic aqua calcis vivae iuxta methodum BURLETI [13]) utilis habetur in *dysenteria.* Huius aquae libra una et semis cum tertia lactis parte singulis diebus epota *annuam dysenteriam* mitigavit, quam deinde librae tres quotidie per tres hebdomadas datae curarunt [14]). Sed GEORGIUS HEUERMANNUS in quadam constitutione *epidemica*, quae Haffniae anno 1757 et Rendsburgi anno 1759 et Kellenusae 1761 milites affli-

Radix COLUMBO.

Novum gummi genus a FOTHERGILLIO *laudatum.*

Alia commendantur. Acidi spiritus.

Aqua calcis vivae iuxta BURLETI *methodum.*

Observatio HEUERMANNI.

xit, frustra eam lacti admixtam, frustraque etiam corticem mangostanae et poegerebae adhibuit [15]). Si vero ab aciditate primarum viarum *dysenteria* oriatur, ut ab acerbis immaturisque fructibus, vino, lacte acidis, aliisque huiusmodi causis, tunc absorbentia in usum veniant. Hinc adeo commendat HAMILTONUS [16]) pulveres margaritarum, matris perlae, oculos cancrorum, cornu cervi calcinatum, et terras bolares SWIETENIUS [17]). Quod si acidum illud sit a nimia fermentatione dictorum vegetabilium ingestorum, acida mineralia danda sunt, quae nimiam cohibent fermentationis vim, et aërem evolutum fixum reddunt. Cum vero morbus putridae indolis sit, tum latius patet locus usui huiusmodi acidorum tam ad invertendam putridam colluviem, eamque evacuandam, quam ad vasa et intestina leniter vellicanda ac roboranda [18]). Potui demum aqua nucerina imprimis convenit, aut fontana chalybeata; nec minus prodesunt acidulae ferratae alias a nobis commemoratae. Item iura tenuiora succo citrei, aut limonii condita, gummi arabicum in aqua solutum [19]), decoctum hordei tam crudi, quam leniter torrefacti, oryzae, milii vulgaris [20]), radicis althaeae, aut saleb, cui substitui potest radix orchidis morionis *Linnaei* ob *gelatinosas eius partes* [21]), graminis et pimpinellae. Prodest pariter ex QUARINII fide [22]) infusum ex floribus papaveris rhoeados et sambuci siccis.

Curatio DYSENTERIAE *ob* ACIDITATIBUS STOMACHI.

Acida mineralia.

Quae potui danda.

1) *Essais de médec. d'Edimb. T. I. p.* 404. *edit. Paris.* Vid. etiam BARBEYRAC. *p.* 101.

2) *Comm. litter. Norimb. p.* 388—89. anni 1732 ex lib. inscripto — *Voyag. du chev. des Marchais en Guinée etc.*

3) *Essais de méd. d'Edimb. l. c.* et BARBEYRAC. *l. c.*, praeter quos legendi sunt DEGNERUS *(de simaroub. dissertat.)*, et ACTA *phys. med. N. C. Vol. V. in append.*, BREMOND. *adnotat. ad transact. Anglic.* ann. 1732. *p.* 158. *et seqq.* nec non LAMBSMAE opus eximium, cui titulus: *Ventris fluxus multiplex etc. Ex sched. auctor.*

4) *Comm. de reb. in sc. N. et M. gest. p.* 143. Ex America allatus hic cortex est ut specificum contra *fluxum hepaticum, diarrhoeam, ac dysenteriam. Ex sched. auctor.*

5) SCARDONA *lib. III. p.* 39., qui optime tradit eum uniri alexipharmacis, uti bezoardicis, rad. tormentillae etc. *Ex sched. auct.*

6) Est radix arboris cuiusdam, quae aut Goae, aut Malaccae indigena est, quaeque Indis contra alvi fluxus probatur. *Ex sched. auct.*

7) *Adversar. med. p.* 78.

8) Usque ab anno 1686 Cl. REDIUS ad KIRCHERUM scribens hanc *radicem colombo* inter *alexipharmaca* recenset, ad cuius tamen virtutem comprobandam nova instituti oportere experimenta asserit. Nomen ei ab urbe *Columbo* Indiarum orientalium obvenit. PERCIVALIUS (*Experiments and observations on the columbo root*) multis a se captis periculis eandem miros effectus edere testatur non modo in *diarrhoeis* ac *dysenteriis* curandis, sed et in *cholerae* morbo, in vitiis *bilis*, ac doloribus intestinorum. Quod quidem IOHNSONIUS etiam confirmat. Is tamen antequam ea uteretur ad *vomitus* sistendos, remedium aliquod evacuandae bili idoneum praebebat. Tum singulis trihoriis, aut quaternis horis pulverem huius radicis ad binas drachmas tradere consuevit. In diarrhoeae initiis profuisse ait uti antispasmodicam, sed magis adhuc in eius fine veluti tonica, alexipharmaca et antiseptica virtute pollentem. Eius pulveris XV., aut XX. grana, aequali aut dupla dosi tartari vitriolati superaddita, mira praestitisse narrat etiam in febribus biliosis, nec minus prospere cessisse ad vomitus in gravidis coërcendos. Uno verbo acidas stomachi cruditates bilisque vitia corrigere, stomachum ipsum roborare, acuere appetitum, nauseam et flatus tollere affirmat. *Ex adversar. auctoris*, qui meminit etiam huiusce radicis *columine I. de febribus* §§. *CCCCXCV. CCCCXVI.* Vide etiam *Raccolta di opusc. fisic. med. di* LUIGI TARGIONI. *T. V.* *Nota de radice columbo.*

9) §. 722.

10) Est gummi quoddam durum, fragile, intense rubrum ac ferme nigricans, eius exceptis minutioribus fragmentis, quae colorem et pelluciditatem amethysti rubri aemulantur (Gummi *Kino* dicitur). Inodorum et austeri saporis est, nec non muci sensum ore veluti excitat, solviturque sextuplo aut septuplo aquae purae. Fragilitate summa differt a gummi *Senegal:* sapore etiam styptico dissolvendique in aqua facultate etiam a *sanguine draconis* officinarum. *T. I. soc. med. Londinens. Ex sch. auct.* *Descriptio gummi ex* FOTHERGILLIO.

11) *Ibidem.*

12) HUXHAM. *De aër. et morb. epidem. T. II. p.* 99. 105.

13) *Memor. dell' accad. di Parig. T. IX. ann.* 1700.

14) *Essais de médec. d'Edimbourg. Paris. T. II. et Comment. Lipsiens. de reb. in sc. N. et M. gest. Vol. II. P. I. p.* 84.

15) *Ibid. Comm. Lipsiens.*

16) *De prax. regul. cap. III. p.* 26.

17) §. 88. *n. V.*

18) FABRIUS *De acidor. virib. p.* 128. Vide etiam LAMB-

SMAM *l. c.*, ubi *acidum vitriolicum*, cuius usum in militum dysenteriis BOERHAAVIUS maxime commendavit, ceteris praestare acidis docet contra corruptionem. *Ex sched. auct.* Vide etiam supra allata §. XXXIII. et §§. XLII. XLIII.

Formula miscendae cerae et spermatis ceti aquae.

19) *Comment. Lipsiens. cit. Vol. II. p.* 639. Cera quoque ut gummi arabicum aquae misceri potest. *Liquescat cera in spiritu vini ad ignem, deinde filtretur spiritus vini. Huius cerae semidrachma cum drachm.* j. *mucilagin. gummi arabici misceatur, solvaturque in uncia una et dimidia aquae.* Sic pariter sperma ceti contusum cum mucilagine arabica admiscetur aquae. TARGIONIUS *Opusc. fis. med. T. V. p.* 9. *Ex sch. auct.*

20) KRAMER. *Commerc. litt. Norimberg. ann.* 1733. *hebd. VI.* §. 3. Item *Essais de med. d'Edimb. T. II. p.* 481.

21) QUARIN. *Method. med. feb. ann.* 1772. *p.* 33.

22) *Id. ibid.*

§. LXXI.

Curatio TENESMI.

Quae dysenteriae tollendae valent, convenientissima quoque sunt *tenesmo*. In usum veniant potissimum iniectiones ex lacte et mucilaginosis, quibus addi potest utiliter diascordium, aut theriaca [1]); fotus ex decocto florum verbasci, chamomillae, sambuci, capitum papaveris albi, linimenta ex butyro recenti, aut oleo e baccis *cacao* expresso, vapores ex aceto super candentem laminam affuso ano excepti, et cetera huiusmodi. Reliqua ex causarum varietate et natura petantur. Non pauca ex hactenus allatis (§§. LXIX. LXX.) *cruentas* quoque deiectiones *fluxusque sanguineos* curant. Sed ea imprimis, quae haemorrhagiae sistendae accommodata alibi [2]) laudavimus. Talia sunt plantago, tormentilla, myrtus, rosae, cydonia, corallia, lapis haematites, atque ex his parata, imprimis vero tinctura coralliorum *Helvetii*, laudanum liquidum *Sydenhamii*, tinctura rosarum rubrarum [3]), aliaque adstringentia paragrapho superiore iam memorata.

Emollientia et sedantia.

Acida mineralia.

Nihil vero praestantius est, quam acida mineralia intrinsecus largiori manu exhibere [4]) [5]). Quod attinet ad victus rationem, tenuior haec sit, nec nisi fluida, blanda, lenia, demulcentia, gelatinosa, acescentia, nec facile corrumpenda alimenta suppeditet. Cavere oportet etiam in convalescentibus a medicamentis purgantibus. Lethum per radicem ialappae

Victus ratio.

Cautio.

lappae allatum iam supra monuimus ex *Collection. soc. med. Havniensis Vol. I. p.* 234.

1) Huxham. *De aëre et morb. epid. T. II. p.* 99. *et* 105.

2) In autographo Cl. auctoris scriptum eius manu legimus — *Hic multa desiderantur,* — quae postea, ut sibi proposuerat, addere non potuit. Si quis tamen plura postulet, hisce analoga reperiet *Vol. II.* §. *CCXLII. et CCLXXI., et cap. XII. Vol. III., et cap. II. P. I.* huius voluminis; sicuti etiam *Vol. I. de febrib.* multis in locis, et maxime quae §. *CCCXCVIII. et seqq.* leguntur de *aëre fixo, camphora* et *arnica* tam ore, quam ano excipiendis.

3) Huxham. *l. c.* Scardona *De morb. mulier. c.* 3. §. 15.

4) *Idem de febrib. l. IV. c.* 8. §. 29., et Farrius *Tentam. de acidor. virib. p.* 137.

5) Vide loca citata ex *Vol. II.,* ubi etiam *formulae seri aluminosi,* et *specifici* Helvetii leguntur. Quando vero caute adhibenda sint acida fossilia, tradit N. A. potissimum §. *CCXCV. Vol. I.,* idipsum observante Cl. Boissier, ut ex *nota* ibi apposita compertum sit. *Editor.*

CAPUT VI.

DE STOMACHI DOLORE, SIVE GASTRODYNIA ET GASTRITIDE.

§. LXXII.

Ventriculi dolores.

Antequam progrediamur ad reliquos intestinorum morbos, redeundum nobis est ad eorum veluti initium, ventriculum nempe, a quo paululum discessimus; hic enim, ut reliquae corporis partes sensu praeditae, dolori et ipse est obnoxius. Si sinistrum eius orificium, quod sensu acutiore donatum creditur, acriter doleat, Καρδιαλγίαν dicunt. Difficillimum vero est in tot partium, quae sub *epigastrio* iacent, concursu definire, quaenam potissimum afficiatur; nec ipsimet aegrotantes satis plerumque indicare sciunt distincte peculiarem locum, in quo dolor insideat; nec certo constat,

Doloris sedes.

reliquas ventriculi partes non posse exquisitissime sentire, ac acerrimo dolore torqueri. Quare satius videtur, cuicunque dolori, qui ventriculum teneat, si magnus acerque fuerit, atque ideo *corde* in consensum vocato *lipothymias* inferat, hoc ipsum *cardialgiae* nomen tribuere; qua in re consentientem habemus Cl. SAUVAGESIUM.

Quisque dolor acutus cum lipothymia coniunctus cardialgia dicitur.

§. LXXIII.

Quid sit GASTRODYNIA. *Quid soda.*

Si vero aut non magnus sit eius dolor, aut minime lipothymiis comitatus, generatim *γαστροδυνία* dicitur, sive generico *stomachi doloris* nomine indicatur. Quod si ardoris potius molesti speciem referat, *ardor* item *ventriculi*, sive *soda* aptissime nominatur; quamquam haec cum *acida stomachi cruditate*, de qua supra (§§. XXXVIII. XL.) disseruimus, passim confundi soleat.

§. LXXIV.

Anxietas quid.

Est etiam alia quaedam gravis et molesta ventriculi sensatio dolori proxima, aut etiam cum eodem saepe coniuncta, quam *anxietatem* appellant; quum scilicet aegri sic afficiuntur et torquentur circa stomachi regionem, ut locum, quo se contineant, minime invenire queant, sed crebro se iactitare, atque assidue positum et figuram mutare, et alta e pectore suspiria ducere cogantur. Haec tamen anxietas confundenda non est cum anxietatibus illis, quae *praecordiorum*, aut *uteri*, aut *systematis venae portarum* vitiis tribui debent; quoniam ipsa potius a solius *ventriculi spasmo* latius diffuso oriri videtur.

Cum aliis non est confundenda anxietatibus.

§. LXXV.

Causa proxima harum affectionum.

Atqui horum affectuum una eademque est causa proxima, nimirum illa partium ventriculi sentientium mutatio aut commotio, quae in sensorio communi ideam doloris modo acris, modo obtusi, aut anxietatis sensum excitare possit. Huic porro sensationi causam praebet quidquid eas partes urget, premit, distrahit, stringit, discerpit, dividit,

Causa materialis.

pungit, irritatve, ut alibi (§§. XXVII. XXVIII. XXIX.) posuimus. Quo referuntur acidi, vel acres corruptive humores in stomacho aut secreti, aut confluentes, aut geniti, flatus, vermes, assumta incongrua, prava, aut aliena et noxia deglutita aut facile degenerantia, venena, emetica, cathartica validiora, consuetarum evacuationum suppressio, ira vehemens, condimenta aromatica, spiritus fermentati, aqua frigida corpore aestuante epota, ventriculi nimia repletio, ulcus, cancer, tumor, abscessus, spasmus, aut sanguis in eius vasis congestio, metastases, febres mali moris, perniciosae, itemque pancreatis et vicinarum, aut consentientium partium morbi, et potissimum mucronatae cartilaginis depressio, sive introrsum luxatio.

Causae occasionales.

§. LXXVI.

Frequentissima vero eius doloris (§. XXVII.) causa est *ventriculi inflammatio*, quae vocatur γαστρῖτις. Causae, a quibus oritur, sunt cuiusvis inflammationis communes et pleraeque iam §. LXXV. memoratae. Quando itaque morbus ab *inflammatione* est, dolor assiduus, ingens, ardens, pulsans epigastrium, cordis scrobiculum, aut sinistrum (imprimis prope costas spurias) hypochondrium tenet, saepe ad dorsum usque protensus; ea regio valde tumet, tactum ob doloris acerbitatem refugit, et simul haec omnia cum febre acutissima, pulsuque duro, contracto, modo parvo, modo magno et vehementi coniunguntur. Deglutitio ipsa, imo eructatio quandoque impeditur; sitis ac aestus aegrum extorret, assumta quaeque vomitu vix compescendo eiiciuntur, dolorque eiusmodi concussionibus ingravescit, atque intensior fit. Accedunt praeterea ob consensum, qui inter ventriculi os superius et cor ipsum intercedit, atque ob ipsam cum diaphragmate aliisque partibus connexionem animi deliquia, anxietates, creber singultus, respiratio difficilis, frequens, brevis, facies tetra, convulsiones, deliria, foetidus oris halitus, aliaque saevissima symptomata. Cum vero interiora vehementer urantur, et simul exteriora algant (quod imprimis

GASTRITIS *quid sit.* *Eius causae.* *Signa diagnostica inflammati ventriculi.*

Quando nomen lipyriae assumat.

fieri dicunt in vehementiore ac erysipelatode inflammatione), tunc peculiari febris *lipyriae* nomine a nonnullis appellatur.

Diagnosis.

§. LXXVII.

Signa diagnostica cuiusque doloris. Doloris autem cuiusque peculiaria signa examinanti facile innotescunt. At non omnis *ventriculi dolor* uno modo affligit, nec una invadit ratione. In aliquibus acerbior est, *A bile et acritatibus.* quem practici a *bile* aut *acri* quadam causa repetere solent. *A nimia sensibilitate ventriculi et spasmis etc.* In aliis *dolor* se exserit continuo post epulas; idque vel a ventriculi nimia sensibilitate, vel spasmo, vel difficiliori dilatatione, vel ab acribus succis copiosius in eum allectis, aut *A fermentatione aut corruptione ciborum.* sursum ad cardiam elevatis fieri potest. In aliis, dum cibus concoquitur, et praecipue sex circiter horis a pastu, exacerbatur; quod vitiose fermentescere massam cibariam, rarescere, aut etiam corrumpi significat. Quandoque a somno *dolor* percipitur; quod proficisci videtur a reliquiis cibi corruptis, aut ab accumulatis in decubitu, aut refluentibus in ventriculum ex duodeno acribus, biliosis, acidisque succis, aut ab aëre copiosius extricato, aut ingresso, aut in *A crasso lentoque humore.* ventriculo concluso, et sese loci calore expandente. Quandoque dolor gravativus est, qui lentos crassosque humores ostendit; alius cum ardore atque aciditatis sapore, ut in *Ab affecta cardia.* *soda;* tensivus alius, qualis a flatibus. Quandoque lipothymiam adducit; tuncque *cardia* affici praesertim creditur ob insignem nervorum plexum, quo donatur, et ob communicationem, quam hi cum cordis nervis habere videntur. *Ab ulcere et a vermibus.* Quandoque cum sensu rosionis, et tunc ab *ulcere*, aut a *vermibus;* vel cum contorsionis constrictionisque sensu saepe ad fauces propagato coniungitur, et tunc a *convulsione* ori- *A convulsione. A sensibilitate nervea.* tur. Interdum totum corpus convellitur, extrema refrigerantur, caput vertigine doloreque tentatur; quae omnia a *nervorum* actione et *sensu* derivantur. Distingui demum solet *cardialgicus dolor* in *biliosum*, *flatulentum*, *convulsi-*

vum, *pituitosum*, *inflammatorium*, *idiopathicum*, *sympathicum*, *continuum*, *periodicum* et sic porro. *Hinc differentiae cardialgiae.*

§. LXXVIII.

Neque semper doloris locus uno *ventriculo* circumscribitur; nam ab *epigastrio* ad *dorsum*, ad *scapulas*, ad *oesophagum* producitur, imo deorsum etiam descendit. *A ventriculo ad altas partes dolor extenditur.* Facile quoque *cardialgia* pro dolore colico, aut *dolor colicus*, qui occupat eam *coli partem*, quae *ventriculo* substernitur, pro *cardialgia* accipi potest. *Cardialgia differt a dolore colico.* Discrimen vero est, quod in *cardialgia* dolor ad *thoracem*, in *colica* autem ad *umbilicum* et *renes* protenditur. Sed quis ex loci ratione partem affectam semper et certo definiat? *An pars affecta e loci ratione definiri queat.* Ventriculus enim interdum e loco motus, aut aëre distentus, aut ad inferiorem imamque ventris partem pondere detrusus a prosectoribus inventus est. Ne confundatur demum *gastritis* cum ea *hepatitidis* specie, quae *iecinoris concavam* partem, aut *sinistrum eius lobum* obsidet, prohibet saevities symptomatum et profundior doloris sensus, qui in illa esse consuevit. *Quando ab hepatitidis specie quadam differat gastritis.* Differt quoque a *musculorum rectorum inflammatione*; quod in hac omnia sunt remissiora, et dolor magis ad exteriora vergit. *Item ab inflammatione musculorum rectorum et diaphragmatis.* Ab utroque pariter morbo, itemque a *diaphragmatis inflammatione* dignoscitur *gastritis*, quod in hac dolor tum insignis oritur, quando vel alimenta, vel medicamenta in ventriculum perveniant. Reliqui tandem dolores febris acutae absentia facile discriminantur, nisi eam secuta inflammatione sibi adiunxerint. *Aliorum dolorum diagnosis.*

Prognosis.

§. LXXIX.

Levis ventriculi dolor et convulsivus periculi fere expers est. *Quid de convulsivo et levi dolore.* Si vero diuturnior, aut gravia symptomata sibi adsciscat, non caret periculo. *Cardialgia* cum febre continua et magno circa ventriculum dolore, aut febribus ma- *Quid de graviori.*

liguis tam continuis, quam intermittentibus superveniens, acutissimi, periculosissimi morbi speciem exhibet. Namque aut inflammationis effectus est, quae semper plena discriminis habenda est, aut in eam transire comminatur. Hac vero correpti inter XXIV. horas interdum pereunt, quod inflammatio utplurimum gangraena et sphacelo cito finitur. Id autem fieri indicium est, si pulsus parvi, exiles et creberrimi evadant, et, reliquis symptomatibus non remittentibus, dolor cesset, eiusque loco summa anxietas accedat.

Cita mors ex inflammatione in gangraenam transeunte.

Curatio.

§. LXXX.

Causae effectrices tollendae.

Curatio ut recte instituatur, oportet causam doloris effectricem (§§. LXXV. LXXVI.) tollere, irritationem sedare, et, si qua est inflammatio, aut eiusdem metus, eam resolvere, aut praecavere. Causam, si ventriculo aut duodeno inhaereat, quae tamen eiusmodi sit, ut removeri queat, blandus vomitus aut alvi ductio aufert. Oleum amygdalarum dulcium, aut seminum lini, aut olivarum praestantissimum est cum vomitus excitandi, tum alvi laxandae consilio, dummodo largiori manu propinetur [1]). Enemata quoque utilissima sunt, itemque fotus extrinsecus admoti, qui molliant et laxent. Si *acre* aliquod morbum faciat, id temperetur potu aqueo, demulcente, mucilagineo; si *alcalinae* sit naturae, acidis [2]); si *acidae*, amaris, alcalicis [3]) et absorbentibus; si *tenax*, *viscidumve* sit, incidentibus, attenuantibus salibusque neutris; si *spasmus*, aut *flatus*, opio, theriaca, diascordio, philonio romano, castoreo, carminativis sedetur excutiaturque. Chamaemelum fere ubique locum habet, ex quo decoctum, oleum destillatum et aquae parantur. Emollit, flatus discutit, spasmos sedat, et leniter sine irritatione roborat.

Emesis et alvi ductio.

Enemata et fotus emollientes.

Si ab acrimonia, vel alcalica, vel acida, quae curatio.

Si a visciditate, quae.

Si a spasmis, vel a flatibus.

Ubique chamaemelum convenit.

1) Memini, me non multis abhinc annis feliciter et illico a gravi *cardialgia* liberatum quinque unciis olei amygdalarum dulcium uno haustu assumtis; postquam nullum dolori leva-

men attulerant alvum ducentia, emollientia, aquae acidulae, venae sectio aliaque tam intus, quam extrinsecus adhibita. *Editor.*

2) Vid. *Vol.* I. §. *CCXVI.*, *et alibi etiam, ubi auctor multa a recentioribus celebrata adversus cardialgiam proponit.* Vid. item hic *cap. III. de laesa alimentorum coctione.*

§. LXXXI.

Quando sanguis mittendus. Ubi vero plethora, aut suppressa aliqua evacuatio, aut febris acuta, aut *gastritis* comes *cardialgiae* sit, quam citissime sanguis semel iterumque mittatur e brachio, pede, haemorrhoidibus, et quoad opus erit, et quoad vires tulerint. *Si a febre intermittente.* Si vero symptoma *febris intermittentis* fuerit [1]), febris accommodatis auxiliis, ac imprimis cortice peruviano curetur. *Si a vermibus.* *Vermibus* anthelminthica opponantur, quae sequenti *capite X.* recensebimus. *Si a luxata cartilagine ensiformi, quae curatio.* *Cartilago ensiformis luxata* in pristinam sedem cucurbitula sicca apposita retrahatur. Reliquarum causarum curatio e suo quaeque loco petenda est. *Victus ratio.* Victus sit tenuissimus, omnino blandus et liquidus. *Curatio prophylactica.* Tandem prophylaxeos causa serum lactis, lac, medicatae aquae, balnea, deobstruentia, decocta sudorifera, edulcantia, et potissimum martialia remedia usui esse possunt.

1) *Est etiam aliarum febrium et morborum symptoma. Videatur praesertim* §. *CCXI. Vol. I. et supra laudatus locus, sive* §. *CCXVI.*

CAPUT VII.

DE DOLORIBUS INTESTINORUM ALIARUMQUE ABDOMINIS PARTIUM.

§. LXXXII.

Dolor COLICUS *et* ILIACUS. Dividi *intestinorum dolor* solet (nam et ipsa dolori saepissime obnoxia sunt) in *colicum* [1]) atque *iliacum*, in eum scilicet, qui Κῶλον, sive *crassum*, aut *plenius intesti-*

Veterum opiniones recensentur.

num afficit, et in eum, qui *tenue*, sive Εἴλεον. Veteribus enim haec duo tantum erant intestina. Utrumque vero dolorem non loci solum diversitate et sede distingui, verum etiam intensionis acerbitate, vulgatissima opinio est. Tradunt nempe plerique, *colicum* tractum *coli* et directionem sequi, *iliacum* vero *ilei* regionem et positum tenere, et praeterea acerbiorem *iliacum* esse, quam *colicum*; quod tenue intestinum nervis copiosioribus instrui videatur; ideoque maiori acutiorique sensu pollere, quam *crassum*, sive *plenius*, uti a C. CELSO [2]) nominatur. Addunt etiam, vomitum in *colico* deficere, aut certe in *iliaco* molestiorem et magis assiduum esse.

PLINII *locus a* SENNERTO *et* TRONCHINIO *notatus.*

1) C. PLINIUS SECUNDUS *lib. XXVI. cap. I. histor. natur. colum,* sive dolorem *colicum* novum esse morbum scribit, et TIBERIO Caesare principatum tenente irrepsisse, nec quemquam ante imperatorem ipsum, qui in eum primus omnium incidit, eo fuisse correptum. At SENNERTUS *medic. pract. lib. III. P. II. sect. 2. cap. II. quaest. I.,* et post eum TRONCHINIUS *de colic. Picton. cap. I.* locum PLINII falsi insimulant, ostenduntque, CASSIUM C. CELSO contemporaneum et THEMISONEM, qui sub AUGUSTO floruit et PHILONEM Tarsensem THEMISONI coaevum de *colico* dolore locutos esse. Fortasse tamen excusari PLINIUS, imo absolvi posset, si de quadam doloris *colici* specie, quae tunc primum *epidemice* grassari visa sit, verba fecisse intelligendus esset, quod probabile videtur, ut infra indicabimus. *Ex sched. auct.*

2) *Lib. IV. cap.* 13.

§. LXXXIII.

An diagnosis certa a sede intestinorum decerni possit.

Verum animadvertendum est, ex sede solum, quam intestina secundum naturam occupare solent, nihil profecto certi aut perpetui posse decerni; cum cadaverum sectiones non semel demonstraverint, intestinorum omnium, speciatimque *coli* positum multiplici ratione variari.

Quot coli aberrationes et a quibus causis oriantur.

Interdum quippe *colon* ab ortu ipso alienam sedem obtinuit; interdum a ventriculo, hepate, liene praeter morem ampliatis et turgentibus detruditur deorsum; interdum excrementis plenum et distentum suo prope pondere deprimitur hypogastrium versus; aut contra flatibus, sive aëre expansum et tympaniticum redditum sursum attollitur, subliniorique loco assur-

git; quas ob res modo circa umbilicum, modo etiam inferius miris variisque flexibus deturbatum, modo sub costas spurias adactum clavatumque [1]) reperitur. Nihil vero magis frequentiusque *coli* sedem subvertit, illudque versus medium abdominis propellit, quam vesana illa laterum iliumque constrictio, quam thoracum, ut vocant, tormento moliuntur mulieres, ut graciliores, et quasi dixerim iunceae in medio ventre appareant; quemadmodum in earum cadaveribus saepissime deprehendimus. *Quae frequentior causa.*

1) MORGAGNIUS *epist. anat. med. XXXIV. n.* 2. 3. BONETUS *sepulchret. anat. schol. ad observ.* 41., *et* LIEUTAUDIUS *histor. anat. med. lib. I. artic.* 27., qui ex BALLONIO observationem excitat intestini *coli in thoracis cavum per diaphragmatis foramen* protrusi; atque aliam ex *miscell. N. curiosor.*, in qua dicitur *pars coli ventriculo proxima supra diaphragma* haesisse. *Observationes.*

§. LXXXIV.

Intestina quoque tenuia sua e sede depulsa modo in hanc, modo in illam partem migrare coguntur. Imprimis id evenit ab utero gravido, ab ascite, ab hydrope cystico, sive saccato, ab herniis, a tumoribus mesenterii, omenti, ovariorum, uteri, tubarum eius aliarumque abdominis partium, ab aucta hepatis, pancreatis, lienis, renumve mole, a ventriculo etiam enormiter dilatato et deorsum prolapso; a quibus omnibus intestina quoque, et maxime *tenuia*, in varias partes tracta aut pulsa locum et sedem suam commutant. Sursum retracta et coalita, itemque in infimam abdominis partem deiecta et complicata a MORGAGNIO [1]) memorantur; a quo etiam signa traduntur, quibus id, ubi contigerit, cognosci possit [2]). Omnia ad *hypochondrium dextrum conversa et conglobata* vidit BARTHOLINIUS [3]), ad *umbilicum congesta* LAUBIUS [4]), ad *hypochondria* item *revoluta* COLUMBUS [5]) [6]). *Causae aberrationum tenuium intestinorum.* *Exempla auctorum.*

1) *Epist. anat. med. XXXIX. artic.* 28. 29. 30.

2) Ibidem Cl. MORGAGNIUS haec habet: *In corpore neque obeso, neque maxime extenuato, neque hydropico, neque laborante suspicione dilatatae, aut alias ob causas praeter* *Signa ex MORGAGNIO aberratio-*

num intestinorum.

modum ibi pulsantis arteriae magnae descendentis, si pulsatio naturalis, et multo magis si durities, quam corpora vertebrarum exhibent, percipiatur; sursum retracta esse intestina coniiciemus, addetque coniecturae non leve pondus, si abdomen simal aequo depressius infra umbilicam, supra autem turgidius animadvertatur. Quod si cum his signis in superiore eadem regione peculiaris et mobilis tumor sese attollat, non modo cavendum est, ne propter renixum et superficiem inaequalem ac tuberosam ad scirrhorum aut strumarum genus facile referamus; verum insuper quaerendam est, quibus indiciis illuc magis adduci possimus, ut ex intestinis fieri coniiciamus. Erunt ea indicia, si aegrum saepe tenuiam intestinorum doloribas, et sanguinis ex haemorrhoidibus fluxui, licet postea imminutus fuerit aut suppressus, obnoxium fuisse intellexerimus, si tumor vexantibus flatibus dolore afficiatur, si alvus magis magisqae ex quo tumor incepit, adstrictior sit, atqae alia de eodem genere, quae aat in proposita a nobis historia leguntur, aut ex ea in mentem venire possunt. Essent autem haec pecularia magis indicia, si tumor gravior interdum, aut levior ab aegro, durior autem, maiorve, aut mollior minorque a medicis quoqae animadverteretur, quemadmodum in herniis accidit intestinorum. Et quamvis id rarius in tumore hoc nostro contingere posse videatur ob creberrimos fluxus, non levem constrictionem et arctissimum praesertim intestini cum intestino coalitam, peristaltico eorum motui officientem, quae videlicet caasae materiam, unde renituntur, in ipsis, ut vidimus, remorantar ac retinent; tamen credibile est, si diligenter, saepius ac variis temporibas illa perquisitio repetatur, iisque potissimum, quibus iamdiu nihil, et quibus plus nuper recrementorum deiectam sit, aut quibus maior, quibusque minor flatuum copia vexet; credibile est, inquam, aliquod eiusmodi signorum aliqua ex parte posse deprehendi.

3) *Cent. I. hist. anat.* 2.

4) Ephem. N. C. *cent.* 9. *observ.* 64.

5) *De re anatom. lib. XV.*

6) Qui vero similes *coli* aliorumque *intestinorum* et *viscerum* a propria aut sede aut figura aberrationes videre cupit, consulat Haenium in *Ration. medend. P. X. cap. I. tab.* 1. 2 3. 4. *et P. XI. cap. III. IV., tab.* 1. 2. 3. 4 *Ex sched. auctor.*

§. LXXXV.

An doloris acerbitas signum sit iliaci pathognomonicum. An comitus absit semper in dolore coli.

Neque doloris acerbitas certo *iliacum* esse dolorem arguit, cum a Galeni tempore in hanc usque diem ex historia medica compertum habeamus, modo *colicos*, modo *iliacos* dolores acerbitate et vehementia saevire, sic ut neuter acerbior iure dici queat. Neque omnino verum est, in

colo affecto vomitionem semper abesse, aut minus assidue et minus vehementer, quam in *iliaco*, vexare; nam saepe in hominibus sensibilioribus a *colico dolore*, praecipue cum ea *coli* pars, quae ventriculo transversim subiicitur, torqueatur, vomitus vehementissimos assiduosque excitatos vidimus. Quoniam igitur neque locus, quem dolor tenet, neque doloris gradus, neque vomitus praesens aut absens per se satis nos de parte laborante certos reddere queunt, et quoniam complures aliae partes intestinis attiguae, aut interpositae, aut subiectae in abdomine existunt, quarum causa iudicii et diagnoseos difficultas augetur; non uni aut alteri signo fidendum est, sed maturo omnia examine perpendenda sunt, atque ex plurium concursu coniiciendum, an una potius, quam altera pars laboret; ut infra exemplis declarabitur. Quas tamen difficultates ut effugerent medici, quemcunque *abdominis* aut *intestinorum dolorem*, modo vehemens sit et acerbus (nam leviores *tormina* potius dicuntur), nostris temporibus *colicae* generico nomine complectuntur, et pro causarum eius diversitate, a quibus oritur, non paucas differentias conficiunt, suis quasque notis distinguendas, ut paulo post indicabimus.

De parte affecta neque doloris sedes, neque eius intensitatis gradus certum indicium prae se ferunt.

Quid colici doloris nomine modo sit intelligendum.

Quaenam tormina sint.

A diversitate causarum differentiae colicarum desumuntur.

§. LXXXVI.

Ad causas autem quod attinet, perspicuum sane est, has non absimiles esse debere iis, quas § LXXV. exposuimus, et pro diversa earum ratione dolorem, nunc maiorem, nunc minorem, variae naturae excitari. Praecipue vero hic reputatur flatus, bilis depravata aut exuberans, pituitae varia genera, nempe, ut veterum sermone atque opinione utar, vitrea, viscida, acida, salsa, faeces induratae, congestae, aut alicubi haerentes, lapides intestinis accreti, corpora dura, aliena, acuta, uti nummi, acus, ossa, nuclei cerasorum, prunorum aliorumque fructuum atque alia eiusmodi deglutita, nec per anum emissa, sed in aliquo intestinorum flexu restitantia, aut alicubi infixa, aut viam obstruentia, vermes multiformes, taeniae, spasmus, convulsio, sanguinis congestio, haemor-

Causae quae.

rhoidum aut calameniorum fluxus suppressus, intestinorum tumores, scirrhi, cancri, ulcera, conglomerationes [1]), aliaque eorum aut vicinorum viscerum vitia, arthritica, rheumatica, herpetica, scorbutica, scabiosa materies retropulsa, perspiratio retenta atque ad intestina translata, pus in cavum abdominis effusum, acrimonia intestinis infensum, bilis pariter e disrupta cystide fellea repente profusa, ac intestina exterius irritans, febrium cum intermittentium, tum continuarum imperfecta iudicatio, aut earum fomes abdominalibus visceribus peculiariter noxam inferens, frigus suspectum, pedum incauta refrigeratio, alimenta per se noxia, aut non bene digesta, rerum fermentescentium, uti musti, cerevisiae non defaecatae, et similium ingurgitatio, fungorum esus, meconium retentum, aut lac acescens, aut coactum in infantibus, et demum ipsa *enteritis*, sive *intestinorum inflammatio*, quam nonnulli *chordapsum*, *iliacam passionem*, aut *ileum* etiam appellant [2]).

Inflammat. intestinor.

Conglomerationum exempla. Observatio Columbi *et* Auctoris.

1) Praeter *conglomerationes* intestinorum, quas (§. LXXXIV.) indicavimus, memoratu digna est illa, quam Columbus (*loc. cit.*) descripsit, natam videlicet ex ultimis *ilei* partibus una complicatis, tumoremque in hypogastrio exhibentibus. Similem tumoris speciem vidi et ipse in muliere *colica chronica* iamdiu afflicta, et demum marasmo confecta. Talem quoque post asciten in inferiori pariter abdominis parte ex conglutinatis, et cartilagineam fere duritiem adeptis intestinis adducit Morgagnius (*Epist. anatom. med.* 39. *n.* 29. *et* 30.). Apud eundem (*Epistola eadem n.* 26.) describitur durus et circumscriptus tumor in infima epigastrii parte extrorsum protuberans, quem sola intestina tenuia retracta et conglomerata simul formabant. Item intestinorum una cum mesenterio in unum quasi globum convolutorum et arctissime cohaerentium exempla legi possunt in *actis academ. N. C. T.* 1. *observ.* 87. *et T.* 6. *observ.* 124. Fanton. *Observ. epist.* 4. Bonnet. *sect.* 21. *Observat.* 3. § 8. Quibus similia non pauca ego quoque addere possem. *Ex sched. auct.*

Aliae Morgagnii.

Quaedam ab aliis petitae et depromtae.

Quid ilei nomine intellexerit Hippocrates.

2) Hoc ipso sensu *ileum* accepisse videtur Hippocrates, quando dixit, *ab ileo vomitus, aut singultus, aut convulsio, aut delirium: malum. Aphor.* 10. *sect. VII.* Si enim *ilei* nomine non *enteritidem*, sed *volvulum*, ut vocant, intellexisset, non potuisset recensere *vomitum* tanquam *signum malum*, cum sua natura *volvulus vomitum* contineat, nec sine eo esse possit. Sed clarius apparet, Hippocratem *de inflammatione intestinorum*, sive *enteritide* locutum libro *de affect. XXII. I.* 5., ubi haec habentur: *Ileus cum apprehenderit, venter du-*

rus fit, et nihil secernit, et dolor inferne omnem alvum tenet, et febris, et sitis. Aliquando vero prae dolore aeger etiam bilem vomit. In volvulo autem stercus, non bilis vomitu eiicitur. *Ex sched. auctor.*

§. LXXXVII.

Hinc profluunt *colicarum* differentiae, quae frequentius a medicis nominantur; nempe colica *flatulenta, biliosa, pituitosa, stercoralis, calculosa, verminosa, spastica et convulsiva, sanguinea, haemorrhoidalis, catamenialis, arthritica, scorbutica, metastatica, accidentalis* ab assumtis, aut a refrigeratione, *inflammatoria*, et sic porro. Praeter hasce differentias vero, quas causae patentiores suppeditant, dantur etiam aliae, quae *communes* dici possunt, uti *primaria, secundaria, symptomatica, periodica, diuturna, chronica, acuta, endemica, epidemica etc. Periodicae* saepenumero a febrium intermittentium fomite originem ducunt, atque ut plurimum earum accessionibus tamquam symptoma superveniunt. Diuturnas et *chronicas* [2]) vitia plerumque organica rebellia, solutuque difficilia, de quibus supra §. LXXXIV. et LXXXVI. mentio facta est, efficiunt, uti *endemicas* et *epidemicas* causae quaedam communes, plus minusve diffusae.

Differentiae in causis.

Communes aliae differentiae.

Periodicae.

Chronicae.

Endemicae et epidemicae.

1) Hoffmannus *praeter dolores* (inquit) *intestinorum, qui acutioris sunt indolis, et vel in salutem, vel in mortem brevi terminantur, dantur etiam* chronici *qui sunt* generis, *et diutius insistunt, ac per multas hebdomadas, imo per anni aliquando spatium excruciant, licet per intervalla suas habeant remissiones et exacerbationes. Horum post mortem demum fuit inventa causa, quod in quadam parte intestinum fortiter angustatum, constrictum, scirrhosum, vel callosum fuerit deprehensum etc.* Sect. II. cap. V. p. 180. De intestinor. dolorib. *Ex sched. auct.*

Vitia a quibus chronici dolores sive colicae diuturnae oriri possunt.

Scirrhum autem *coli* Hollerius *lib. I. cap.* 41. *de morb. internis* et Rhodius *centur. II. observ.* 75. describunt. Item a *callo* colicam in intestinis productam Benivenius conspexit: *Lib. V. De abdit. rer. caus. cap.* 30. *et* 34. Hildanus quoque in cadavere hominis, qui per *aliquot annos dolore fixo* et *continuo* sub *hepatis regione* laboraverat, et tandem gravissima *passione iliaca* extinctus fuerat, invenit *scirrhum* iam *exulceratum* in *coeci* intestini fundo. Swieten. §. 486. Vid. Riverium etiam *Prax. med. lib. X. c. 1. de dolor. coli* et. Roncallum *Hist. morb. p.* 172. *Ex sched. auct.*

Scirrhi et calli intestinorum.

§. LXXXVIII.

Causae peculiares colicarum regionum et artificum.
PICTONUM *multiplex iuxta auctores causa.*

Causae autem communes vel multos eodem tempore, aut quasdam solum regiones, aut aliquos tantum artifices aut familias afficiunt. Vinum acidum immaturum a CITESIO creditum fuit causa *colicae* illius acutissimae, qua *Pictones* aliosque vicinos populos epidemice vexari ipse vidit [1]). Similem *colicam* a vino albo non satis defaecato derivarunt PISO, SENNERTUS, CRATO, CARDANUS, WEPFERUS aliique. Potum acidum, quem *Punch* [2]) dicunt, nimio continuatoque usu inferre colicas huiusmodi posse, auctor et testis est TRONCHINIUS [3]), cui etiam eodem nomine suspectus est succus citrei et spiritus vitrioli, si potui largiori manu adiiciantur. *Iapones* colicae item simili obnoxios esse ob cerevisiam ex oryza paratam, qua utuntur, fortasse acidam, memoriae prodidit KAEMPFERUS [4]). Putridae aquae et vermiculis, quos *setas aquaticas*, sive *gordios* vocant, scatentes, quas *lappones* bibunt, pro causa communiori, unde *colica* laborant, habentur a LINNAEO. A vino pomaceo, vulgo *cidre* gallis, *colicam*, qua *Damnonienses* conflictari solent, derivandam existimat HUXHAMIUS. GEORGIUS vero BACKERUS [5]) eandem e vino quidem pomaceo, sed plumbi admixtione edulcato repetere mavult. Revera nihil magis inferendis atrocissimis hisce *colicis* confert, quam vina *plumbo* aut *lithargyro* edulcata; sicut etiam medicamenta ex plumbo parata tam intrinsecus [6]), quam extrinsecus adhibita, itemque plumbi halitus, aut pulvis inspiratus et deglutitus, cosmetica ex eo parata, et demum alimenta in vasis plumbeis cocta, aut diu in iisdem asservata. Sunt etiam qui inter causas huius *colicae* referant fumos *arsenicales*, *antimonii* non rite ab alienis expurgati, aut *cinnabaris nativae* non ablutae usum internum, *viride aeris* cibis a vasis cupreis impertitum. Quibus tamen omnino adversatur docto et praestanti opusculo Cl. STOCKHAUSENIUS, qui a solo *plumbo colicas*, quae passim *metallicae* dicuntur, oriri contendit, ideoque *saturninas* eas appellat, ut ab

IAPONICAE *causa.*

LAPPONICAE.

DAMNONIENSIUM.

Causa omnium ferme a plumbo.

An plumbum tantum vel alia metalla etiam in causa eius sint.

Cur haec SATURNINA *dicatur.*

aliis speciebus discernantur [7]). Quae *metallica*, aut *saturnina* aliis, RAMAZZINIO *plumbariorum*, DUBOISIO *figulina*, itemque *pictorum* audit; quod ei maxime obnoxii sint *metallorum fossores*, *metallurgi*, ac imprimis, qui *plumbum* tractant, quique vasa terrea plumbeo vitro obducunt, aut varia pigmentorum genera dissolvunt, terunt, et ore ex iis manantem subtilem pollinem hauriunt, uti *figuli* et *pictores*. Sed praeter enumeratas *colicarum* species scire oportet, nostra hac aetate *colicae* nomen ad dolores etiam aliarum abdominis partium extendi; atque adeo apud clinicos saepe mentionem fieri de *colica stomachica*, *pancreatica*, *mesenterica*, *hysterica*, *nephritica*, *hepatica*, sive, ut alii malunt, *hepatalgia*.

Cur plumbariorum, figulorum et pictorum propria.

Colicarum nomen ad aliarum abdominis partium dolores indicandos usurpatum.

1) *De novo et popul. apud Picton. dolor. col. bil. diatrib. Paris.* 1639.

2) *Rum-punch* paratur ex spiritu sacchari ardentissimo et succo limoniorum silvestrium.

3) *De colic. Picton. Genev.* 1757.

4) Amoenitat. III. 11.

5) *Medical transactions published by the colleg. of physicians in London. Vol. I. p.* 175. *et seqq.*

6) *Traité des mauvais effets de la fumée de la litharge, traduit du latin. et commenté par* M. J. J. GARDANE. *Paris* 1776.

7) *Huiusce causae exemplum* FERNELIUS *affert sequenti historica narratione. (De lue vener. cap. VII.)*

„Amicus quidam meus erat destillationi a capite interdum in cervicem et scapulas, interdum in pedum articulos obnoxius; qua tamen superveniente iustis evacuationibus haud aegre liberari solebat. Huic a me iam doloribus liberato empiricus quidam *plumbi pulverem* adversus *arthritidem* ita commendavit, ut in eo solo eius recurrentis praecautionem positam esse statim persuaderet. Cuius idcirco usum amplexus pulveris eius sesquilibram ex iusculis, ex vino, et pyris coctis aliisque rebus sacchari loco quindecim dierum spatio absumsit. Sed dii boni! Dysenteria crudelis febri stipata die duodecima exorta est cum gravissimis non *ventris* solum, sed et *ventriculi torsionibus* ad eam spinae dorsi partem, in quam os ipsius incumbit pertinentibus. Ventriculi tanta dissolutio, tanta oris oblaesio subsecuta est, ut ne contactum vel blandissimum ferre posset; et quaecunque ingerebantur vel in *plumbeum* nidorem, vel in rancorem tenuissimum versa mox revomebantur. Inde ructuum tanta edebatur copia, ut in flatus omnia abire viderentur. Sedata dysenteria, graves illi *ventris*, *lumborum et*

Observatio FERNELII *de colica a medicamine saturnino orta.*

ventriculi cruciatus dies viginti perseverarunt cum incendii interni molestissimo sensu, totidemque noctes peregit insomnes. Atque hoc temporis intervallo, licet sitis ipsum non valde exercuerit, appetentia tamen semper prostrata iacuit; nec alvus quidquam nisi vel clystere, vel cathartico medicamento proritata reddidit. Et quaecunque tum infra tum supra aut sponte, aut artis beneficio prodiere, *plumbeo* colore infecta erant omnia; suam illam qualitatem internis partibus pertinaciter adeo impresserat. Interim exorto *ictero* corpus totum foedatum apparuit, ac sanguis, sedata dysenteria, ad febris curationem reserata vena detractus totus flavus, biliosus ac spumosus deprehensus est.“ *Ex sched. auct.*

Alia TISSOTII.

Cl. TISSOTIUS quoque, *atrocissimas colicas a saturni saccharo, et a tinctura antiphthisica* GARMANNI natas esse, exemplis et observationibus suis confirmat. *De colic. saturnin.* Ex sched. auct.

Diagnosis.

§. LXXXIX.

Quomodo dignoscatur (si quando a loco affecto liceat) colicus dolor.

Nunc qua ratione singulae *colicae* distinguantur, superest dicere. Et quamquam supra ex doloris loco nihil certi statui de parte affecta monuerimus, ob partium scilicet e sua sede frequentem aberrationem; attamen si suo quaeque loco iuxta naturae ordinem se habeant, non parum lucis affert ipsius loci, quo dolor defigitur aut continetur, anatomica cognitio. Itaque dolor, qui umbilicali regioni insidet, ab intestinis *ieiuno* et *ileo* praecipue affectis, aut ab ipsomet *mesenterio* laborante oriri videbitur. Qui vero dorso lumbisque dextrorsum speciatim infestior est, *duodenum* potissimum aut *ieiuni* initium afficere creditur, cum duodeni finis incumbat lumborum regioni; sed tunc *cardialgiam*, colicam *hepaticam*, aut *nephriticam* quodammodo mentitur, a quibus tamen notis alibi (§. LXXVII. LXXVIII.) allatis distingui debet. Si vero *colon* torquet, a dextro inguine dolor assurgit ad dextrum usque hypochondrium, indeque transversim ad sinistrum sub costis spuriis fertur, et demum deorsum deflectitur, qua *colon* in rectum desinit. Frequentissime in sinistro hypochondrio sub costis spuriis dolor percipitur, quem plerumque *lieni* tribuunt. Verum lienis

Quando doloris sedes sit in ieiuno et ileo, vel mesenterio.

Quando in duodeno, vel ieiuni initio. Is alios dolores mentitur.

Quando colo insideat.

Qui mentitur lienis dolorem, insidet

lienis loco utplurimum intestina ibi afficiuntur, iis nempe in locis, in quibus varie inflectuntur et retorquentur. Isque dolor hypochondriacis viris et hystericis feminis permolestus esse consuevit. Si enim pituita, aut mucus iners, aut flatus, aut excrementum, aut alia similis causa haereat in *inflexionibus ieiuni* intestini aut *coli*, qua ad hypochondrium sinistrum [1]) vergunt, dolor quidem fixus in eo hypochondrio excitabitur, et sane magis profundus, quando *ieiunum* laborat, minus vero quando *colon*. Idem pariter accidit non procul ab inguine dextro, si, quod non infrequens est, eaedem causae haeserint circa extremum *ilei* et *coli* principium; quo loco tum saepe durus et circumscriptus tumor manui tangenti se exhibet et renititur, donec causa dolorem inferens illinc discussa sit.

in inflexionibus vel ieiuni, vel coli versus hypochondrium sinistrum.

Eius causa.

Ab iisdem causis quando afficiatur extremum ilei et principium coli.

Signa eius propria.

1) Hoffmannus *de intestinor. dolorib. sect. II. cap. V. p.* 178.

§. XC.

Haec de loci affecti significationibus. Pauca modo de signis, quorum ope causas peculiares cuiusque *colicae*, sive colicarum differentias diversasque naturas cognoscimus. Et primum colicam *flatulentam* indicant dolor itidem fixus, aut, quod frequentius est, vagans atque errans, tumor et tensio resonans ventris, borborygmi, interdum difficilis inspiratio; quae omnia flatibus ore aut ano explosis sedari solent. Interdum in hac specie venter ita tenditur, ut umbilicus enormiter protuberet, herniamque umbilicalem sive *omphalocelen* incurrat. Saepe superiorem *coli* partem flatus occupant, quo casu propinquitas ventriculi iecinorisque facit, ut quae pars, et qua ex causa excrucietur, difficilius sit explicatu. Raro sola aëris copia intestina dilatans morbum facit, sed saepe spasmis alicubi intestina constricta aërem concludunt intra quendam intestinorum tractum, ut calore loci expansus tunicarum intestinalium superet renisum, atque in enormem saepe magnitudinem, manui extrinsecus manifestam, intestina ipsa distendat.

Signa propria cuiusque colicae.

FLATULENTAE.

Omphalocele.

Causa non est solus aër plerumque.

§. XCI.

Signa PITUITOSAE *tam acris, quam non.*

Ponderis autem sensus *colicam a pituita* et *muco viscido*, sed *minime acri;* fixi et terebrantis colicam a *pituita acida* aut *salsa*, aut alio quocunque humore irritante adhaerenteque; contorsionis acerbissimae, plerumque vagae ac erraticae, raro fixae, cum globi ad fauces adscendentis sensu, et urina tenui, aquea, crebro emissa, tremoribus, horripilationibus, oscitationibus *colicam spasticam* et *convulsivam* [1]), sive *hystericam* ac *hypochondriacam;* rosionis demum sensus et morsus veluti cuiusdam per intervalla revertentis cum magna symptomatum varietate, *verminosam* significare dicitur. *Sanguineam haemorrhoidalem* aut *catamenialem* primum suspicari licet ex absentia aliarum causarum, deinde ex consuetarum evacuationum defectu, sive menstruorum, sive haemorrhoidum, aut denique ex imminenti earundem periodico fluxu, et quandoque febrili motu, qui in his excitari plerumque solet. *Stercoralem* esse cognosces, si alvus iam ab aliquot diebus clausa fuerit, si gravitatis et repletionis sensus in ventre percipiatur, atque aliquod in alimentorum copia aut qualitate peccatum antecesserit. Hinc quoque, et praesertim examine eorum, quae aut gesta sunt, aut assumta, *colicae accidentalis ab ingestis*, a *frigore* aliisque evidentibus levibusque causis diagnosis facile elicietur. Dolore vero acuto, tactum non ferente, aut ad levem quamque pressionem recrudescente, partis tumore, calore, pulsatione febrique comite modo maiori, modo minori *colica inflammatoria* atque *enteritis* se prodit. Hic autem animadvertendum est, intestinorum inflammationem, quae cito in *gangraenam* lethiferam desinit, interdum colicis doloribus clanculum et praeter exspectationem supervenire, nullis in pulsu febris indiciis, aut plane exiguis deprehensis. Id pluries cadaverum sectiones demonstrarunt. Imo ex MORGAGNII, VALSALVAE, RIVERII, SIMSONIS, HAENII observationibus constat, inflammationes, ut aliarum partium, sic intestinorum dari non modo sine febri ulla, sed etiam

Margin notes: SPASTICAE *et* CONVULSIVAE. VERMINOSAE. SANGUINEAE, *haemorrhoidalis, vel catamenialis.* — STERCORALIS. — ACCIDENTALIS *ab ingestis, a frigore etc.* — *Inflammatoria atque* ENTERITIS. *Haec cito transit in gangraenam. Intestinorum inflammatio sine febri et dolore aliquando datur.*

sine ullo dolore, nervorum forte sensu deperdito, aut eorum facta paralysi. Cum autem signa haec deficiant, ex ALBERTINIO MORGAGNIUS eas agnoscendi modum sic docet. *Pulsus humilis et debilis potius, et qui, si bene attendas, sibi obscure dissimilis sit, abdomen autem tensum et durum, et cum dolore quodam; facies denique insoliti aliquid, sed in aliis aliud, ostendens, ut interdum oculos quasi exterrefactos, alias livorem quendam circa labra animadverterim; haec fere (nam aliquando linguam etiam adnotavit haud bene se habentem et quandam sitim) mihi accidit, ut in eiusmodi casibus se observanda praebuerint* [2]). Sed aegrum habuit HAENIUS, in quo tensio, et dolor, et ventris obstructio deficiebant [3]).

Signa, quibus innotescere possit, iuxta ALBERTINIUM *et* MORGAGNIUM.

1) LORRYUS describit *colicam simpliciter convulsivam*, cuius peculiare symptoma fuit *anxietas quaedam inexplicabilis.* Dissecto cadavere reperit *intestina,* praesertim *colon,* valde *adstricta,* stomachum vero in binas divisum cavitates ob *constrictionem* in medio eius exortam. *Hist. de la sociét. roy. de méd. T. II. p.* 195. *et seqq. Ex sched. auct.*

Simpliciter CONVULSIVAE *ex* LORRYO *signa.*

2) *Epist. anat. med. XXXV. n.* 21.

3) *Rat. med. XIV. sect. I. cap.* 3.

§. XCII.

In *colica biliosa* dolor atrocissimus, ab initio plerumque vagus, deinde in puncto fere quodam defigitur, et quasi terebra intestina perforare videtur, aut quasi iniecta fascia constringere. Hunc comitantur os amarum, sitis ingens, interdum raucedo, imo etiam aphonia, calor interiora urens, abdominis tensio, vomitus, deiectionesve biliosae, et non raro febris acuta ardensque. At vomitio alvique deiectio tanta aliquando est, ut in *choleram*, aut in *iliacam passionem*, sive *ileum* proprie dictum facile transeat. Postremum maxime evenit, quando, progrediente malo, dolor uni fere loco infigitur, alvusque penitus clausa est. Id etiam *colicae biliosae* proprium est, quod subinde mitescat, imo etiam per aliquot horas quandoque cesset, sed mox atrocius exacerbetur et recrudescat; quam rem eiulatibus et vultu

Signa BILIOSAE.

Facilis eius transitus in choleram aut iliacam passionem sive ileum proprie dictum.

An colica haec eadem sit cum inflammatoria. tetro, ubi malum imminet, solent aegri praedicere. Nonnulli colicam hanc cum inflammatoria unam eandemque esse censuerunt, sed perperam. Illud vero certissimum est, in *enteritidem* saepe ipsam mutari.

§. XCIII.

Signa colicae SPASMODICAE *et convulsivae* NERVOSAE *etiam dictae.*

Fieri autem nequit, quin in quavis *colica*, ubi dolor paulo acrior nervos fibrasque divellit, spasmi et convulsivae affectiones excitentur, vel facile superveniant. Si vero spasmi et nervosi systematis passiones fuerint insigniores, umbilicus et musculi abdominales introrsum veluti trahantur, dolores altius videantur defigi, atque ad lumbos produci, unde spinales nervi egrediuntur, vertigine aut atroci dolore caput tentetur, epilepsia etiam, aut paralysis pedum, vel manuum, aut utrorumque accedat [1]), aut in eam dolor desinat, alvusque ita compressa atque adstricta sit, ut vix clysterem admittat; tunc colica *spasmodica* et *convulsiva* [2]), imo etiam *nervosa* [3]) generatim vocatur. Hanc video etiam nominari *colicam Pictonum*, quod Pictonibus praecipue infensa creditur; verum neque eorum tantummodo propria est [4]), neque quae apud eos *epidemice* aut *endemice* grassari visa est CITESIO [5]), omnes *colicas spasmodicas* complectitur, sed potius quaedam earum species potiori iure habenda est. Alii, qui in ea plexum mesentericum [6]) mesenteriumque praecipue affici opinati sunt, *mesentericam* etiam non inepte appellant [7]). Nec defuerunt qui eam a *spinali medulla* primario affecta, illaesis *intestinis* et *mesenterio*, deducendam autumarint, et peculiari novoque nomine excogitato *rhachialgiam* vocaverint [8]), e colicarum genere eam excludentes [9]).

Colica PICTONUM *ad hanc speciem referri debet.*

Cur mesenterica dicta.

Cur rhachialgia etiam dicta.

1) TISSOTIUS *Epistol. varii argumenti p.* 152: *De causis,* ait, *colicarum, quae paralysin inferunt, disceptatur. Ultro crederem,* vina nonnulla, venena et scorbutum *tres esse causas earum, nec plures dari. Acerbissima ex aliis causis colicae non excipiuntur paralysi. Hacc tamen dubie propono.* Ex sch. auct.

2) HOFFMANN. *Med. rat. system. T. IV. sect. 2. c. V.*

§. 9., VOGEL. *de cognosc. et cur. h. c. aff. class. III. dolor. colic.* §. 442.

3) TOWN. apud ALLENIUM *Synops. P. II. c.* 4. *p.* 156. edit. Venet., BUCHAN. *Medic. domestic. T. II. p.* 424.

4) Nam eidem obnoxiae sunt insulae *Caraïbae, Barbadae, Hungaria, Franconia, Moravia, Austria* et regiones aliae.

5) FRANC. CITESIUS *Diatrib. de nov. et popul. apud Pictones dolore colico bilioso.* Paris. 1639. *Epidemicam* interdum fuisse huiusmodi *colicam* testatum faciunt non pauci scriptores. In Moravia et Silesia seculo sextodecimo grassatam fuisse patet ex LANGII *epistola de torminibus ventris a febre relictis*, itemque ex CRATONIS *litteris ann.* 1582, *de paralysi ex colica.* Sed prae ceteris animadversione dignus est locus PAULLI AEGINETAE (*lib. III. cap.* 43. *versus finem*), qui sic habet: *Puto autem* COLICAM AFFECTIONEM, QUAE ETIAMNUM REGNAT, *ex huiusmodi pervenisse humoribus* (tenuioribus et mordacibus), *quae ab* ITALIAE *quidem* REGIONIBUS INCEPIT, IN ALIIS AUTEM MULTIS ROMANORUM R. P. LOCIS PESTIFERAE CUIUSDAM LUIS MODO SIT GRASSATA; *ex quo plerique in comitialem morbum, alii in* ARTUUM RESOLUTIONEM, *sensu incolumi, nonnulli in utramque sunt prolapsi; et eorum, qui in comitialem morbum inciderunt, plures interiere; ex illis vero, qui in* RESOLUTIONEM, *plures evaserunt; tanquam in crisi*, CAUSA ALIORSUM *ex loco, quem infestaverat, conversa.* Si PLINIUS (cuius locum supra in *nota* 1) ad §. LXXXII. adduximus) cum *novum morbum colicam* esse scripsit, hanc *epidemicam*, de qua PAULLUS meminit, intellexisset; non posset *falsitatis insimulari*, ut insimulatus a SENNERTO et TRONCHINIO fuit; nam huiusmodi *epidemica colicae spasmodicae constitutio* fortasse multis ante annis, nimirum sub TRAIANO incepit, et perrexit grassari de una in aliam regionem usque ad P. AEGINETAE tempora, qui HONORIO imperante florebat. *Ex sch. auct.*

Colicae epidemicae exempla.

PAULLI AEGINETAE *narratio memorabilis.*

Hoc testimonio locus PLINII *notatus excusari potest, et qua ratione.*

6) WILLISIUS *Patholog. P. II. c. XV. Pars primario in colica affecta* ipsi visa est esse *mesenterium, quod est valde sensile; cuius transitus est, materiam morbificam non per arteriam, sed per nervos deferri, eiusque sedem non esse intestinorum tunicas, sed mesenterii plexus nerveos.* Ex sched. auct.

7) ETTMÜLLERUS *T. II. p. I. Coll. pract. sect. XI. p.* 183.

8) ASTRUCIUS *in thesi Monspelii* edita ann. 1751, cui titulus: *An morbo colicae Pictonum, rectius rhachialgias dicto, venae sectio in brachio?* SAUVAGESIUS *Nosolog. class. VII. ord. V. n.* 29.

9) *Rhachialgia* LUDWIGII est *dolor spinae dorsi.* Ῥαχὶς enim *spinam dorsi*, Ἀλγέω *doleo* denotat. ASTRUCIUS ex hypothesi *colicos dolores a nervis medullae spinalis* male affectis repetit. Hunc secutus SAUVAGESIUS *rhachialgiae* nomen transtulit ad *colicam Pictonum, saturninam et convulsivam.*

Quid RHACHIALGIAE *nomine intelligendum sit.*

Duplex est, sympathica et idiopathica.
Rhachialgia sympathica ex colicis doloribus.

Sed revera *rhachialgia* LUDWIGII, id est *verus dorsi dolor* spectaret ad genus morbi, quod a SAUVAGESIO *lumbago* dicitur. *Rhachialgia* alia est *idiopathica*, alia *sympathica*. Cl. DELIUS hos omnes dolores voluit potius appellare nomine *notialgiae* a Νωτὸς, dorsum, et Ἀλγέω doleo. Primum *de rhachialgia sympathica*. In *colicis doloribus* non solum *zona coli*, sed etiam *reliqua intestina* tensionibus molestis afficiuntur. At *plexus mesaraici* ad aortam descendendo adeo *spinae dorsi* adhaerent, ut eidem anterius quasi agglutinati videantur, ideoque non solum vagos *spasmos* in variis tubi *intestinalis* partibus efficiunt, verum etiam *spinam* lumbarem *in consensum* trahunt. Hinc accidit saepe, ut vicina *latera* simul doleant, et *spasmi* ad *thoracem* et *costas* ascendendo *pleuriticos* saepe *dolores mentiantur*; qui tamen mox cessant, quando *causa spasmorum intestinalium* sublata est aptis remediis. *Dolores haemorrhoidales* saepe ad *os sacrum*, ad *lumbos*, ad *spinam* producuntur. Non enim id tantum a vasis turgentibus et varicosis in ano, intestinis, mesocolo et ab hypogastrica oriundis repeti debet, sed praecipue a nexu *plexus hypogastrici* ad *intestinum rectum* usque descendentis cum *nervis ossis sacri* et vicinis *spinalibus*. Hinc *colicae* etiam *haemorrhoidales*; nam ab intestino *recto* tensio producitur ad *lumbos* et ad *intestina*. *Dolores menstruantium, gravidarum* et *puerperarum* saepe ad *lumbos* propagantur. In iunioribus tamen puerperis saepe tensiones molestae in *dorso* excitantur ex *spinae dorsi* infirmitate, cuius nimirum partes iustum robur nondum aequisiverunt. Gravidae enim molem ventris et pondus vix ferre possunt, unde tanta imbecillitas *spinae* et *coxendicum* remanet, ut per plures hebdomades cruribus vix insistere possint, et vacillent, et si sibi a motibus violentis non temperant, aut in partu difficili valde laborarint, *dolores habituales in spina dorsi* per totum vitae tempus molestos patiantur ex hac causa. Eisdem incommodis obnoxiae etiam sunt adultiores feminae, quando per validos in partu nixus *ligamenta, musculos* et *nervos* ad *spinam lumborum* et coniunctas cum *osse sacra coxas* vehementer urserint et distraxerint. Ex hac forte causa *abscessus lacteos*, ut vocantur passim, crebrius ad *spinam lumbarem* et inferiores partes, quam in aliis locis oriri probabile videtur. Ne igitur his aerumnis affligantur, necesse est, ut iusta quiete partibus restitutionem pristinam et firmitatem concilient. In *colica nephritica* ob nexum *plexus renalis* cum *meseraicis*, et ob connexionem cum *vertebris* ad *spinam dorsi* dolores tensivi ascendunt. Interdum *dolor nephriticus* minus molestus est *regioni renum*, et magis deorsum ad *inguina*, ad *testes* et ad tractum *cruralis nervi*, et praecipue inter incedendum ad *spinam lumbarem* producitur. In *febribus* quoque *lassitudines, tensiones* vagae et *dolores dorsi* ex dyscrasia humorum pendent. Hinc *lumbago febrilis, variolosa*, species *rhachialgiae* sunt. Possunt vero *dolores dorsi* et *lumborum* ab aucto sanguinis motu et impetu fieri. Verum plerumque a *spasmis primarum viarum* ad *spinam* productis repetendi sunt. Imo a *spina* spasmi ad

Item ex doloribus haemorrhoidalibus.
Hinc colicae haemorrhoidales.
Item ex doloribus menstruantium, gravidarum et puerperarum.
Abscessus lactei unde oriantur.
Item ex colica nephritica.
A spasmis primarum viarum.

Ἐγκέφαλον produci possunt, et capitis dolores per consensum excitare. Sed de *sympathicis* non plura. Modo de *idiopathicis spinae doloribus*. *Rhachialgiae species* quaedam *idiopathicae* est *dolor* quidam *pungens* et *fixus* in confiniis *thoracis* et *lumborum*, tensione sua ad *latera lumborum* et *thoracis* sese extendens, qui validos nixus, saltus improvidos inaequali pede, contorsiones spinae dorsi subitas, aut etiam subitas in alterutrum latus corporis conversiones subsequitur. Cum hac *rhachialgiae specie* saepe respirationis organa male afficiuntur, ita ut praecipue profunda inspiratio brevis, et nonnihil dolens animadvertatur. Hic dolor plerumque, dum quiescit corpus, quiescit et ipse, imprimis si aeger aptum sibi inveniat positum, Excitatur vero mox ad initium motus, aut ad eius continuationem. Aliquando etiam continuus est, nempe quiescente corpore silet, anxiamque reddit respirationem. In *lumbis* ortus, ibique *fixus* non raro increscit, ita ut totam *spinam* dorsi occupet, et paulo post dolorem vel universi capitis, vel occipitis saltem moveat. In his *doloribus* causa videtur vis aliqua *spinae dorsi* illata. Sed vis etiam musculis illata idem efficiet. A *flatibus, ab hydrope, a graciditate, a tumentibus mesenterio et ovario* premitur aut distrahitur *spina dorsi*, et dolet. Quando per nixus, saltus, gestationes ponderum vis *spinae* infertur, raro *luxatio* evenit. Potius si simul *spina* extrinsecus a tergo ictu feriatur, vertebrae rumpuntur, aut distorquentur, aut subluxantur. Interdum *ligamenta* dilacerantur, *vasa* comprimuntur aut dehiscunt, *humores* effunduntur, et lentae corruptiones materiae effusae et *abscessus* ad *spinam dorsi* et *osteosteatomata* fiunt. Illi lentam *vertebrarum cariem*, haec *tumores* inducunt, quibus vicinae partes comprimuntur; et quamquam *ossea strata* in ipso *tumore* nascuntur, ex pravis tamen abscessibus ad tumores natis eroduntur vicinae ossium partes. Utroque morbo post multos *spinae* cruciatus macies et lentae febres aegrum demum conficiunt. Vide de his *dissertationem inauguralem* JOANN. GOTTHELF. HERMANNI *de osteosteatomate*. Lips. 1757. Ex *ligamentis* distractis, aut ruptis, aut laxatis *exostoses* natae explicantur. *Musculi* quoque patiuntur, inflammantur, effusiones, stases, oedemata incurrunt; hinc *dolores* et etiam *abscessus*. *Luxantur* et ipsi e sua sede depulsi. Vid. Cl. POUTEAU *Mélanges de chirurgie. Lyon* 1760.

Rhachialgia idiopathica quae. Doloris ratio et symptomata eius. Doloris causae. Spinae luxationes. Ligamentorum vasorumque lacerationes. Abscessus et osteosteatomata, eorumque noxae. Hinc febres lentae et tabes. Exostoses. Musculorum morbi.

LUDWIG. *Adversar. med. pract. T. I. P. IV. artic.* 4.

Omnia ex *schedis auctoris* adiecta. Vide etiam *Part. I.* huius *Vol. IV.* §. *LXXIV.*

§. XCIV.

Nos vero, retento generico *colicae spasmodicae* nomine, quod magis proprium et magis accommodatum credimus, eam cum Cl. BONTAEO [1]) dividimus in *primariam* et *secundariam*. *Primaria* illa est, quae a causa externa

Colicae SPASMODICAE divisio in primariam et secundariam.

Quae primaria. Haec rursus dividitur in metallicam, sive saturninam, et in vegetabilem. Quaenam spectent ad saturninam. Quae ad vegetabilem.

in ventriculi intestinorumque cavum manifesto immissa proficiscitur. Haecque duplex statui debet, *metallica* nempe, sive *saturnina* [2]) a metallicis, *plumbeis* praesertim corpusculis, sive pulveris, sive fumi et halitus forma deglutitis oriunda, et *vegetabilis*, sive a succis aut potibus ex vegetabili regno depromtis progenita [3]). Ad *metallicam*, seu potius *saturninam* referri debet *colica plumbariorum*, *figulorum* et *pictorum*, et si qua alia est [4]). Ad *vegetabilem* vero *colica Pictonum* CITESII, *damnoniensis* HUXHAMII [5]), *iaponica* KAEMPFERI, *hungarica* et *franconica* SENNERTI, *moravica* et *austriaca* HOFFMANNI, et reliquae similes varietates, quas vina, cerevisiae, aut acida vegetabilia, aut fructus acidi austerique faciunt. Ad *secundariam* porro, cuius causa interior est, sanguinique primario inest, spectant *arthritica* MUSGRAVII et TRONCHINII, *scorbutica* SENNERTI et VANZELSTI [6]), *febrilis* RIVERII [7]) et *melancholica*; quas nimirum arthritica, aut rheumatica, aut scorbutica materies, aut febrium non rite solutarum recrementa, aut atra bilis congesta in imi ventris visceribus procreare consueverunt.

Quae secundaria, et quaenam ad eam spectantes.

1) *Dissertation. sur la coliq. du Poitou dans le Journal. de médec. par Mons.* VANDERMONDE. *T. XV. p.* 399.

2) *Metallicae* nomen latius est, iisque arridet, qui eam oriri posse existimant a mercurio, ab arsenico, a cinnabari, a cupro aliisque metallicis rebus. *Saturnina* vero rectius nominari videtur illis, qui a solo *plumbo*, aut ab eius praeparatis *cerussa*, *lithargyro*, *minio*, *saccharo*, *extractis*, *tincturis* deducunt. Inter hos primas tenet SAMUEL STOCKHAUSENIUS libro *de lithargyrii fumo noxio, morbifico, eiusque metallico frequentiori morbo etc. Goslar.* 1656; qui liber prodiit Parisiis ann. 1776 in linguam gallicam versus cum notis a Cl. GARDANO adiectis — *Traité des mauvais effets de la fumée de la litharge etc.* Nec praeteriri debet JOANN. GUILELM. ILSTMANNI *Dissert. de colic. saturnina metallurgor. Gotting.* 1752.

3) CITESIUS *l. c.*, SENNERTUS *l. c.*, aliique.

4) TRONCHINUS *de colic. Picton. etc.* 1757.

5) *De morb. colic. Damnonior.*

6) De podagra 1738.

7) *Prax. med. l. X. c.* 1.; FERNEL. *Pathol. l. VI. c.* 10. et aliorum.

§. XCV.

Symptomata colicae metallicae seu saturninae ex WILSONE *referuntur.*

Metallica sive *saturnina* ceteris frequentior est, atrocior et pertinacior. Haec reliquis minus vaga est, certioremque sedem servat, nimirum intra intestinorum et mesenterii potissimum ambitum. Incipiente malo, ut habemus ex Cl. WILSONE, qui illud in plumbi fossoribus ad fodinam *Lead-Hills* saepius observavit [1]), primum se exserit molestiae cuiusdam et ponderis insueti sensus circa ventriculum, praesertim circa superius eius orificium. Quandoque etiam intestina dolore corripiuntur. Quibus haec eveniunt, saliva dulcis et quasi coerulea est, veluti iis, qui plumbum ore receptum dentibus mandunt, pulsus parvus, cutis frigida et saepe viscido sudore madida, crura torpent ac vacillant, vires languent, appetitus deficit, atque assumta non digeruntur. Inter haec non raro diarrhoea supervenit, aegrisque affert salutem, dummodo brevis et moderata sit. Nam si diutius persistat, maiora mala portendit. Ita affecti nondum lecto affiguntur, sed incedunt adhuc, et ad suas res incumbunt.

Primus gradus sive levioris morbi initia.

Secundus gradus, quo se morbus exserit gravior.

At si symptomata haec perseverent, aut si qui iis conflictatur, spiritibus aut liquoribus vinosis, dum stomachum plenum habet, aut paulo post plumbi tractationem se repleat, statim corripitur dolore fixo ventriculi, aut infimae abdominis partis, qui saepe ab uno ileo extenditur ad alterum usque, tumque revera morbum se exserere dicendum est. Proprium *colicae metallicae* fere est, attactu et pressione nihil exacerbari.

Quid magis proprium sit colicae metallicae.

At doloris acerbitas tanta plerumque est, ut homines in desperationem fere adigantur, anxii summopere fiant, agitentur assidue, horrescant, urinas aut nullas, aut paucas et stranguriosas [2]) emittant. Plerumque tamen nec sitiunt, nec febricitant. Interim alvus ita adstricta est, ut non modo quicquam ab ea egeratur, sed nec clysteribus aditum permittat, et si quid arte educatur, durum id est, globosum, et stercus paene caprinum aemulatur.

Signum fere pathognomonicum alvi

Haec autem summa pertinaxque alvi adstrictio cum insigni musculorum abdominalium atque umbilici in-

adstrictio cum insigni musculorum abdominalium et umbilici introrsum contractione. Delirium ferox.

trorsum contractione colicae metallicae constans et proprium signum constituit. Ceterum dum haec ingravescunt, pulsus, si WILSONEM audiamus, interdum attollitur, incalescit cutis, vertigo et capitis dolor acerrimus accedunt, quibus aut stuporis quaedam species, aut delirium ferox succedit, ut dentibus se ipsos lacerent, extrema corporis convellantur, vires proruant, arteriarum micatus intermittant, finemque malis coma aut apoplexia imponat. Sed frequentius est, post diuturnos cruciatus, enormes vomitus et singultus, convulsiones, animi deliquia, artuum contractiones malum terminari (id quod intra XIV. plerumque dies contingit) manuum aut pedum, aut utrorumque *paresi*, sive motus, non vero sensus abolitione; interdum *asthmate sicco*, *ictero*, aut *alvi fluxu*. Nec rarum est, mediis in doloribus *epilepsiam* gravem, quae sine interruptione multas horas aegrum concutiat, repente supervenire. Quae ubi tandem conquieverit, non tamen putandum est, in tuto aegri res positas esse; nam saepe paulo post revertitur, atque vitam in discrimen adducit ob cerebri laesionem; aut, ea cessante, paralytica membrorum resolutio succedit, aut *colica* iterum reviviscit et saevit.

Coma et apoplexia. Solvitur interdum morbus paresi manuum, vel pedum, vel utrorumque, vel asthmate sicco, vel ictero, aut alvi fluxu. Epilepsia gravis inter dolores supervenit aliquando, mox in paralysin desinit.

1) *Journal de médecine de M.* VANDERMONDE. *T. VIII. p.* 135.

2) *Ibid. p.* 106.

§. XCVI.

Natura harum colicarum adhuc obscura est.

Multa de hisce *colicarum* speciebus et cogitata subtiliter et scripta erudite sunt a clarissimis expertissimisque viris [1]), sed dolendum vehementer est, post innumeras editas de iis commentationes, naturam tamen earum adhuc in obscuro latitare, nec satis nobis perspicuum esse, quae potissimum pars afficiatur, qua ratione earum causae remotae agant, qualemque labem aut noxam sive fluidis, sive solidis partibus inurant. Nam cadavera eorum, qui ex hisce *spasmodicis colicis*, et praecipue *metallica* sive *saturnina* obierunt, diligentissima quamquam sectione reserata, non mul-

tum tamen lucis attulerunt. Difficillimum quippe est, in morbis praesertim, in quibus nervi proxime afficiuntur, causam ab effectibus dignoscere. Plerumque crudelissima colica extinctos nihil praeter *pallida, flatibus distenta exhibere intestina,* asseverat TRONCHINIUS [2]). Imo addit, Cl. SENACIUM *quinquaginta et ultra* secuisse *cadavera colica Pictonum* defunctorum, quin ulla causae vestigia in iis potuerit detegere; qua de re per litteras *anno huius saeculi quinquagesimo* ab eo certior est factus. Id etiam confirmat sectione anatomica, cui pictorem andegavensem subiecit FERNELIUS [3]), in cuius cadavere *iecur, lien, ventriculus, renes* sani apparuerunt, et nulla *in vesicula fellis obstructio, nulla in mesenterio humoris vitiosi congestio, nihil denique in ulla alia parte, quod tantorum fuisset malorum causa, observari potuit.* Excipit tamen eos casus, in quibus reliquiae *febrium imperfecta crisi solutarum, vel non bene curatarum,* aut *scorbutus,* aut *melancholia morbum fecerint,* nam aliqua *vestigia in cadaveribus* inveniri concedit. Id non solum observatione ex P. MILONIS medici pictaviensis *adversariis* adducta, qua constat in cadavere cuiusdam *Franciscani intestini ieiuni membranas bile aeruginosa turgentes, a se invicem distentas, non procul ab hepate, imo flatibus distentum intestinum tunicasque omnes* (excepta exteriori a peritonaeo nata) bilis acrimonia *exesa, nec immune* etiam ipsum *epiploon* fuisse; verum duabus quoque propriis comprobare non dubitat. In quarum priore refert de viro *melancholico* post graves aerumnas *colicis doloribus* enecato, et *partem concavam hepatis* vicinaque loca *atroviridi pigmento* tincta prosectoribus exhibente. In altera sectionem hominis *colicis doloribus scorbuticis* defuncti adducit, in quo *intima intestinorum tunica muco orbata,* atque humorum acrimonia ubique *leviter exesa,* eorumque, sicut etiam *mesenterii vasa varicosa* et *sanguine atro* plena cernebantur [1]).

Causa ab effectibus morborum, in quibus nervi proxime afficiuntur, non bene distingui potest. Res confirmatur observatis anatomicis.

Exceptiones quaedam ob oculos habendae.

1) Vid. CITESIUM *l. c.*, SENNERTUM *l. c.*, RIVERIUM *l. c.*, CRATONEM *l. c.*, GRASHUYSIUM, *De col. picton. tentamen,*

TRONCHINIUM *l. c.*, HUXHAMIUM *l. c.*, STOCKHAUSEN. *l. c.*, ILSEMANN. *l. c.*, BONTAEUM *l. c.*, BACKER. *l. c.*, HAENIUM *Rat. med. P. IV. cap.* 8., LIEUTAUDIUM *Diar. med. obsercat. L. I.*, MASSUET. *Dissertat. sur la coliq. dans la bibliothèq. raisonnée. T. VII. p.* 144. *et* 279., *et* CAR. STRACKIUM, qui quas iam de *colica Pictonum diario med. Parisino ann.* 1765 *mens. April. p.* 235. *et ann.* 1766 *Februario mense p.* 125. inseruit *observationes*, accuratius collectas latine reddidit, et Lipsiae ac Francofurti edidit ann. 1772; nec non alios quamplures. *Ex schedis auctoris hanc auctorum seriem depromsimus. Eam fortasse contexuit, ut sibi constaret, quae loca consulenda essent, ut posset de hac colicae specie diagnosin, quam nondum absolverat, rectius decernere.*

2) *De colic. Picton. cap. XIX.*

Observationes anatomicae.

3) *Plures alias inter schedas auctoris invenimus historias et observationes anatomicas, quibus haec pathologia magis innotescere potest. Quare eas adiicere his libet, ne quicquam omissum a nobis sit, quod lucem legenti afferre queat.*

I. WILSONIS.

Cl. WILSON, a quo novimus animalia, quae vaporibus exponuntur a fusione plumbi manantibus, aut herbis ab iisdem maculatis vescuntur, in eadem incidere mala in quae homines incidunt, sequentem refert observationem. *In cane* colica saturnina *demortuo inveni tunicam interiorem ventriculi et intestinorum pulvere plumbi hinc illinc incrustatam; itemque leves sparsas inflammationes, quarum aliquae in gangraenam transierant, et perforatae erant. Excrementa pauca et valde dura. Tunicae intestinorum valde crassae, et eorum cavitas valde imminuta.* Vid. *l. c.*

II. LIEUTAUDII.

Cl. LIEUAUDIUS (*Diar. med. T. I. l.* 1. *observ.* 76.) *in pictore,* inquit, *post* colicam saturninam *sputum sanguinis. Praeter pulmonum et pleurae vitia, duodenum et ieiunum ileumque hinc illinc inflammatum.*

III. Eiusdem.

Hepar obstructum, et pancreas durum. Idem (*ibidem observat.* 425.) in cadavere iuvenis *aerarii fabri* colica *saturnina* denati observavit *intestina summe tumida, maculisque lividis et nigris* signata.

IV. Eiusdem.

Colon variis in locis *constrictum*, praeter pulmonis vitia. Idem (*ibidem observat.* 433.) vidit in alio colica *saturnina* intra triduum defuncto *colon* et *rectum* ultra modum *distenta* cum variis *maculis gangraenosis* et nonnullis *constrictionibus.*

V. Eiusdem.

Observavit quoque in alio pictore (*ibid. observ.* 77.) eodem morbo rapto *intestina* variis in locis *constricta* et quasi *strangulata* cum multis *maculis rubro lividis* et *gangraenosis*, praesertim in *ieiuno* et *ileo*, quorum vasa valde tumebant; nec ab inflammatione et *maculis* immunem ventriculum.

VI. Eiusdem.

Item in pictore eodem dolore correpto, quem delirium et convulsiones ante mortem exceperant inventum ab illustri viro (*observ.* 450) *epiploon gangraenosum, colon angustius*, cellulis obliteratis mere *cylindricum, coecum* mire *distentum* et *putrefactum*, *cystide fellea atra bile* turgida.

VII. Eiusdem.

Idem quoque (*ibid. observ.* 1772) refert de lapidario, qui post colicam *saturninam* et *manuum contracturam,* a qua reconvalescebat, coepit *intumescere* cum *dolore*, et *febri lenta*

confectus est. Eius *intestina livida* invenit, *sanie* innatantia et pulmones duris tuberculis, et quasi cartilagineis scatentes, et pus passim habentes. Demum *(ibid. l. 2. observat. 151.)* historiam habet artificis, qui ex *colica saturnina* obiit. Huic *venter intumuerat cum tensione. Intestina* flatu *ultra modum distenta*, et praesertim pars *coli epigastrica*, cui promixior *hepatis pars quasi contusa ecchymosin* exhibebat.

VIII. *Eiusdem.*

§. XCVII.

Neque satis inter auctores constat, num *epilepsia* et *paralysis*, in quam incidunt aegrotantes, a *metastasi*, an vero a sola *nervorum paris vagi* ac *intercostalis communicatione*, cum quibus nervi *brachiales* et saepe *crurales consentiunt*, sit repetenda. Dolorum tamen sine ulla excretione cessatio, quae accedente *epilepsia* graviori, aut *paralysi* contingit, epilepsiae facilis in apoplexiam transitus, diuturna et pertinax paralyseos duratio, et demum *tumores*, qui gangliorum instar in metacarpo manuum et metatarso pedum simul prorumpunt, primae videntur favere sententiae. Quibus si addideris curationis rationem, qua et *paralysis* et *tumores* eiusmodi discutiuntur, eandem adhuc probabiliorem reddes. Nec obstat, interdum *paresin* huiusmodi evanescere solis remediis abdomini et interne adhibitis, ut SWIETENIUS sibi suadet. Nam D. HILARYUS [1]) historiam narrat, e qua cognoscitur, *morbi materiem paralysin manuum* effecisse, qua per externa applicita medicamenta discussa, *dolor intestinorum* rediit, et hoc iterum cessante, manus denuo *paralysi* captae sunt [2]).

Dissensus auctorum, utrum epilepsia et paralysis sint a metastasi, aut a nervorum consensu.

Nil obstat SWIETENII *obiectio contra metastasis sententiam.*

1) *Observations on the changes of te air etc. p.* 182.

2) *Cl. auctor inter adversaria sua quaedam excerpta habet ex supra laudato* CAR. STRACKII de colica Pictonum *libello, quae huc transferenda non dubitamus, ut morbi obscura indoles clariori in luce, si fieri potest, aliorum observationibus collocetur.*

„Inquirit primum STRACKIUS, an certi aliquid de causa alioquin dubia huiusce morbi statui possit. Alii in plumbo ac cerussa, alii in lithargyro, stanno, cupro, antimonio crudo, rursus alii in diversis pigmentis, nec non in pomis, pyris, uvis non satis maturis eam quaesiverunt. Hinc morbum alii *pictorum, deauratorum, figulorum*, alii *Pictonum vegetabilem*, alii *colicam metallicam* appellarunt. TRONCHINIUS octo

Multiplices causae iuxta alios observatores.

diversas eius species numerat. JOH. GRASHUYS pro causa huius morbi habet quidquid interiorem intestinorum tunicam muco suo exuit. CITESIUS nomen a gente *Pictonum* deducit. Alii morbi rationem paene ignotam pronunciant."

Causa iuxta STRACKIUM.

„Ex variis observationibus didicit praeter dictas causas aliam *causam* saepe occurrere, nimirum *materiam arthriticam vagam*, in *infimum ventrem delatam*, ad quam solam etiam direxit curationem; suamque methodum aegrorum historiis comprobat. Uti autem consuevit decocto lignorum, antimonio crudo, balneis calidis ac tepidis, hisque indicationi causali satisfecit. Ad balnea suasit aquas thermales Wisbadenses, balneisque usus est ad morbum praecavendum; facile enim morbus revertitur, et tanto certius, quo brevius balnea fuerint adhibita. Quapropter ducenties et ultra balnea usurpanda iubet passim suis aegris.

Signa colicae ab arthritico humore.

„Inter *signa colicae ab arthritica materia* refert, quod medio in tormine musculi abdominales adeo sensiles contractique sint, ut se erigere aeger nequeat, sed incurvo corpore et inclinato capite esse debeat. Idque pathognomonicum habet.

„Non negat causas supra memoratas interdum colicam efficere, nunquam vero *colicam pictonum*. Refutatis itaque, qui colicam *Pictonum saturninam* appellant cum Cl. MUSGRAVE colicam *arthriticam* esse asserit, atque *antimonium*, quod inter causas huiusce colicae recenset TRONCHINIUS, esse optimum contra *colicam Pictonum* remedium.

Diagnosis.

„*Diagnosis* vel facilis est, vel difficilis. Facile ab unoquoque cognoscitur, si dolor vagus aliarum atque aliarum partium externarum et internarum fuerit, et demum in abdomen se materia arthritica contulerit.

Quando arthritica ab aliis distinguatur.

„Difficilius distinguitur, ubi dolor ab initio ventrem occupat fixus, num colica a *materia arthritica* sit, an ab alia causa. Distinguitur tamen per has notas. Si nulla alia causa verosimilis sit, quae cum arthritica comparari possit, si dolor vehemens adsit, si sine febre et inflammatione cum pulsu parvo et lento, si cutis color flavus oliveusque, oculi concavi, limbo plumbeo cincti sunt, si dolores articulares aeger sensit, si etiam citam et magnam membrorum lassitudinem atque defatigationem post labores exiguos cum asthmate, si debilitas somno finito maior est, quam ante eum, si sudor cutim urit, eaque papulis miliaribus referta est, si in facici, atque potissimum frontis cute titillatio erronea, ubi aeger manu admota nihil sentit, urina tenuis cum stranguria urens, seu subalbicans veluti serum lactis cum sedimento albo laeve, pingue mittitur. Haec signa arthriticam causam auctori videntur denotare.

Prognosis.

„Exitus materiae *arthriticae* fit vel sudore, vel urina, vel abscessu, rarissime per alvi fluxum; interdum alternatim per sudorem et urinam, quibus interveniunt abscessus.

„Bonum est, si intenditur dolor circa XV. balneum. Morbi tunc materia movetur, ac febris accedit.

„Singulare est *arthritidis* vagae miasma, atque ab omni alio morbo diversum, ac epidemicum esse potest. Non convenit

cum *podagra*. Nodi enim podagricorum si ulcerantur, albam, calcaream, inodoram materiam effundunt, contra arthriticorum materiam nigram, putridum ovi vitellum olentem, sine tamen ossium carie. Hinc vesicantia et fonticulos etiam laudat." *Ex comment. Lipsiens. Vol. XVIII. P. IV. p.* 674.

§. XCVIII.

Colicae reliquae. *Stomachicae signa.* *Pancreaticae, hystericae, mesentericae.* *Signa hepaticae.*

Colicae demum *stomachicae*, *pancreaticae*, *mesentericae*, *hystericae*, *nephriticae*, *hepaticae*, quibus notis distinguantur, dicendum modo superest. Quod attinet ad primam; de illa iam satis in *capite* VI. de *gastrodynia* actum est. *Pancreatis*, *uteri*, *mesenterii*, tam peculiaris sedes, natura, moles, quam morbi, sive chronici, sive acuti earum partium, medico perdiligenti tantum luminis afferent, quantum ad harum partium dolores a reliquis dignoscendos opus est. *Hepatica* a ceteris non solum sede, verum etiam *ictero*, urina crocea, faecibus alvi albicantibus crebraque reversione distinguitur. *Nephritica* renum alterutrum constantissime torquet, iuxta ureteris longitudinem exporrigitur, testem sursum retrahit, cruris stuporem infert, urinae interdum difficultatem inducit, aut certe tenuem et claram primum, deinde subsidentem ac arenulis refertam demittit, a cibo fere non ingravescit, vomitu aut deiectione non sublevatur; contra vero in intestinorum dolore evenit, in quo etiam urina iam ab initio crassior et saturatior meiitur. *In doloribus intestinorum urinae quales ab initio.*

Prognosis.

§. XCIX.

Prognosis generalis.

Colica, quamquam cito saepe et ad salutem terminatur, malum tamen non est contemnendum. Quandoque enim dolorum atrocitate et continuatione citissime vitam adimit. Prava indicia sunt febris, vigiliae, alvus pertinaciter compressa, virium exsolutio, singultus, vomitus, ileus, extremorum refrigeratio, sudor frigidus, syncope, convulsio, epilepsia. Plerumque in inflammationem gangraenam- *Prava signa.* *De unaquaque*

quid sperandum, quidve timendum. que intestinorum, aut sphacelum desinit [1]). *Flatulenta*, nisi a musto aut aliis rebus fermentescentibus oriatur, minus periculi habet, *Quae minus periculi habeant.* uti etiam *hysterica*, *hypochondriaca* et *convulsiva* simplex, *pituitosa*, *accidentalis* ab *ingestis* et *verminosa*. *In verminosa indigitationis periculum.* In hac tamen timor est, ne intestina perforentur, aut intro suscipiantur, atque indigitationibus strangulentur [2]). *Biliosa* et *inflammatoria* periculosiores sunt. Sed his adhuc *spasmodica*, *pictaviensis*, *metallica*, sive *saturnina* magis timenda. *Magis periculosae colicae quaenam sint.* *Et lumborum*, inquit AUCTOR COACARUM [3]), *ac tenuioris intestini diuturni dolores, et circum praecordia labores, in aegris una cum febre cibum fastidientibus, eos dolor intensus ad caput progressus non sine convulsionis specie celeriter interficit.* *Hippocratica prognostica.* Ex HIPPOCRATE item habemus: *Quibus tormina, et circa umbilicum dolores, et lumborum dolor est, qui neque purgante, neque aliter solvitur, in hydropem siccum firmari* [4]). *Quid ab epilepsia timendum.* Epilepsia superveniens utplurimum lethalis est. Curato et discusso dolore, si alvi excrementa aegre et globulorum instar tantum prodeant, timendum est, ne *colica* brevi revertatur. *Quando colica reverti possit.* *Paralysis* vero colicos dolores tollit quidem plerumque, et proximum vitae periculum amovet; sed diuturnam aegritudinem, a qua difficillime sanantur aegroti, accersit. *An paralysis quae tollit dolores, bona undecumque sit.* Bonum est in ea, quae a *metastasi arthritidis*, *rheumatismi*, *scorbuti*, *perspirabilis* retenti profluit, ad artus dolores redire, maculas ad cutim erumpere, sudoribus largis, calidis, aequalibus corpora perfundi. *Signa fausta in colicis a metastasi, scorbuto, rheumate ac perspirabili retento.* Interdum etiam solatio est narium, haemorrhoidum fluxus, aut diarrhoea. *Alia signa bona.*

1) Hic locum obtinent aphorismi HIPPOCR.: *Ab ileo comitus etc.*, et *Ileus cum apprehenderit etc.*, quos ultimo loco inter notas §. LXXXVI. ex sch. auct. retulimus.

Indigitationum exempla.

2) In defuncto ex *colico* dolore aliisque symptomatibus invenit ROBINIUS *coecum* intestinum intra *colon* susceptum. Ab eodem inventum quoque est intestinum *rectum*, quod parte sua superiore receperat intra se *coecum* et *coli* partem non minimam; similemque observationem habet LEBLANCUS. In utroque autem aegro aderant praeter dolores ventris acutissimos etiam *comitus*. *Mém. de l'académ. de chirurg. T. XI. p.* 353. 354. *Ex sch. auct.*

3)

3) *Num.* 317.
4) *Aphor. XI. sect. IV.*

Curatio.

§. C.

In quavis *colica* ea medendi ratio optima erit, quae indicationibus respondeat. Indicationes vero non aliae esse possunt, quam quae in capite de *gastrodynia* (§. LXXX.) expositae sunt, neque alia quoque *curatio* (§. LXXXI.). Praesente igitur dolore sanguis mittatur e brachio, pede, haemorrhoidibus in colica *sanguinea*, *inflammatoria*, *catameniali*, itemque in *biliosa* [1]), aut alia quacunque, si febris, calor, sitis, pulsus magnitudo inflammationis suspicionem iniiciant. Cucurbitulae etiam tam siccae, quam scarificatae abdomini, imo plantis pedum revellendi scopo adhiberi interdum possunt, imprimis in *spastica*, in *sanguinea*, in *inflammatoria*. His utique praesidiis spasmus quoque, quo intestina aliaeque partes afficiuntur, solvi solet. Imo in his PRINGLIUS [2]) vesicantium dolenti loco applicitorum utilitatem commendat. Dolorem vero proximius respiciunt olea blanda et recentia magna copia et saepe intrinsecus data, enemata, quae molliunt, iniecta, fomenta, cataplasmata, linimenta ventri calide imposita, semicupia tepida, maxime in *biliosa* [3]), et remedia ex opio parata, causa praesertim materiali aut subacta, aut imminuta. Causam vero materialem corrigere, ac cito blandeque evacuare omni ope nitendum est.

Indicationes.

Curatio generalis colicarum.

V. S. quibus colicis idonea.

Cucurbitulae tam siccae quam scarificatae.

Vesicantia.

Dolorem lenientia quae.

Causa materialis corrigenda et evacuanda.

1) In *adversariis auctoris* manu DALLARMII, eius quondam discipuli et amici carissimi, adnotatum legimus, se vidisse Faventiae in praenobili viro S. Stephani P. et M. equite huiusmodi *colica* summa cum *aurigine* affecto, quae eum saepe corripuerat, ab auctore nostro pluries sanguinem missum esse felicissimo curationis eventu, quin tamen aeger vel in *colicam*, vel in *auriginem* iterum inciderit. Haec ideo adiicere libet, ut intelligatur, quantum a vero aberrent nonnulli, qui statim ac aegros *aurigine* corripi vident, exclamant, a sanguinis missione omnino esse abstinendum. Sit modus in rebus. Vide

tamen §. *CCXLIV. Vol. I. de febribus*, quando cautius eadem administranda sit. Vide etiam *Trattato delle acque di s. Christoforo p.* 82. *et seqq.*

2) *Malattie d'armata P. III. c.* 2. §. *V.*

3) ROBERT. PORTER. *Essais de méd. d'Edimb. T. III. p.* 438.

§. CI.

Curatio FLATULENTAE *et* CONVULSIVAE.

Compressio abdominis plerumque levamen affert in *flatulenta* et *convulsiva*; et praeterea spiritus nitri dulcis ab HARTMANNO et HOFFMANNO laudatur, liquor anodynus mineralis, costoreum, et chamomillae decoctum aliaque carminativa dicta. Remittente dolore, quod post enemata iniecta incidit, alvus etiam duci utiliter potest lenienti remedio, rhabarbaro, manna, pilulis BECHERI aliisque similibus. In magna vero aëris rarefacti copia ac ventris inflatione saepe potus frigidae, et frigida extrinsecus admota aërem

BILIOSAE.

coërcet, et fibras ad reagendum impellit [1]). Haec quoque non raro profuit in colica *biliosa* [2]); cui conveniunt etiam subacida, serum lactis, tamarindorum et cassiae dilutum aliaque huiusmodi. Ad aestum compescendum, lentorem humorum attenuandum, bilisque acritatem *alcalinam* corrigendam aquae potui dandae instilletur etiam succus aliquis acidus ex iis, quae vegetabilia suppeditant, uti succus limonii, mali citrei aut aurantiorum, syrupi ex his parati, itemque berberum, rubi idaei etc.; nec, ubi morbus urgeat, a va-

STERCORALIS.

lentioribus abstinendum pluries a nobis propositis. In colica *stercorali* purgandum validius est. Non solum clysmatibus leniter stimulantibus, et praecipue ex decocto foliorum *tabaci*, verum etiam manna cum oleosis copulata, oleo ipso lini aut olivarum propinato alvus ad excretionem sollicitanda erit. Nonnulli (ut REDIUS) aquam *tectuccianam*, sal anglicum magna aquae copia dilutum, imo cathartica per opii additionem mitigata proponunt, ut SYDENHAMIUS, RIVERIUS [3]) et HUXHAMIUS [4]), quotiescunque levioribus non obediat malum. GALENUS opio aloën addebat. HOFFMANNUS testatur, se novisse homines plebeios atroci inte-

stinorum dolore vexatos, qui *fumi nicotianae deglutitione in instanti liberi* evaserint [5]). Ad *pituitosam* incidentia, salina, gummi ammoniacum, semina dauci cretici, sapo venetus commendantur; sed prudentis tantum medici est iisdem opportune uti. SCARDONA aquas thermales acidulas ardente sirio epotas in hac colica etiam inveterata ceteris omnibus anteferebat; *remedium enim est*, inquit ipse, *infinitis propemodum experimentis comprobatum* [6]). Quae *vermibus* opportuna sunt, alibi (*cap. X.*) speciatim tradentur. *Meconium* vero, aut *lac coactum* in infantibus blande educunt mellita, oleosa, syrupus cichorei cum rhabarbaro, fel bovillum ventri illitum, clysmata, suppositoria. In *partu*, si *dolore* vires deficiant, dantur aquae cerasorum nigrorum, melissae, citri, aurantiorum, vel panis tantillum vino meraco intincti, ius carnium etc. Si dolores *spurii* fuerint, aliquid laudani liquidi adiicere oportebit. Si *hysterismus* accedat, sufficiet aquis supra laudatis addere guttas aliquot tincturae succini vel castorei et cochleatim dare. In colica *hysterica*, quae sedem in utero habet, aut partibus eidem adsitis, Cl. ROCHARDIUS, exemplis adductis curationum, contendit [7]), clysteres ex frigida singulis bihoriis iniectos, et lintea ex eadem expressa ventri apposita omnem absolvere curationem [8]).

PITUITOSAE.

VERMINOSAE.

Et a meconio, lacte coacto, dolore partus tam vero, quam spurio ortae.

HYSTERICAE.

1) GALENUS in dolore a *flatulento spiritu* orto miraculi instar tollit *cucurbitulam siccam cum multa flamma* impositam. Vid. *meth. med. lib. XII. Ex sched. auct.*

2) Vid. GALEN. *l. c. cap. VII.*, TRALLIANUM *lib. X. p.* 175., AVICENNAM *lib. III. tractat. III. cap.* 6., AMATUM LUSITAN. *lib. I. centur.* 2., *lib. II. cent.* 46., LUDOVIC. SEPTALAM *Animadvers. med. lib. VII. sect.* 81.

3) *Observat. med. centur. I. observ.* 1.

4) *De morb. colico Damnoniorum*, ubi sequentem formulam praescribit.

Rec. *Cochl. min. a scrup.* j. *ad semidrachm.*
Calomelan. scrup. ss.
Laudan solid. gran. j.
Olei caryophyll. gutt. j. *M. F. pil.*

Post duas tresve doses praecipit *sennae infusum*, aut *mannae decoctum* sumendum. Interdum quoque *oleum ad unc.* vj. *etc.*

5) SWIETEN. §. 964. *p.* 131.

6) *Lib. III. p.* 64.

7) *Journal de méd. Janvier.* 1772. *p.* 42.

8) In *colica menses suppressos* secuta RIVERIUS et HOFFMANNUS commendant *aquae frigidae* usum, SWIETENIO teste *(l. c.)*, imo clysteres ex eadem iniiciendos proponunt. *Ex sch. auct.*

§. CII.

Curatio SPASMODICAE.

Iam vero de *colicae spasmodicae* curatione, in quam saepe transeunt praecedentes, aliquid dicere oportet. In hac generatim exulent acria quaecunque, cathartica, et generosiora artis adiumenta [1]). Sanguinis missio vix locum obtinet. Quae molliunt et mulcent, quae spasmos tollunt tam intrinsecus, quam extrinsecus praestantiora sunt, ac demum quae blande et epicratice alvum solvunt. Non desunt tamen exempla, quibus usus fumi *tabaci* in anum insufflati probetur. HAENIUS quoque in colica *clausa* dicta, sive *pictaviensi* feliciter alvum pertinaciter clausam a XIV. diebus reseravit in quodam *studioso homine* infuso saturatissimo purgante, cuius dosis *quadruplicem dosin consuetam* excedebat, sed per vices dato, donec alvus liquaretur [2]). Contrariam item huic antispasmodicae methodum laudant DUBOISIUS et BOUVARTINIUS, qua citissime curatas eiusmodi colicas testantur, quaeque in acribus consistit clysteribus, emeticis et catharticis rabidioribus, interpositis tamen opiatis. Si a *retento perspirabili*, si ab *imperfecta febrium crisi*, si ab *arthritide*, si a *scorbuto* oriatur, diaphoretica atque antiscorbutica adhibenda, uti decocta ex lignis, praesertim *sassafras*, iura viperarum, succi cichoreacei et vegetabilium antiscorbuticorum, balnea, aquae thermales, frictiones, epispastica. Ubi vero *acor austerus* et *acidus potus* morbo originem dederint, sudorifera ex camphora opio mixta, et infuso salviae, alcalica, absorbentia, iura carnium, gelatinae, et demum chalybis usus convenientissima sunt. Aliis incassum adhibitis, SYDENHAMIUS pondere semidrachmae pro dosi efficax expertus est balsa-

Emollientia tam intrinsecus quam extrinsecus adhibenda.

Quando antiscorbuticis et diaphoreticis utendum. Balnea. Revellentia.

Colicae ab ACORE *et* POTU ACIDORUM *quae medela.*

mum peruvianum. China commendatur a PETRO DE RO-TUNDIS [3]), ad drachmam unam pro dosi sumenda [4]). At in *metallica* sive *saturnina*, si recens causa sit, vomitu statim eiicienda est, dato postea paregorico. Morbo iam invalescente, praeter fotus emollientes, balnea et communia dolori leniendo idonea (§. C.), opii vim experiri licet, quod dimidii grani pondere cum camphorae tantillo singulis trihoriis dari potest, donec dolor conquiescat. Post huius effectum alvus eccoproticis laxetur, deinde demulcentia, oleosa, serum lactis, lac asininum, equinum, caprillumve diutissime cum sapone veneto usurpentur. Hic quoque vesicantium et sinapismorum usus mira praestat [5]). Cl. BISSETUS, praeter modo indicata, bezoar minerale, sive terram siculam absorbentem praesentissimum esse remedium contendit, si ab arsenicalibus halitibus aut molecculis morbus fiat. Landat etiam vesicatoria anteriori et supernae femorum parti apposita. Salivatione ingruente, laxans praescribit ex semuncia salis cathartici cum seminibus anisi vino decocta [6]).

Quae SATURNINAE.

1) GESNERUS, PLATERUS, SPIGELIUS, SENNERTUS, WEPFERUS, WILLISIUS, HOFFMANNUS, BORDEVIUS, HAENIUS, SAUVAGESIUS, LUDWIGIUS etc.

2) *Rat. med. P. I. p.* 4. et plura *ibidem P. III. cap. II. De colic. Pictonum*, quae videsis.

3) *De vict. rat. in febr. acut. etc. p.* 167. Hunc corticem quoque commendari ab aliis in *colica periodica*, testatur SWIETENIUS §. 757., ab aliis autem theriacam, ante paroxysmum exhibitam. BAGLIVIUS vero docet, hanc colicam *periodicam* brevi feliciterque evanescere, si tribus horis ante invasionem dolorum lene purgans detur; imo quoscunque alios dolores per repetitas eiusmodi purgationes cessare. *Ex sch. auctor.*

Colicae PERIODICAE *curatio.*

4) Boni effectus, quos in quadam *colica Pictonum* gravissimis convulsionibus stipata peperit *aqua benedicta* RULANDII per clysterem in anum immissa, accensentur a *Diario medico Paris. mens. Jun. ann.* 1782. *p.* 92. *Ex sched. auct.*

Aqua benedicta RULANDII.

5) Cl. TISSOTIUS (*epist. var. argum. p.* 152.) tres habet historias *colicae a plumbo* ortae, ad cuius curationem balneum aquae tepidae, enemata ex olei olivarum et syrupi althaeae *una uncia* j. *et semis* commendat. Potui aquam syrupo althaeae medicatam praescribit. Pro eccoprotico eius formula est: Rec. *Seri lact. lib. j., in quo solv. mann. ping. unc. j. β. Colatur. add. syrup. alth. unc. j., nitri gr. xij., syrup. pa-*

Methodus Cl. TISSOTII *in curanda colica saturnina.*

pav. alb., et aq. naphae ana drachm. j.; cuius unc. ij. omni h. quadrante calide sorbillentur. Cataplasmata mollientia ventri applicat, vapores aquae calidae in anum immittit, et enemata mollia singulis bihoriis. *Mann. unc. j. in multo sero solutae* dari iubet tertia quaque hora, donec purget. Audet dare usque ad octo et amplius mannae uncias *(Ibid. observ. 2.). Ex sched. auct.*

6) *Medical essays and. observat. etc. p.* 92.

De huius colicae curatione legi meretur dissertatio Cl. V. Jo. Alex. Eq. Brambillae, *quae inserta est T. I.* actorum acad, caes. reg. Josephin. med. chir. *pag.* 152. *Editor.*

§. CIII.

Curatio PARESEOS.

Paresi vero, quae colicam saepe excipit, atque a Tronchinio occalescentiae nervorum, ac muci lymphaeque roscidae, qua alluuntur, defectui tribuitur, si recens et curabilis adhuc sit, medendum est immittendo membra in ventres animalium modo mactatorum, eorum fricatione frequenti et repetita, balneis thermalibus, nervinis linimentis, volatilibus applicatis aut assumtis, gummi ferulaceis, balsamo de Mecca, vel peruviano mixtis, parva dosi diuque intrinsecus datis, vino leni canariensi, malvatico, graeco, maderensi parca manu usurpatis, coelique mutatione. Tandem etiam electricitas tentanda est, ut vis nervea et muscularis excitetur [1]). Auro etiam fulminante quosdam ab hoc morbo liberatos, memoriae prodidit Petrus Orteschius in suo *diario medico* anni 1763, *Venetiis* edito *num. XI.* [2]). Reliquis colicarum differentiis ea opponuntur, quae causarum varietatibus conveniunt [3]). Reditus porro morbi, qui *prae ceteris*, ut Sydenhamius ait [4]), ex *natura sua recidivus est*, impediatur religiosa victus ratione, animi tranquillitate, equitatione, aequali pedum et ventris servato tepore, potu aqueo, acidulis, lacte, peruviano cortice, imprimis si *colica* periodice recurrit, chalybe, alvique lubricitate.

Curatio aliarum colicarum.

Qui impediatur colicae reditus.

1) *Apposite ad paresin, quam colica saturnina infert, electricitatis ope tollendam multa ab auctore proposita invenies in nota* 3) *ad* §. *CXLII. et sequenti* §. *CXLIII. Vol. III.*

Pareseos curatio ex Tissotio.

2) Tissotius *(loco citato)* ad *paresin* tollendam, aperta prius alvo, admovet *emplastrum* de *galbano crocato.* Bolos

ingerit ex camphora, benzoë, assa foetida, pulvere radicis helenii et balsamo peruviano, saccharo contrito; superbibendum suadet decoctum ex bardana, sassafras et althaea, partes inferiores succinatis perfricari, diaetamque eupeptam praescribit. *Ex sched. auct.*

3) Curationem colicae *ictericae, hepaticae, mesentericae, pancreaticae* sequentibus videsis capitibus XIII. XIV. XV., in quibus de singularum earum partium morbis speciatim agitur. *Editor.*

4) *Sect. IV. cap. 7.*

CAPUT VIII.

DE ALVO ADSTRICTA AC ILEO.

§. CIV.

Longa nimis faecum in intestinis, praecipue crassioribus mora *alvus adstricta* vocatur; si vero faeces penitus sistantur, etiam *obstructa.* Difficilis itaque, aut prorsus impeditus excrementorum ad anum descensus, atque ab eodem exitus causam constituit morbi proximam. Id autem fieri potest vel a languido intestinorum motu, ab eorum laxitate, dilatatione, atonia, insensibilitate, vel contra a nimio sensu, irritabilitate, spasmo, a bilis, succique pancreatici defectu, a muci, quo deliniuntur intestina, inopia, a nimia vasorum lacteorum inhalantiumque absorbendi potestate, a neglectu stimuli naturalis, quo ad egerendum invitamur, ab imminuta alicubi intestinorum amplitudine, quam induxerit vitiata ab ortu, aut a morbis structura, tumor in ipsis obortus, contractio spastica, tunicarum crassities, aut induratio, coalitus, compressio, intestinorum complicatio, indigitatio [1]), eorum in angustum locum introitus, uti in hernia abdominali, umbilicali, crurali, inguinali, et ipsius scroti [2]).

Alvi adstrictae definitio.

Causa eius proxima.

Causae remotae.

1) *Indigitatio,* sive *invaginatio* intestinorum (nisi admodum magna et simul arctissima) non potest, iudice Mor-

GAGNIO, *ileum* inferre. HALLERUS etiam, cum tam in homine, quam in brutis viderit huiusmodi invaginationes sine inflammatione, et facile per emissum flatum solutas, existimat ex hac causa *ileum* minime oriri; *nimis enim*, inquit, *mobile et sponte solubile malum est, sique grave foret aut funestum, eum suam declararet inflammatione sua, et ciborum ad eam partem intestini collectione, quae intro suscipitur. Verum neutrum mali genus unquam cum invaginatione coniungi vidi.* Opusc. patholog. observat. XXVII.

2) MORGAGNIUS (*epist. XXXIV. n. 35.*) *volvulus*, inquit, *vel ab hernia etiam exigua, vel ab inflammatione intestinorum, vel a susceptione eorum, sed dura, coarctata* et *prorsus omnem viam praecludente, vel ab aliis causis occludentibus, vel vehementer stimulantibus repetitur.* Ex sch. auct.

§. CV.

Causae proëgumenae.

His quasi viam pandunt temperamentum calidum et siccum, perspiratio aucta, potus parcus, alimenta viscida, sicca, austera, medicamenta adstringentia, saturnina, irritantia, cathartica acria, salitorum abusus, vita sedentaria, affectio hypochondriaca ac hysterica, obstructiones tumoresque imi ventris, cerebri et spinalis medullae vitia, unde intestinorum paralysis [1]), vesica urinaria quocunque modo distenta, graviditas, uteri, vaginae, intestini recti tumores, haemorrhoides coecae et non pauca alia [2]).

1) RUYSCHIUS inter causas *ilei* refert *intestinorum tenuium paralysin. Ex sched. auctor.*

2) *Excrescentiam* singularem in *crasso intestino* genitam, et deinde excretam, veramque *hydatidem* referentem, quae alvinam deiectionem difficiliorem reddidit, legimus a MECKELIO observatam. Vid *Mém. des scienc. et bell. lettr. de Berlin. ann.* 1759. *p.* 36. *Ex sch. auct.*

§. CVI.

Definitio ILEI.

Distinctio inter ileum, et dolorem iliacum, et

Si vero alvus ita obstruatur, ut ea, quae per anum excerni deberent, sursum redeant, ac vomitu expellantur, cum plerisque recentissimis morbum Εἴλεον, sive *iliacam passionem*, sive *volvulum*, sive etiam, ut barbari loquuntur, *miserere mei* appellamus. Nos enim ab eorum sententia discedimus, qui nomen hoc *iliaco dolori*, aut *intestinorum* inflammationi tantum tribuunt. Largimur quidem,

in *ileum* haec mala saepe desinere, aut cum *ileo* non raro coniungi, non tamen hanc unicam et perpetuam *ilei* causam esse contendimus. Praeterea in his affectibus *vomitus* ac *alvi* pertinax *obstructio*, quae *ilei* naturam constituunt, neque semper, neque adeo ut in *ileo* urgere videntur. *intestinorum inflammationem.*

§. CVII.

Hinc patet, causam eius proximam esse inversum, sive antiperistalticum intestinorum motum, quem efficit quidquid in tubo intestinali vim contractilem alicubi ita auget, ut actio eius peristaltico partium superiorum motui praevaleat, aut inferiorum motum debiliorem superior, utpote validior, ad se adducat et trahat, aut demum quidquid ita itinera claudit, ut alimentorum et faecum versus inferiora progressus impediatur, uti spasmus vehemens et convulsio, vomitus violentissimus, inflammatio, colici atque iliaci dolores, et eorum causae alibi (§. LXXXVI. et LXXXVII.) expositae, omnesque paulo ante (§§. CIV. CV.) recensitae [1]. Cl. MECKELIUS invenit in muliere, quae saepius de dolore in dextra regione iliaca conquesta fuerat, quaeque post casum ab alto dolorem vividiorem percepit, vomituque bilioso per tres dies vexata decessit, calculum in ieiuno intestino e latere dextrae regionis umbilicalis, quo totum eius cavum obturabatur [2]. Mira quoque LIEUTAUDII observatio est [3]) de puero, in cuius cadavere circa finem intestini ilei vermes in glomerem pugni molem aequantem, ac intestinum prorsus claudentem reperti sunt convoluti.

Causa proxima ilei. *Causae occasionales.* *Exemplum ilei a calculo in ieiuno.* *Aliud vermium claudentium prorsus ileum intestinum.*

1) Huc transferantur allata superius (§. XCIX. *in nota* 1) ex ROBINO et LEBLANCO *indigitationum* exempla. Item observationes MORGAGNII de causis *volvuli* in *nota* ad §. CIV.

2) *Histoir. de l'acad. roy. des scienc. et bell. lettr. de Berlin* 1759. *p.* 35.

3) *Histor. anat. med. T. I. p.* 75.

Diagnosis.

§. CVIII.

Signa alvi adstrictae. Signa ilei.

Alvus adstricta aut *obstructa* (§. CIV.) ex aegri imprimis sermone innotescit. Neque difficilis cognitu est *ileus* (§. CVI.). In hoc enim vel nihil omnino deiicitur, vel certe paucum et tenue. Paucum autem excerni potest, si intestinum non sit penitus clausum, et si ab appendiculis, quae in ileo saepe reperiuntur, in annulum musculorum abdominalium delapsis ibique strangulatis *ileus* morbus oriatur.

Quaenam symptomata exitialia.

Abdomen dolet, praesertim circa umbilicum, tenditur, intumescit, ac inter initia cibi fastidium et nausea est, deinde vomitus primum cibi potusque, tum etiam bilis aliorumque humorum, ac demum putrium, foetidarum faecaliumque materierum inter summas anxietates et crebra animi deliquia. Neque interdum ab his abest febris, enteritis, singultus, convulsio, delirium et reliqua exitialia symptomata, quibus atrocissimas colicas stipari docuimus.

Faeces, quae infra obstaculum sunt, et suppositoria et clysteres ex ore reddi possunt. Quomodo explicetur.

Nec tantum excrementa, quae supra obstaculum colliguntur, aut collecta antea esse possunt, verum etiam quae infra illud reperiuntur, imo clysteres et suppositoria ipsa per os interdum reddita narrantur. Quod ultimum, etsi non satis certis observationibus fortasse innitatur, non tamen omnem prorsus fidem superare nobis videtur. Si enim causa motum intestinorum invertens eiusmodi sit, ut eorum capacitatem nullibi occludat, aut non omnem deleat, aut, si etiam occludat, id non recto intestino sit (nam nulla universi intestinorum canalis pars immunis esse potest ab eiusmodi malo, ut sectiones cadaverum [1]) demonstrarunt); poterunt sane in anum iniecta ab inverso intestinali motu sursum abripi, aut vi adacta ultra obstaculum transvehi, et sursum libere ferri.

Nihil officit valvula BAUHINI.

Sed inquies, impedimento erit valvula coli. Minime quidem. Nam haec ita ab irruentibus materiebus, quae e colo in ileum ingredi nituntur, urgeri potest, ut cedens et diducta liberum iis aditum relinquat, sicuti iniectiones ope

machinae hydrostaticae in anum, ac ex ore prodeuntia ostendunt [2]). Adde, interdum *valvulam ipsam rumpi* et *dilacerari*, ut docet HALLERUS [3]).

1) In *ileo* intestino ipso inveniuntur stercora; ergo non omnia in crassis (HAENIUS *Rat. med. T. II. p.* 76.). Non ergo stercorum vomitus ex *colo*. In tenuioribus etiam MORGAGNIUS faecum globulos observatos narrat (*Epist. anat. med. XXXIX. n.* 29.). *Ex sch. auct.*

2) Dilatatio *ilei* et *coli* diducit valvulae BAUHINI hiatum, ut intestinorum inferiorum faeces vomitu reddantur. *Ex* HAGENOTTO *et* HAENIO *Rat. med. T. II. p.* 71. *et* 72. Hanc autem valvulam clysterum vi superari asserit HALLESIUS *experiment. XXV. haemostat. n.* 1. *et* 2. Negat id in vivis evenire HAENIUS *ib. p.* 73., nec facile admittit MORGAGNIUS. Sed alibi (*P. III. c.* 2. *p.* 104.) ex HAENIO ipso constat, in vivis quoque superari, quod SWIETENIUS etiam affirmat, ubi de *hydroconstatere*, sive de machina hydrostatica MARTINII loquitur. *Ex sch. auct.*

3) *Prim. lin. physiolog. n.* 738.

Prognosis.

§. CIX.

Alvus adstricta modo nulla, modo gravia mala infert.

Alvus adstricta quando viscerum fortium et ingentis absorptionis effectus est, nullam creat molestiam, etsi sex, octô vel plures dies non deiiciat. Alioquin magna et gravia inferre potest mala, cibi fastidium, ventris tensionem, anxietates, capitis dolores, vertigines, haemorrhoides, colicas, enteritidem, febres putridas, ac demum *ileum* ipsum. Imo dum magna spiritus contentione nititur homo alvum exonerare, si iuvenis sit in haemoptysin, si aetate provectior aut senex in apoplexiam ex vasorum cerebri ruptionem incidere interdum cernitur.

Ilei prognosis.

Ileus incerti plane exitus morbus est, plenusque discriminis.

Qui lethalis.

Qui ab inflammatione aut gangraena oritur, lethalis semper est;

Qualis non.

utplurimum tantum qui ab hernia, nam interdum eam curari, testis est GARENGEOTUS. Minus periculi habet, qui a faecibus induratis manifestisque aliis causis facile auferendis progignitur.

Quaenam mortem praenuncient.

Ubi iam male olentia vel nigra per os eiiciuntur, vel debilitas

summa, oris foetor, pulsus exilis, convulsio, refrigeratio, pallor praesto sunt, mortem mox imminere significatur.

An vomitus stercoreus lethalis. Senes plerumque moriuntur.

Vomitus stercoreus passim lethalis audit. Exempla vero contraria GARENGEOTUS [1]), BONETUS [2]) et MATTHAEUS DE GRADIBUS referunt. Senes plerumque momento temporis enecantur; inter vomendum enim suffocati saepe deficiunt. Lethalem *ileum* cum sectione cadaveris vide in *commentariis de rebus in scientia naturali et medicina gestis* [3]).

Ileus cum vomitu stercoreo, si alvi fluxus accedit lethalis. Item accedente ventris tumore, ischuria, stranguria, convulsionibus, maculis rubris et nigris.

Gravi *iliacae passioni* si superveniat *alvi fluxus*, paucis post horis moritur homo, nam sphacelata sunt omnia; hinc lethalis fluxus [4]). Idem timendum, si ventris tumor accedat, et flatus copiosi pedendo exeant [5]). Si supervenerit urinae suppressio, stranguria, ventris inflatio, aut convulsiones, malum est lethale [6]). Gangraena quoque terminari inflammationem intestinorum significant maculae rubrae aut lividae, quae extrinsecus interdum apparent [7]).

1) *Académ. de chirurg. T. I. P. III. p.* 355.
2) *Med. septent. T. I. lib. III. sect. XV. cap.* 29. 30. 32.
3) *Tom. XVIII. p.* 400.
4) FELICIUS *Dei presagio medico p.* 164.
5) BAGLIVIUS *in appendic. ad dysenter.*
6) *Id. ibid. l. I. c. XIII.*
7) SWIETEN. §. 848.

Curatio.

§. CX.

Quomodo alvus adstricta solvenda sit.

Alvus adstricta aut etiam *obstructa* solvenda erit iis quidem adiumentis, quae causarum (§§. CIV. CV.) cognitio indicabit. De quibus cum passim in superioribus actum sit, non convenit iterum dicere.

Victus et potus ratio. Alvum ducentia.

Universim proderit exerceri, perfricari abdominis regionem, victu humido et lubricante uti, largius bibere, oleribus et pane rudiori ac nigricante vesci, subinde aliquid mellis, aut mannae, aut cassiae, aut salium mediorum assumere, et clysmata saepius adhibere.

REDII me-

REDIUS ante epulas quartam unciae partem ex pulpa cassiae

sumendam praecipit, donec alvus molliatur. Acetaria quoque aceto per mannae et sennae infusionem medicato condienda iubet. Pilulas *gummosas* commendat GORTERIUS [1]), alii *Becherianas* laudant, alii *balsamicas* HOFFMANNI, aut *francofurtenses*, et sic porro. Suppositoria item ex butyro salito, aut ex sale gemmae, agarico, colocynthide melle exceptis utiliter ano induntur, ut ad deiiciendum sollicitetur alvus. Haec quoque aperiri potest balneo, vaporibus [2]), fotu, unguento arthanitae maioris umbilicali regioni imposito, quod in pueris saepe voto respondisse visum est. Betae succus iniiciendus a ROTUNDIO praescribitur, quo nil praestantius esse arbitratur [3]). Nonnulli iubent pedibus nudis incedere super frigidum pavimentum, et aqua perfusum; verum non semper innoxium id est. At ratio causarum habenda ubique erit.

thodus diaetetica. *Pilulae* GORTERII, BECHERI *aliorumque.* *Suppositoria quae.* *Balnea, vapores, fotus ventris, unguentum arthanitae maioris.* *Iniectiones ex succo betae.*

1) *Pilulae* GORTERII *gummosae.*
Rec. *Gummi ammoniac. drachm.* ij.
Sal. polychrest. drachm. ij.
Gumm. sagapeni drachm. j.
Diagryd. scrup. j.
M. et c. s. q. balsam. peruviani F. pil.
Dos. scrup. j. *quotidie.*

2) HAMILTONIUS (*De prax. regul. et feb. miliar.*) convenire ait ad alvum laxandam sedere supra vaporem aquae calentis. Fotus autem laudantur a BARBEYRACIO. *Med. form. p.* 339.

3) *De vict. rat. in acut. p.* 119.

§. CXI.

In *ileo* motus intestinorum ad naturalem ordinem redigi non potest, nisi causa irritans tollatur, spasmus sedetur et alvus aperiatur. Huc fere ea transferenda sunt, quae ad vomitum compescendum (§. LII), atque dolores intestinorum curandos supra (§§. C. CI. CII.) proposuimus. Danda enim tam superne, quam inferne ea sunt, quae laxent, molliant, aperiant alvumque subducant. Clysteres imprimis causae accommodati anteferuntur. Si stimulo indigeant, sal gemmae in iis dissolvi debet, aut electuarium benedicta laxativa, aut lenitivum, aut mel ex rosis. In-

Curatio ILEI, *sive* VOLVULI. *Laxantia ulcumque ducentia.* *Clysteres qui.*

Intrinsecus danda. Oleosa. trinsecus oleosa iam alibi commendata usurpentur. SWIETENIUS testatur, in saevissimo *ileo* oleum lini ad libram potatum pluries ab orci faucibus eripuisse aegrotantes [1]). *Antiemeticum* RIVERII. Quoniam vero vomitus fere interno remediorum usui impedimento esse solet, in ipso morbi principio *antiemeticum* RIVERII, quod ex salis absinthii scrupulo uno vel altero, et succi limonii unciis duabus vel tribus constat, dum adhuc effervescit propinandum est. *Pulvis rad. colombo.* Huic *mixturae salinae* addi potest, vel substitui pulvis radicis *colombo*, quem alias ex WHITEO, PERCIVALIO et IOHNSONIO proposuimus [2]). LEACKIUS, ut laudata mixtura blandior evadat, eidem adiicit sperma ceti et gummi arabicum. *Aliae mixturae carminativae et anodynae.* Aliis quoque mixturis, quae gratia et odore ventriculum viresque languentes reficiant, uti oportet, iisque adiiciendum aliquid eorum, quae sedant et spasmos leniunt. Ex aquis itaque menthae, totius citri, florum aurantii, cinnamomi, confectione alkermes, theriaca, diascordio, laudano liquido SYDENHAMII, syrupo kermesino, aut corticis citri parari poterunt.

1) §. 603. *et* 690.

2) *Vol. I. de febribus* §. *CCCCXCVI.* haec habet auctor. *Interdum evenit, ut vomitus et nausea .... nullis medicamentis etiam iterato adhibitis sedentur. Iure tunc suspicari licet, bilem adhuc acrem et corruptam in causa esse, cur haec symptomata perseverent. Quo in casu ter aut quater in die scrupulum aut semidrachmam radicis* Colombo, *aut eius extracti, aut aliqua cochlearia eius diluti dari iubent, ut bilis vitiosa indoles emendetur.* Vid. *ibid.* antecedent. §. CCCCXCV. et huius *Vol. IV. part. II.* §. *LXX.* in *notis.*

§. CXII.

Si ab hernia malum sit, quae curatio. Repositio. Celotomia. Sedulo inquirendum est, an malum ab *hernia* oriatur. Quo casu tentanda repositio illico est [1]), et ea non succedente, properandum est ad *celotomiam*, seu herniae operationem [2]), quae non differenda sane est ultra horas XXIV. *Si a faecibus induratis argentum vivum et globuli plumbei.* Quid opportunum sit, ubi induratae faeces intestina oppleant, non est cur repetamus, quod alibi (§. imprimis CL etc.) fusius dictum est. Silentio tamen hic praetereundum non est argentum vivum et globuli plumbei, tamquam

remedia, quibus toties in desperatissimis *ileis* apertas fuisse alvos, a cll. et expertissimis viris asseritur. Et quod attinet ad argentum vivum, eius libram unam vel alteram propinandam nonnulli praecipiunt; alii vero selibra contenti videntur. Prudentissime autem se gerunt, qui eius quantitatem definiunt ab uncia una ad duas, vel etiam interdum ad quatuor. Cl. BLANCHINIUS ita ab usu mercurii timet, ut drachmam unam vel scrupulos jv. tantum dari velit singulis duabus horis in *volvulo* [3]). Similis quoque ponderis globuli plumbei devorandi proponuntur. Utrumque enim remedii genus faeces alvinas induratas, aut intestinorum intus susceptiones pondere suo resolvere putant. Ut autem felicius leniusque agat remedium, ex olei amygdalini aliquot unciis assumi consuevit. Cavendum vero ab hisce est in *ileo* ab inflammatione orto, aut in gangraenae metu, morbo nimirum provectiore, aut in eo, quem *herniae incarceratae* fovent; plus enim noxae, quam utilitatis afferrent. Cl. MARTINUS GHISIUS Cremonensis duos vidit *volvuli* casus, in quibus tres unciae mercurii crudi, sed sero nimis datae fuerant; invenitque in cadaveribus partem ilei prope coecum gangraenosam et discissam, ex qua mercurius in cavum abdominis una cum faecibus irrepserat [4]). Praeterea curandum est, ne diutius in intestinis mercurius immoretur, nam ptyalismus inde esset timendus. Neque tutissimum est iis uti in quolibet intestinorum mutuo ingressu; si enim superius intestinum in inferius protrusum sit, negant quidquam inde emolumenti sperandum. Interdum excrementa durissima in recto intestino prope anum ita haerent, ut neque ulterius progredi possint, neque immitti ea sinant, quibus molliantur eruanturque. Tunc chirurgi opera opus est, qui ea apto instrumento discerpat, divellat extrahatque.

Utrorumque dosis.

Cautio in eorum usu necessaria ad damna vitanda.

GHISII *observatio.*

Quando inutile remedium habeatur.

Quando chirurgica manu opus sit.

1) In *crurali hernia,* dum reponitur, debet intestinum oblique impelli versus regionem umbilicalem. In *inguinali* e contra oblique versus ilia. In veteribus herniis *completis*, in magnis intestinorum in scrotum prolapsibus, ubi annulus plerumque est laxior, reponi saepe nequeunt intestina ob stercoris coacervationem. Tunc nihil praestantius est, quam ene-

Methodus GOURSAUDII *reponendi hernias.*

Quando reponi ne-

queunt, quid praestet agendum. Faeces induratae quo modo solvantur. Aegri positus qui. Recentis et incompletae herniae curatio. Curatio habitualis. Quando utraque reponenda. Roborantia quae, et quando.

mata acria adhibere (et iam ab initio, antequam gravia symptomata incidant, aut inflammatio accedat), et purgantibus uti. *Sal epsomense ad uncias ij. in pinta aquae dissolutum,* et partitis vicibus datum mira praestitit. Cito solvuntur scybala, intestina intus revocantur, et laxatur alvus feliciter. Positus etiam perpendicularis capite deorsum converso, pedibus sursum elevatis plurimum confert reductioni. Plerumque sufficit dorso incumbere, capite aliquantum elevato, humeris depressis, natibus elevatis, retractisque cruribus et genubus. Emollientia, antiphlogistica, venaesectiones in recenti *hernia incarcerata crurali* vel *inguinali* et *incompleta* convenire GOURSAUDIUS monet, quia partium angustiae et constitutio inflammationem faciunt celerem. Contra in *habituali hernia* et laxiori annulo. In priori cito debet sectio institui; in posteriori saepe differri ad plures dies sine periculo potest; nam exempla habemus, repositas feliciter fuisse post dies octo, decem et ultra quin inflammatio et gangraena accessisset. In hac etiam interdum roborantia conveniunt. Generatim in summa laxitate magis tuta sunt roborantia. In eo casu, in quo aëris copia inflat intestina, unde difficile repositio obtinetur, glaciei applicatio locum habere potest: in aliis noxia est. Vid. *Mém. de l'acad. roy. de chirurgie T. XI. p.* 411. *Ex sched. auct.*

Diversitas causarum diversam curationem exposcit.

Causae incarcerationis herniarum sunt diversae, adeoque diversa quoque esse debet pro diversitate causarum curandi ratio. Legi meretur dissertatio inscripta — *Sur la différence des causes de l'étranglement dans les hernies par M.* GOURSAUD, quae exstat *ibidem p.* 382. *Ex sch. auct.*

Celotomia iuxta LOVISIUM. *An gastrotomia peragenda in iliaca passione.* HEVINII *solutio.*

2) De *celotomia,* sive herniae operatione legenda LOUISII dissertatio, quae eodem *Vol. XI.* laudati operis *mém. de l'acad. de chir. p.* 442. prostat. An *gastrotomia,* sive sectione abdominis curari queat *iliaca passio* ab intestinorum *indigitatione,* sive a *volvulo* orta quaerit D. HEVINUS a veteribus, et speciatim a modernis, inter quos BARBETTA aliique eandem proponunt; et negative concludit. I. quia incerta est eius causa, et dignosci haud potest certis signis, quae communia esse solent aliis causis passionis iliacae. II. quia causae multiplices sunt, et indigitatio minus frequens causa. III. quia operatio periculo plena est, et saepe inutilis etiam foret. IV. quia locus determinari non potest, ubi causa mali existat. Consentientes habet SAVIARDUM *observ. chirurg. XXXIV.,* et SWIETENIUM §. 964. Vid. dictum. *Tom. XI. des mém. de l'acad. roy. de chir. p.* 315. *Omnia ex sched. auct.*

3) *Lett. V. intorno alle febb. malig. d.* 240.

4) *Letter. mediche. Lett. I p.* 65.

§. CXIII.

Fumus tabaci insufflatus in anum, vel ex eius decocto

Praeterea in *ileo* praesentissimum auxilium esse praedicatur fumus *tabaci* ope fistulae in anum insufflatus [1]); cui quidem substitui aeque bene potest, nisi mea me fallit opinio,

nio, enema ex eius decocto aut infuso quod supra (§. CI.) in *colico* dolore commendavimus. Nec desunt qui aërem magna vi per follem immittendum in intestina doceant, ut eorum complicationes aut indigitationes removeantur. Post alia incassum tentata, alvus interdum soluta est aqua frigida repente in pedes, crura, abdomen nudum effusa; *multa* enim *in praecipiti periculo recte fieri* cum AULO CORN. CELSO asserit HOMIUS, quae alias omittenda essent. Sed tutius est balneo uti tepido. Saevissimum *ileum* Cl. HAZONIUS in muliere gravida, omnibus aliis incassum tentatis iterato balneo domestico curavit, quibus exclusus foetus fuit, et mater liberata. Bis in die ante abortum, semel vero post abortum balneum ingrediebatur [2]). Demum aqua tepens ope machinae ei similis, qua ad incendia exstinguenda utuntur (*hydroconstaterium* vocant), lente et paulatim in anum iniecta. *Ileum* compescuisse saepe visa est, ut ex HAENII et VIDEMARII fide compertum habemus. Sed eius usus videtur iam exolevisse; quod, si utilis fuisset deprehensus, non ita facile certe evenisset. SYDENHAMIUS catulum vivum nudo ventri semper iubebat accumbere per biduum vel triduum, donec *ileus* cessaret. Reserata alvo, vomitu aliisque symptomatibus evanescentibus, non ita cito a remediis desistere oportet, neque a tenui et liquida victus ratione recedere, aut prophylaxeos legibus se subtrahere; nam facile morbus reverti potest.

enemata iniicienda.

Frigida effusio repentina in nudum abdomen, pedes et crura.

Tutius balneum tepens.

Observatio mulieris gravidae.

An hydroconstaterii utilis usus habendus sit.

Ad prophylaxin.

1) Instrumentum ab HAENIO et SCHAEFFERO describitur; sed simplicius a GAUBIO in suis *adversariis p.* 45.

2) VANDERMOND. *Tom. IV. janvier* 1756. *p.* 110.

CAPUT IX.

DE HAEMORRHOIDUM VITIIS.

§. CXIV.

Venae haemorrhoidales. Aliae internae, externae aliae.

Rectum intestinum quibusdam obnoxium est vitiis, quae ab *haemorrhoidibus* venis manant. Sunt vero *haemorrhoidales* venae vel *internae* sive *superiores*, vel *externae* sive *inferiores*. Illae in *ramum mesentericum*, et deinde in *venam portam*; hae vero in *ramum hypogastricum* venae *cavae* sanguinem effundunt; in quem ramum hypogastricum sive *iliacam internam* etiam vena *pudenda* aliaeque e vicinis partibus venae prodeuntes concurrunt. Notandum tamen est, venas has tam *internas*, quam *externas* miris anastomosibus, WINSLOVIO teste, inter se communicare.

Anastomoses.

§. CXV.

Duplex haemorrhoidum vitium.

Prout vero sanguis per has venas refluens vario se modo habet, varia etiam vitia in iis oriuntur. Sed duo sunt potissima, nimirum earum *tumor dolorque* multiplex, vel *sanguinis* ab iisdem *varia* et saepe *immodica profusio.* Hinc *haemorrhoidum* differentiae permanant. Sunt enim vel *internae*, vel *externae; coecae* aliae, sive *clausae; dolentes* item aliae, sive *furentes; apertae*, vel *fluentes* aliae. *Fluentes* item distinguuntur in *spontaneas*, quae aperiuntur provido naturae conatu, ut se a superfluo sanguine liberet, veluti contingit in muliebri uteri excretione, et in *non spontaneas*, quae a morbido statu pendent. Hae rursus dividuntur in *criticas*, quae ad aegri salutem, et in *symptomaticas*, quae ad eiusdem perniciem sanguinem fundunt. *Coecae* autem, quae a magnitudine et figura, quam intumescentes acquirunt, aliae dicuntur *parvae*, aliae *magnae*, item *verrucales*, *vesicales*, *uvas* aut *mora* referentes; ac demum ab earum prava vel benigna natura, *malignae*, *cancrosae*, *gangraenosae*, vel *mites* et *benignae.*

Differentiae.

Fluentium divisio. Spontaneae et non spontaneae. Item criticae et symptomaticae. Coecarum divisio.

§. CXVI.

Haemorrhoidum *coecarum* causa proxima est sanguis in iis restitans et collectus; *fluentium* vero ea, quae reliquarum sanguinis excretionum. Remotae praecipuae habentur sanguinis boni copia, vel cacochymia, acrimonia peculiaris, hypochondriaca atque atrabilaris constitutio, venae ipsae intrinsecus, vel extrinsecus compressae a spasmo, ab infarctu viscerum (praesertim *systematis vasculosi venarum* tum *mesentericarum*, tum *portae*), ab utero gravido, a partu difficili, a faecibus duris, aut aliena continentibus, a recti intestini prolapsi per sphincterem contractione, venarum nimia laxitas sive a vi externa illata, sive a natura ac hereditario quasi iure acquisita, absentia potentiarum, quae sanguinis per venas reditum iuvare solent, multa ad desidendum mora, procidentia ani, equitatio crebrior et longior, diuturna trunci corporis perpendicularis positio, evacuationum naturalium aut consuetarum defectus, dysentericum acre irritans, criticum naturae molimen, muci depravatio, irritatio quaecunque per medicamenta, sive cathartica, sive rhabarbarina, sive aloëtica [1]), aphrodisiaca, aromatica, vinosa, vaginae et vesicae morbi, paedicatio, et frequens hirudinum administratio.

Causa proxima coecarum et fluentium.

Causae remotae utrarumque.

1) LANGEUS (*miscell. verit.* fasc. I. *p.* 108.) *Aloë*, inquit, *haemorrhoides ciet. At aloë enecantur feles, lupi, canes, vulpes et volatilia. Inter venena vegetabilia igitur reponenda aloë. Quare eius usus damnandus est.* Inter sched. auct.

Diagnosis.

§. CXVII.

Externae haemorrhoides oculis patent; *internae* speculo ani aut digito immisso deteguntur. *Coecae* in tumores parvos *varicum* instar dilatantur; interdum castaneae, aut etiam ovi columbini magnitudinem referunt; alias tota ani peripheria tumens et inaequalis apparet; quandoque intestini recti extremum ita extrorsum invertitur, ut simiae podicem

Signa diagnostica externarum et internarum, tum coecarum.

Verae haemorrhoides ab aliis vitiis distinguendae. Fluentium diagnostica.

aemuletur. Distinguendae vero sunt a *rhagadibus*, *thymis*, *condylomatis*, *ficis* et *cristis* [1]). *Verae* haemorrhoides venarum capita repraesentant, plerumque nigricant, aut rubent intense, rotundae sunt, et venas occupant, secus ac in memoratis vitiis contingit. In *fluentibus* sanguis excretus distinguitur a reliquis cruentis alvi fluxibus; quod excrementorum attritu effunditur, plerumque excrementa subsequitur, interdum ea quidem, sed paulo ante tantummodo, praeit.

Rhagades. Condylomata. Thymi. Fici. Cristae.

1) *Rhagades* sunt fissurae ani. *Condylomata* pelliculae sunt durae, sive rugae ani induratae et oblongae, concolores, nec venas attingunt. *Thymi* tubercula carnosa, colore candida, vel rubentia, sed doloris expertia sunt. *Fici* item tubercula thymis maiora, livida, dolentia, differuntque ab haemorrhoidibus, quod carnosi sunt. *Cristae* demum, *carunculae* cristas galli gallinacei referunt. *Ex sch. auct.*

§. CXVIII.

Quinam hisce vitiis obnoxii. Symptomata praecedentia, vel comitantia.

Pallidos, melancholicos, hypochondriacos plerumque homines vexant. Quibus imminent, dolor utplurimum os sacrum occupans cum peculiari ad anum vel rectum intestinum pruritu percipitur; saepius cum *tenesmo* ac molesta ad deiiciendum incitatione, etsi faeces nec durae sint, nec difficulter prodeant. In aliis hae mitius, in aliis gravius urgent, nec nisi sanguine amisso remittuntur. Saepe accedunt prostratio appetitus, dolor assiduus in alvi praesertim deiectione excrucians, vertigo, cephalalgia, et quandoque febris.

Prognosis.

§. CXIX.

Coecarum exitus bonus.

Coecae vel resolvuntur, vel indurantur, vel inflammatione adscita in abscessum terminantur. Quando pus sanguineum paucum ex iis prodit, facile, sed gradatim plerumque detumescunt sine alia noxa. Si vero suppuratio gravis fuerit, saepe fistulam relinquit; sicuti etiam antiquae, vel

Quando fistulas, ulcera, morbos

irritatae in ulcera aliaque mala saepe desinunt. In pueris et adolescentibus imbecillam valetudinem earum fluxus indicat, et cum in his facile supprimatur, chronicis morbis viam parat. Qui post trigesimum annum accedit, statisque temporibus recurrit, melioris ominis est. Saluberrimus est in corpore plethorico, alioquin bene valente; quinquagesimo demum, vel sexagesimo aetatis anno certis statis periodis recurrens. Si in his supprimatur, subiti et gravissimi morbi superveniunt. Immodicus vero si fuerit, cachexiam, hydropem, tabem inferre consuevit. In morbis gravioribus, si copiosius fluant haemorrhoides, morbumque levent aut tollant, *criticae* sunt; contra *symptomaticae*. Si loco sanguinis mucum, aut serum album, aut ichorosum fundant, laxitatem, obstructionem glandularum, intestinorum angustiam, ulcera, scirrhos, cancros fistulasque declarant.

chronicos inducant.

Alia boni et mali exitus praesagia.

§. CXX.

Haemorrhoides *fluentes* plethoram potissimum et cacochymiam tollunt. Hinc HIPPOCRATES inquit: *Qui haemorrhoidibus laborant, neque pleuritide, neque peripneumonia, neque ulcere phagedaenico, neque furunculis, neque terminthis* [1]), *fortasse neque lepra, neque aliis corripiuntur* [2]). *Melancholicis et nephriticis haemorrhoides supervenientes, bonum* [3]). *Insanientibus si varices aut haemorrhoides supervenerint, insania solvitur* [4]). GALENUS *melancholiam* et *nephritidem curari per haemorrhoides* inquit, utpote quae *sanguinis veluti faecem evacuare* soleant. In *Coacis* item habetur: *Quae apoplecticis veniunt haemorrhoides, salutares* [5]). *Quae phthisicis* autem *accidit sputorum suppressio, dementiam nugacem infert; his spes est apparituram haemorrhoidem* [6]).

Fluentium bona ex HIPPOCRATE *prognostica.*

1) Tumores subnigro-virides *termintha* sunt, terebinthi fructum aemulantes.

2) *Lib. VI. Epidem. sect. III. text. XXVIII. et lib. de humorib.*

3) *Aphor. XI. sect. VI.*

4) *Aphor. XXI. sect. ead.*

5) *Coac. n.* 478.
6) *Ibid. n.* 437.

Curatio.

§. CXXI.

V. S. Hirudines. *Coecis, dolentibus, inflammatis* vena in brachio, imo etiam in pede secta prodest, itemque hirudinum applicatio. Si tumeant pertinaciter, etiam incidi et reserari possunt. *Incisiones.* Ceterum emollienti, anodyno, resolventi fotu, cataplasmate, *Emollientia et resolventia.* linimento leniendae sunt. Pulmento ex malis acidulis et vino rubro coctis confecto, ac ope lintei repetitis vicibus ano imposito dolorem earum leniri, tradit LANGEUS [1]). Verbasci flores decocti, sambuci folia ad putrilaginem cocta, aut etiam contusa, et crebro admota a RIVERIO laudantur. *Succus sempervivi.* Ex sempervivi succo, aut portulacae et butyro recenti egregium fit linimentum. *Unguentum de linaria, populeum nutritum.* Celebratur ab HORSTIO aliisque pluribus unguentum de linaria, quod ex foliis et floribus linariae in adipe suillo coctis et expressis, vitello ovi addito, paratur. Nec sua laude caret unguentum populeum nutritum, *Oleosa.* oleum seminum lini, butyrum *cacao*, oleum vitelli ovorum, et alia huiusmodi. *Iniectiones, clysmata, eccoprotica.* Iniectionibus praeterea, clysmatibus, eccoproticis ex cassia, aut manna, aut sale medio alvus aperta servetur. *Fluxum nimium compescentia.* Flores sulphuris ex pulpa cassiae dati coecas aperire, sistere immodicas dicuntur.

1) *Miscell. verit. fascic. I. pag.* 7.

§. CXXII.

Nimium earum fluxum compescunt venae sectio, decoctum tamarindorum, prunorum nostratium, urticae mortuae, acetosae, corticis viridis aurantiorum, simaroubae, pulvis myrobalanorum, trochisci de carabe, pilulae de bdellio, flores sulphuris cum floribus cassiae, fungus melitensis, coralia, terrae sigillatae, spiritibus acidis mineralibus, et iis extrinsecus admotis, quae adstringendi facultate pollent,

qualia *Vol. III. cap. XII.* in *haemorrhagia narium* commendavimus. Ubi vero *haemorrhoidum fluxus* habitualis et consuetus fuerit, cavendum est, ne penitus sistatur. Aduri enim solent improvide a chirurgis, aliisque remediis supprimi. Sed monet HIPPOCRATES, *a diuturnis sanato haemorrhoidibus, si una non servetur aperta, periculum esse, aquam inter cutem, vel talem advenire* [1]). Si consueta haemorrhoidum evacuatio suppressa sit, revocari potest vena pedis secta, pilulis ex aloë, myrrha et croco, fotibus ano admotis, aquae tepidae vapore, foliis ficus affrictis, chalybe intus dato, et similibus.

Habitualis non sistendus omnino.

Chirurgorum imperitia.

Suppressus quomodo revocandus.

1) *Aphorism. XII. sect. VI.*

§. CXXIII.

Pro varia vero causarum, a quibus haemorrhoides excitantur, ratione modo aperientia, modo temperantia, modo saponacea, modo roborantia conveniunt. Hinc sales medii, succi cichorei, agrimoniae, nasturtii aquatici, borraginis, fumariae, trifolii acetosi, millefolii, plantaginis, chalybs, serum lactis, imo lac ipsum, si nutriendum etiam sit, commendari solent. Tandem aquae thermales efficacissimae sunt ad omnia e corpore inquinamenta eluenda. Victus ratio sit blanda, nec acria aut aromatica admittat. Motus tum corporis, tum animi nimii evitentur.

Varia pro varietate causarum curatio.

Quae praecipue in usum veniant.

Vitae regimen.

CAPUT X.

DE VERMIBUS INTESTINORUM.

§. CXXIV.

Vix ulla humani corporis est pars, in qua *vermes* interdum quispiam non repererit, aut reperire sibi visus sit. Frequentissime vero in intestinis stabulantur, et quidem ge-

Vermium sedes frequentior intestina.

Praecipua eorum genera. nere et magnitudine admodum varii et multiplices. Praecipua eorum genera sunt *lumbrici*, *ascarides*, *cucurbitini*, et *lati*, quibus etiam nomen est *taenia*, *solium*, et *vermis solitarius*, quod non plures uno in intestinis nidulari et latere, sed perperam, creditum est. LUMBRICI. *Sedes eorum. In quo differant a terrestribus.* *Lumbrici*, utplurimum *tenuia* intestina occupantes, sunt teretes, coloris albidi, interdum rufi, modo sex vel octo pollices, modo pedem unum vel alterum longi, figura lumbricis terrestribus similes, structura vero, tarditate, duritie ab iis valde discrepantes. ASCARIDES. *Ab acaris quomodo differant, atque a lumbricis.* *Ascarides* sunt teretes, albique et ipsi; sed tenuissimi, vix transversum digitum longitudine qui maiores sunt aequantes, *acaris*, qui caseo innascuntur, valde affines, plerumque intestino tantum *recto* inhabitantes. Differunt ab *acaris*, quod nullam subeant metamorphosin, a *lumbricis* vero, quod minimi sint et numero copiosissimi [1]).

1) Vid. VAN-PHELSUM *hist. phys. ascaridum. Lucard.* 1768.

§. CXXV.

CUCURBITINI. *Eorum sedes. An* TAENIA *ex his coalescat.* Vermes *cucurbitini* semen cucurbitae, vel potius cucumeris quodammodo referunt, unde eorum nomen. Intestina *crassa* plerumque incolere creduntur, et saepe faecibus immixti prodeunt. Hos AMATUS LUSITANUS et LOULETUS *ascărides* nominarunt. Ex his mutuo iunctis et in longum dispositis *vermem latum*, sive *taeniam* consurgere putavit VALLISNERIUS. Negant vero recentiores, qui tamen fatentur, *taeniam*, quam dicunt *cucurbitinam* PALLASII, PLATERI, et *articulis longioribus* praeditam BONETI, saepe extremos ac veteres suos articulos dimittere, nimirum in vermes *cucurbitinos* viventes mobilesque dissolvi; quod mihimetipsi pluries vidisse contigit. *Qui illis obnoxii.* Germanis, belgis et aliis Europae populis familiares *cucurbitini.*

§. CXXVI.

TAENIAE *descriptio.* Utcunque vero res se habeat, *taenia* est lumbricus latus, articulis quibusdam distinctus, decem, viginti, triginta

et plures ulnas longitudine saepenumero adaequans. Plures eius species a medicis describuntur praeter illam, quae ex *cucurbitinis* coalescere videtur, quamque paulo ante (§. CXXV.) memoravimus. Imprimis binae aliae notatu dignae sunt, videlicet taenia *capitata* Helvetis potissimum, et quadrupedibus infesta, et taenia *acephala*, sive non capitata, quae species ambae articulis minoribus quidem constant, sed unum ac simplicem vermem efficiunt, ut anatome, microscopia, iniectiones ostendunt. Intestina *tenuia* praesertim incolere traduntur, verum haud raro alibi etiam repertae fuere. Qui plura de *taeniis* desideret, consulat VALLISNERIUM, PLATERUM [1]), HILDANUM, CLERICUM [2]), ANDRYUM, RAULLINIUM, GONTARDIUM, LINNAEUM [3]), VOGELIUM [4]), BONETUM [5]) aliosque naturalis historiae scriptores.

Multae eius species.

Capitata et acephala.

Sedes taeniae.

1) *Taenia prima artic. min.* PLATERI et *taenia secunda*, seu *vermis cucurbitinus* eiusdem. Vid. *Prax. med.* PLATER.

2) *Taenia prima* LE CLERC. *Hist. des vers. pl. V. f.* 1., *pl. VI. f.* 2., *pl. VII. f.* 1., *pl. II. f.* 1. 2. 4. *Taenia secundi generis eiusdem. Ibid. pl. I. A. et pl. II. etc.*

3) *System. natur. Taenia vulgaris* et *Taenia lata; taenia osculis marginalibus solitariis etc.*

4) *De cognosc. et curand. hum. corp. affect. Capitata* et *acephala;* et *taenia cucurbitina eiusdem.*

5) *Mém. présent. à l'acad. des scienc. T. I. Taenia à anneaux courts;* et *taenia à anneaux longs.* Item *taenia,* aut *solium à épines et anneux* ANDRYI; et *solium sans épines eiusdem* ANDRYI. Idem *lumbricus latus* TYSON. *Act. angl. ann.* 1683. *n.* 146. *etc. Ex sched. auct.*

§. CXXVII.

Praeter haec vermium genera in hominum intestinis reperiuntur quoque *fasciola* (quae non articulata est, sed crassior et obesior ipsa taenia), et *trichuris*, vermiculus nempe gracillimus, tenuissimus, splendens, pellucens, corpore tereti rotundo VII. linearum, et proboscide filiformi XV. linearum longitudine; incola plerumque intestini *recti* et *coeci*, interdum etiam ventriculi. Horum descriptio videatur apud ROEDERERUM [1]) et WAGLERUM [2]), nec non apud GUIL. FABRICIUM, qui eos *lumbricellos aciculares*

FASCIOLA *et* TRICHURIS.

Sedes trichuridis.

Innumerae aliae varietates.

vocat. Sed praeterea multi alii vermes eorumque varietates a medicis rariorum historiarum collectoribus referuntur, nimirum *nigri*, *virides*, *rubri*, *pilosi*, *cornuti*, *mirificoque capite* praediti, et innumeris paene qualitatibus monstrosi [3]).

1) *Guett. Gel. ann.* 1761. *n.* 25.

2) *Dissert. de morb. mucoso etc.*

3) PAULLUS LUPIUS observavit quandam vermium speciem, *poduram datiscam Linn.* nuncupatam, de qua fit mentio in diario italico *Avvisi sulla salute umana* ann. 1780. Vide *ibid.* In eodem *diario italico Florentiae a* IOH. ALOISIO TARGIONIO *edito anno* 1782. *n.* 50. de his plura reperies. Consulendus quoque ROSENSTEINIUS est — *Maladies des enfans etc.* *Ex sched. auct.*

§. CXXVIII.

Dissensus de origine vermium in corpore humano. *LUMBRICI ingeniti esse videntur humano corpori.*

De origine vermium in humano corpore disputatum a medicis et philosophis diu est, nec certi adhuc quidquam statutum. Sed *lumbricorum* genus, cui pares nullibi hactenus reperti sunt, eorumque frequentia in quavis aetate et quocunque sexu, non exceptis recens natis et lactentibus, imo *uterino foetu*, in quo vermes *latos* enasci docuit HIPPOCRATES [1]), favere videtur eorum opinioni, qui homini haec animalcula ingenita esse putant. An idem affirmari possit de *ascaridibus*, de *cucurbitinis*, de *taeniis*, non admodum facile est definitu. Id tantum videtur experientia comprobari, quaedam huiusmodi hospitum generationi et propagationi favere, quaedam eosdem irritare, ac in furorem agere, ita ut vel numero et consumtione chyli, vel pravis halitibus et excrementis, vel punctione, irritatione, morsu nobis non levia inferant damna. Eorum germinationem promovent ea omnia, quae idoneum ipsis nidum praebent, aut alimentum, uti viscida et farinacea legumina, abusus carnium, fructus horaei, lac et lacticinia, debilis et laxa corporis constitutio, aër humidus et calidus, locorum palustrium inhabitatio, aquae impurioris potus, bilis inertia, et cetera, quibus copiosiores visciditates in intestinis progignuntur atque accumulantur. His etiam dulcia et saccharo confecta adnumerari solent. Verum REDIUS dulcibus acidisque suc-

Ascaridum, cucurbitinorum, taeniarum origo incertior. Quaenam eorum genesi faveant.

cis affusis eos, saltem *lumbricos*, lacessi, mirifice torqueri ac convelli vidit.

1) *Lib. IV. de morb. XXVII. n.* 2.

Diagnosis.

§. CXXIX.

Omnis aetas et sexus vermibus subiicitur.

Nulla plane aetas, ut diximus, a vermibus immunis videtur, minime omnium infantilis et puerilis, in qua ideo semper de vermibus suspicari licet. Ast infantes et pueri longe frequentius ab *ascaridibus* et *lumbricis*, viri autem magis a *cucurbitinis* et *taeniis*, interdum etiam *fasciolis* et *trichuridibus* vexantur; feminae vero crebrius adhuc quam masculi; sic porro ut omnis aetas hominis alicui ex his *vermium* speciebus obnoxia sit.

Qua specie infantes et pueri, qua viri, qua foeminae torqueantur.

Latent pleruınque vermes in corporibus, nec satis certis indiciis se produnt, signa enim aut obscura, aut aequivoca esse solent, cum variae ac diversae causae saepe eosdem gignant effectus, aut similitudinis specie decipiant.

Vermium signa obscura et aequivoca.

Etenim haud raro evenit, vermes fuisse repertos, ubi nulla de iis oborta fuerat suspicio, aut penitus abfuisse, ubi multa eorum praesentiam indicare videbantur; quod postremum duabus historiis confirmatum est a Cl. TODIO [1]). Sola itaque vermium per os aut anum expulsio omnem dubitationem et diagnoseos ambiguitatem tollit.

Unicum signum evidens quodnam sit.

1) *Coll. soc. med. Havniens. Vol. I. p.* 21.

§. CXXX.

Signa diagnostica frequentiora.

Generatim vero scire licet, eos, in quibus vermes latent, plerumque languidos esse, et nausea affectos; quandoque etiam vehementer appetere, dum tamen eorum corpus non alitur, et macie conficitur, halitum ab ore acidum emittere, tussicula sicca subinde vexari, animi deliquiis facile corripi, sudore frigido perfundi, faciei colore vario, modo nempe pallido, modo rubro, sed plerumque pallido infici, pupillae dilatationem sive *mydriasin* exhibere [1]), salivam uberiorem ex-

spuere, multa siti teneri, saepe convelli, imprimis infantes et pueros, somniis turbulentis et pavoribus agitari, dentibus stridere, saepius deglutire, quasi bolum faucibus haerentem haberent, in ventrem revolvi, qui plerumque tumet et tenditur, doloribus colicis, aut cardialgicis, aut morsibus crebris circa umbilicum torqueri, quod manu ad ventrem admota et eiulatibus, contorsionibus aegri significant, quandoque ieiunos gravius affici, alimento vero sumto relevari, alvo modo adstricta, modo fluxa esse, faeces cinereas, albidas, aut virides, foetorem acidum plerumque spirantes deiicere, narium pruritui molestissimo et sanguinis ab iis identidem stillicidio subiici, ac febribus erraticis prehendi Pulsum exilissimum et singultum in pueris semper signum vermium ponit BAGLIVIUS [2]). Solet vero pulsus esse inaequalis, obscurus, deficiens. Addunt alii tremores, spasmum cynicum, oculorum contorsiones, fugaces genarum rubores. Ex JOH. HENR. RAHNIO habemus, *mydriasin* saepe signum esse vermium in intestinis latentium [3]). ANTONIUS autem COCCHIUS [4]) monet, a vermibus interdum omnia fere *symptomata passionis hypochondriacae* inferri. In febre quadam epidemica, quam *putridam verminosam* et *malignam* vocavit Cl. LEPECQUIUS DE LA CLOTURE, et quae erat *gastricoputrida verminosa*, observavit ut peculiare signum *rosionem ventriculi* [5]).

Rosio ventriculi.

1) RAHN. *in dissertat. de visc. abdom.* 1771. *p.* 20.

2) *Giornale de medic. di Venez.* 1774. *p.* 217.

3) *L. c.*

4) *Bagni di Pisa p.* 228.

5) *Observations sur les maladies épidémiq. p.* 91. *Ex sch. auct.* Vid. *Vol. de febribus* §. *CCCLXXXVI.*

§. CXXXI.

Fere omnes morbos a vermibus genitos auctores observarunt.

Nullum demum fere tam grave symptoma est, quod interdum *vermes intestinorum* non excitaverint. BOERHAAVIUS ab iis ortas vidit *febres acutas, lentas, hecticas, malignas, putridas, epidemicas, famem caninam, bulimum,*

soporem, *delirium*, BARTHOLINIUS *nauseas*, *vomitus*, *dysenterias*; PARACELSUS *phrenitidem*; MARCELLUS DONATUS et SCHENCKIUS *catalepsin*; FORESTUS *aphoniam*; ZACUTUS LUSITANUS, GRUELINGIUS, RHODIUS, MOEBIUS viderunt *epilepsiam*, quam in se ipso quoque vidit FABIUS COLUMNA; *febres vehementes* et *erraticas*, *syncopes*, *praefocationem*, *colicos dolores*, *manias* RIVERIUS, HOFFMANNUS, LUDWIGIUS; *febres putridas contagiosas*, *epidemicas* MOREALIUS, et antea iam ETTMÜLLERUS; *palpitationes*, *capitis dolores*, *vertigines*, *coecitatem*, *tusses*, *singultus* TOZZIUS; *ileum*, *volvulum* LIEUTAUDIUS; *pleuritidem*, *ischuriam*, *ventriculi et intestinorum perforationem* *) HOFFMANNUS, et nos, passimque clinici omnes, speciatim VOGELIUS, SCHULTZIUS, DOEVERENIUS, STÖRCKIUS aliique. In maniaco, qui ante mortem *lumbricorum* copiam vomuit, invenit LUDWIGIUS tres magnos *lumbricos teretes* mortuos, vesiculae felleae inclusos [1]). LIEUTAUDIUS etiam [2]) reperit in cadavere pueri febre acuta extincti *lumbricum proceriorem*, quo ductus *choledochus* obturabatur. Illuc autem videbatur delatus fuisse ex cystide fellea. Idem narrat [3]), quod mirabilius est, se invenisse in cadavere foeminae febri maligna peremtae *lumbricum* itidem in *ductum pancreaticum* adactum, planeque eum obstruentem. Idemque in alio puero invenit intestinum *ileum* circa finem *glomere lumbricorum pugni magnitudinem aequante* penitus occlusum [4]).

Observatio LUDWIGII.

Aliae LIEUTAUDII.

1) *Comment. de reb. in scient. nat. et medicina gestis Vol. XIV. p.* 664.

2) *Hist. anat. med. T. I. p.* 211.

3) *L. c. p.* 248.

4) *L. c. p.* 75.

*) Exemplum *perforationis intestinorum a vermibus* videsis in *diario (Journal de médecine) mens. iun. ann.* 1782. *pag.* 551. *Ex sched. auct.*

§. CXXXII.

Vermium *cucurbitinorum* ac *taeniarum* signa magis propria esse videntur *morsus* circa *ventriculum*, aut alicuius

Signa magis propria cucurbitinorum

et taeniarum. vivi animalis intus se moventis crebra et molesta sensatio, abdominis quaedam inflationes, quae subsidunt, posteaque recurrunt, appetitus auctus, insignis virium imminutio, macies, color faciei plumbeus aut flavus, deliquia, visus obscuratio, oculorum lacrimatio [1]), vertigo caduca, crurum vacillatio, et *ramenta quaedam cum excrementis veluti semina cucurbitae aut cucumeris alvo interdum reddita* [2]). In quibusdam *vocis interceptio cum sputis ex ore multis, tormine ventriculi, vel etiam dolore* [3]). Plerumque hisce *vermibus* laborant, qui palustria loca incolunt, aquis impuris victuque pravo utuntur. *Ascarides* potissimum manifestantur pruritu circa anum, alvi frequenti deiectione, foetore faecum. Adultis aeque ac pueris infensi sunt. HIPPOCRATES in *foetu uterino* eos etiam invenit. Apud foeminas saepe in vulvam prorepunt, et pruritum in ea intolerabilem excitant. Tunc non tantum in excrementis alvinis, sed etiam in urina apparent. Cl. COUSINIUS narrat [4]), militem per urethram eiecisse *vermem teretem* octo pollicum latitudine, et multos alios similes a pluribus annis eiicere solitum. An ab intestinis aliqua cum ureteribus, aut reserata praeter naturam communicationis via? Vidimus in cadaveribus vermes sibi ex oesophago viam parasse in cavum thoracis, per foramen in cavum abdominis. In puella decenni, visceribus omnibus sanissimis, a vermibus suffocata invenit HALLERUS os et fauces lumbricis plenas, duos vero teretes in aspera arteria ad *cordis sedem*, inque *pulmonis principio* [5]).

Qui illis magis obnoxii. Ascaridum signa.

Vulvae mulierum saepe molesti huiusmodi vermiculi. Observationes COUSINII. AUCTORIS.

HALLERI.

Historia morbi a taenia progeniti.

1) SALOTI medici galli exstat observatio (*Journal de méd. juill.* 1783. *T. XI. p.* 22.) de *taenia* et *vermibus* cum *chorea* s. *Viti*, eiusque *signis*, quae huiusmodi est. „Puella quaedam annorum IX. ab octo diebus die nocteque exagitabatur assiduis et inordinatis motibus in brachiis et cruribus. Difficulter loquebatur impedita veluti lingua. Mens constabat. Ridicule incedebat trahendo veluti pedes alterne post se. Aegre admodum et post varias motiones poculum ori admovebat, tumque haustu praecipiti bibebat. Oculi lacrimabant, et continuo in motu erant, atque os varie movebatur, ac torquebatur. Respiratio libera, pulsus parvus, celer, inaequalis, sitis magna, urina aquea, venter tumidus. Dolebat circa um-

bilicum assidue, deiiciebat mollia, mucosa, colore argillaceo, facies pallida, et corpus macie confectum, quamvis iam a sex mensibus immodica et insatiabili fame vexaretur. *Lacrimae oculorum, macies, tumor ventris, dolor circa umbilicum et excrementa alvi* diagnosin vermium fecere. Praemisso *clystere ex decocto fic. ping.*, mane deinde datum remedium ex *unc.* jv. *infusi helminthochorti, unc.* ij. *olei ricini*, et *unc.* j. *syrup. flor persici.* Quater puella deiecit cum quinque *lumbricis* variae magnitudinis. Postero die repetitum remedium, datis prins jv. *granis mercurii dulcis* et *granis* xij. *rhabarbari.* Octies alvus laxata est, et eiecta TAENIA quinque cum dimidio pedes longa. Mox omnia symptomata euanuerunt, et convalescere aegra coepit. Vino china china medicato cito bonum colorem et habitum recuperavit." *Ex sch. auct.* *Unde diagnosis.* *Curatio.*

2) HIPPOCR. *de morb. IV.* 27. *n.* 39.

3) *Ibid. n.* 40.

4) *Act. Helvet. T. VIII. p.* 192.

5) *Opusc. pathol. observ. IX.*

Prognosis.

§. CXXXIII.

Periculo carent *ascarides*, feliciusque curantur. Neglecti tamen tenesmum atque inflammationem, vel ulcera intestini recti inducere possunt. Non item *lumbrici* et *taeniae*; in his enim maior difficultas saepe occurrit, nec vitae deest periculum. Albi minus, quam nigri aut rufi, difficultatis et discriminis habent. *Vermes*, quando cum aliis morbis copulantur, si prodeant, plerumque summam putrefactionem, quam effugere videntur, significant. Saepe autem cum excrementis exeunt morbo ad *indicationem* tendente, et tunc *bonum* esse HIPPOCRATES [1]) docuit. ASCARIDUM *prognostica.* LUMBRICORUM *et* TAENIARUM. *Si cum aliis morbis coniunguntur, quid.*

1) *Praenot.* 72. *Coac.* 601. *De indicat. V.*

Curatio.

§. CXXXIV.

Indicationes sunt vermes sedandi, necandi, expellendi, nidos eorum deturbandi, symptomata leniendi, et causas, a *Indicationes.*

Oleosa amaricantia et opiata. quibus foventur, removendi. Oleosa imprimis, amaricantia ac opium habentia vermibus stuporem inducunt, symptomata leniunt, et ad exitum expulsionemque praeparant. Gummata graveolentia, salina saburram viscidam, in qua et nascuntur et crescunt, non modo destruunt, sed etiam vermes ipsos fugant. *Acida tam vegetabilia, quam fossilia.* Enecare eos dicuntur oleosa, acida tam e vegetabilibus, quam e fossilibus elicita [1]), et dulcia; sed nullum certa fide remedium adhuc cognoscitur, quod vere eos enecet. Sopitos, aut mortuos, aut languidos *anthelminthicis*, vel *opiatis*, ut PLANCO mos erat, redditos expellunt emetica [2]) et clysteres imprimis ex lacte et saccharo parati. *Emetica et cathartica.* Inter haec commendantur ialappa, diagrydium, mercurius dulcis, aloë, rhabarbarum, conserva florum persici, aut ex his composita. *Pueris aptiora.* Pueris magis convenit syrupus cichorei cum rhabarbaro, aut florum persici, aut rotulae ex rhabarbaro. In his quoque utiliter extrinsecus illinitur abdomen oleo tanaceti, unguento arthanitae maioris, vel aloë hepatica et myrrha felle bovillo subacta; quae alvum leniter solvunt.

1) *De anthelminthica acidorum fossilium praestanti vi saepe auctor voluminibus praecedentibus locutus est, ideoque his addantur, quae ibi leguntur.* Vid. §. CCCI. CCCCII. et alibi *Volumine I.* etc. et hic quoque P. II. §. XXXII. etc.

2) BIANYERE *Journal de Monsieur* VANDERMONDE *T. V. octobr.* 1756.

§. CXXXV.

Praestantiora anthelminthica. Vermes expellendi et occidendi laude praestant semen santonici, sive cinae, coralina maritima, summitates tanaceti et hyperici, ruta capraria, sive galega, ruta hortensis, absinthium, radix valerianae sylvestris, filicis maris, graminis, cornu cervi ustum, vel tantum limatum, testae ovorum contusae, assa foetida, myrrha, petroleum, oleum hyperici *Matthioli*, spiritus vitrioli, vitriolum martis, camphora, aethiops mineralis, pollen sulphuris aut eiusdem accensi in vinum immersio. *Tartarus et vinum emeticum.* Cl. TODIUS summis laudibus extollit tartarum et vinum emeticum, quibus ducenties se vidisse testatur [1]) vermes deiectos. Quod remedii genus iam antea BROUZE-

TUS

TUS [2]) commendaverat. Aquam etiam nonnulli laudant, in quam libra una vel altera plumbi liquati fuerit iniecta [3]). Sed timendum est, ne aqua arsenicali vapore imbuta noxam inferat aegrotanti [4]). Aqua olim etiam, in qua argentum vivum diu multumque agitatum fuit, imo argentum vivum magni fiebant; hodie vero de eorum viribus anthelminthicis [5]) dubitatur. Aqua autem multo sale imbuta a nobis [6]) et a THOMA LEIGH [7]) iure laudatur. *Argentum vivum anthelminthicum.*

1) *Coll. soc. med. Havniens. Vol. I. p.* 21.

2) *Comment. de reb. in scient. natur. et medic. gestis Vol. IV. p.* 487.

3) *Gazzett. med. d'oltremonti ann.* 1762. *n.* 16.

4) Vid. supra quae traduntur de *dolore colico a saturninis* inducto.

5) *Nullam vim anthelminthicam hydrargyro inesse usque ab anno* 1753. AUCTOR *ostendit peculiari opusculo inscripto:* „De anthelminthica argenti vivi facultate; in 4. Faventiae." *Id postea aethiope minerali et unguento etiam mercuriali aliis initis experimentis et observationibus confirmavit; quae adhuc exstant inter eius inedita scripta.* Vid. *Vol. I. de febrib. cit.* §. *CCCCII. Editor.*

6) *Trattato delle acque di S. Cristoforo. Faenza* 1761.

7) *Opuscoli medic. pratici di* LUIGI TARGIONI *T. IV. p.* 115.

§. CXXXVI.

Hisce et similibus auxiliis nonnunquam etiam *taeniae* cedunt. Plerumque tamen pertinacius resistunt. *Acta academica Edimburgensia* proponunt tanquam specificum remedium stannum limatum, magna et fere octupla sacchari pinguis dosi exceptum. Sex drachmas prima die, altera tres tantundem tertia deglutiendas praecipiunt; quarta vero alvum cathartico ducendam [1]). Alii commendant portulacam, oleum e nucibus expressum, atque ex vino alicantino propinatum [2]). Itemque vitrioli martis grana sex extracto tanaceti excepta, ac in bolum redacta [3]). Verum et stannum, et *martis vitriolum* aeque ac *graveolentia*, et *sales*, et *amara* saepe irrita fuisse certo scimus [4]). Cl. RATHIERIUS potentissime expelli *taeniam* asserit [5]) sequenti remedio: *TAENIAE curatio. - Specificum acad. Edimburg.* *Alia remedia ab aliis commendata.* *Exceptiones.* RATHIERII *remedium.*

Rec. *Pulv. sabinae gr. XX., sem. rutae gr. XV., mercur. dulc. gr. X., ol. tanaceti gutt. XII., syrup. flor. pers. q. s. M. f. bolus, cuius dimidia pars detur mane, altera vesperi, et desuper hauriatur cyathus vini, in quo nuclei persicorum per hor. XII. fuerint macerati.* Cl. quoque BISSETUS cum cetera remedia frustra tentaverit, solum *gummi guttae* seu *cambogia* invenit efficax, et quasi *specificum*, cuius *grana XV. cum extracto gentianae in forma pilulari pro una* dosi exhibuit [6]). Huic simile videtur illud, quod Parisiis iussu regis vulgatum fuit, quodque magno pretio accepto revelavit vidua quaedam Helveta, NOUFFER cognomento dicta, *taeniarum* curationibus iamdiu celebris reddita [7]). Praecipua componentia sunt radix *filicis maris*, sive *non ramosae C. B.*, *panacea mercurialis*, *resina scammonii*, et *gummi guttae.* Sed illud primum tutius, et aeque efficax est [8]). *Arcanum* quoque HERRENSCHWANDII, ut ex VOGELIO habemus [9]), constat ex *gummi guttae*, *sale absinthii* et *carbone fraxini.* VOGELIUS ipse nihil valentius novisse testatur adversus *taenias*, quam radicem filicis in pulverem contritam ad scrupulum unum vel semidrachmam cum granis tribus gummi guttae circiter, mane et vesperi per aliquot dies datam. Generatim sane validiora purgantia ad *taenias* expellendas proponuntur, ut colocynthis, scammonium, gummi guttae; nec laudatoribus carent spiritus fermentati, vina generosiora, uti Alicantina et Hispanica, quorum usu non raro eiectas legimus *taenias.* Sed tartarus emeticus aquae copia dilutus et epicratice datus nobis videtur ad taenias accommodatissimus [10]).

Aliud Cl. BISSETI.

Specificum Noufferianum.

Arcanum HERRENSCHWANDII. *Aliud* VOGELII.

Purgantia validiora.

Vina generosiora.

Tartarus emeticus.

1) *Vol. V. art. 7. p.* 103.

2) *Giorn. di med. Veneto ann.* 1763. *n.* 22.

3) *Ibid. n.* 8. 1764. *p.* 62.

4) TODE *Coll. soc. med. Haun. Vol. I. p.* 21.

5) *Journ. de méd.* 1768. *T. XXVIII. p.* 44.

6) *Medical essays and observat. p.* 186.

7) Aliud nuper in Galliis remedium adversus *taenias* mandato regis editum in vulgus, cuius auctor est Cl. RENAUDIUS nosocomii Barjacensis medicus, quodque tum etiam profuisse

Specificum RENAUDII *adversus taenias.*

fertur, cum illud viduae NOUFFER haud prospere cessit. Est autem huiusmodi. *Detur vesperi aquae fontis clysma cum saponis drachma una. Sequenti mane stomacho ieiuno una item drachma pulveris rad. filicis maris cyatho aquae,* pourpier *dictae, exhibeatur admixta. Ita diebus quinque fit. Quibus elapsis pulveri eidem adiecta dosi aquilae albae, ialappae et rhabarbari cum melle q. s. f. boli ore sumendi. Potus quotidianus sit decoctum rad. mori.* Ex sched. auct.

8) *Scelta d'opuscoli etc. di Milano* 1776. *T. XIII.*

9) *Academ. praelection. de cognosc. et curand. morb. p.* 652.

10) Femina quaedam febri, dyspnoea, virium prostratione et doloris punctorii sensu in dextro latere laborabat. Vena secta, datum enema. Menstrua accedunt. His cessantibus *emeticum* sumsit. Quinquies et viginti alvus soluta est. Mixtura assumta ex laudano liquido et confectione hyacinthina; eiecit *taeniam* quinque ulnas longam. *Act. Helvet. T. VI. p.* 216. Similem ego in viro habui observationem. *Ex adversariis auctor.* *Exemplum curationis taeniae ope emetici.*

Hic animadvertendum quoque est, Cl. RAYMUNDIUM *taeniam* e corpore eduxisse ope *olei ricini,* et quandoque magna dosi *olei olivarum,* vel *amygdalar.* dulcium, superadditis *duabus drachmis corticis rad. mori feminae in pulverem redacti.* Vid. *Hist. de la société roy. de méd. Vol. II. p.* 226. Ex sched. auctor. *Oleum ricini.*

§. CXXXVII.

Ascarides aqua tectucciana, aut porrectana, aut s. Christophori in agro Faventino, quae alvum subducat, sale cathartico Epsomensi, aut mirabili *Glauberi*, enematibus ex oleis expressis, vel decoctione tanaceti, lacte, saccharo, melle occiduntur, suppositoriis ex aloë et melle averruncantur, destruuntur. LANGEUS pro infantibus utitur *seminibus citri. Conquassantur numero XII., vel XV.*, et in *lactis vaccin. unc.* jv. *coquuntur*, et *deinde fortiter exprimuntur.* Continuatur remedium per tres pluresve dies, usque dum vermes cum scybalis eiiciuntur [1]). In omnium vero curatione vermium diaetae quoque ratio habenda est, quae sit causis, a quibus vermes foventur, removendis opportuna. *Ascaridum curatio.* *Diaeta.*

1) *Miscell. verit. Fasc. I. p.* 85.

CAPUT XI.

DE TYMPANITE.

§. CXXXVIII.

Meteorismus. Hydrops siccus.

Ad intestina quodammodo pertinet illud morbi genus, quod Τυμπανίτης, sive Τυμπανίας appellatur. In eo abdomen universum ita intumescit ac tenditur, ut manu percussum tanquam tympanum resonet. Sed huiusmodi tensio tumorque abdominis resonans, ut *tympaniam* vere constituat, debet esse stabilis et diuturnus. Reliquae enim abdominis inflationes breves et summopere variantes, aut in acutis morbis cito oborientes rectius *meteorismi* [1]) nomine distinguuntur. Vocatur etiam *hydrops siccus* et *flatulentus.*

1) Pluribus de *meteorismo* ventris ab Auctore disputatum est *Vol. II.* §. *CCCLXVII. CCCLXVIII. CCCLXIX.*, quae hic quoque opportuna esse possunt, si in memoriam revocentur. *Editor.*

§. CXXXIX.

Causa proxima frequentior. Minus frequens. Rarissima.

A sede triplex species. Intestinalis, abdominalis, emphysematicus. A causis et ab origine multiplex.

Frequentissima eius causa est ventriculi et intestinorum, aut alterutrius tantum cavi ab aëre intus collecto ac urgente ingens distentio. Rarius vero aër in abdominis cavo extricatus, vel in ipsum ab intestinis irrumpens, totumque abdomen distendens; rarissime demum idem aër intra intestinorum aliorumque viscerum tunicas collectus, id est verum eorum omnium *emphysema.* Hinc a sedibus, quas implet, distrahitque aër, variae oriuntur *tympanitae* differentiae; nimirum tympanites *intestinalis* [1]), abdominalis [2]), *emphysematicus* [3]), vel ex his etiam *compositus* et *mixtus.* Ratione causae etiam dicitur alius *spasmodicus*, *asciticus* alius, et sic porro. Ratione originis alius *primarius*, *secundarius* alius etc.

1) Smetius, Hildanus, Saxonia *intestinalem* describunt, ideo consulendi sunt. *Ex sch. auct.*

2) Penes VALLESIUM, BALLONIUM, COMBALUSIERIUM *abdominalis* descriptio est. *Ex sched. auct.*

3) De *emphysematico* in *actis Petropolitanis* COMBALUSIERIUS et DUVERNEYUS agunt. *Ex sched. auct.*

§. CXL.

Reliquas causas, remotas nimirum iam memoremus. Hae sunt atonia fibrarum intestinalium et ventriculi, intestinorum aliqua pars constricta [1]) sive organico vitio, sive tumore, sive spasmo, dyspepsia, apepsia, aër uberior intestina replens, colici dolores, et imprimis spasmodici, hysterici, frequentius recurrentes, debilitas totius corporis et viscerum abdominalium, febres intermittentes non recte iudicatae, aut inopportune suppressae, victus crudus, flatulentus, fermentescens, potus similis, aut spiritu praeditus, aut etiam ultra modum frigidus, mucus et pituita in intestinis collecta, bilis defectus, aut inertia, medicamenta cathartica, aut alia, quae tonum intestinorum labefactarint, opii, oleosorum, aquae tepidae abusus, alvi adstrictio diuturna, aut contra nimia et pertinax solutio, aut repentina fluxus eius suppressio, metastases, intestinorum vulnuscula, corruptio, ulcus, perforatio, viscerum putrefactio, cystidis felleae ruptio aut vulnus, unde bilis in cavum abdominis effundatur, pus, aqua, sanguis in eodem cavo collecta, emphysemata, fluor albus, lochiorum aut catameniorum profluvium, aut retentio, rhachitis, icterus, affectio hypochondriaca et alia. *Causae remotae.*

1) Cl. BAGARDUS (*Traité pratiq. de l'hydropisie et de la jaunisse par Monsieur* MARQUET. *P. III. p.* 160.) observatione quadam ostendit *tympaniten* intra peritonaeum existentem, ex qua mors post diem duodecimam secuta est. Inciso enim abdomine aër cum sonitu magno et foetore exiit. Intestina ter solito ampliora erant, hinc inde erant perforata, inflammata, gangraenosa, potissimum qua *mesenterio* adhaerent; *rectum* ad sex vel septem pollicum distantiam ab orificio summe *contractum*, ac si *ligatum* esset. Scybala omnia in colo. Causa erat pessarium in fundo vaginae haerens, et *intestinum comprimens* ac *strangulans*. Cereum longum et rotundum immissum remedio fortasse fuisset. *Comment. Lipsiens. Vol. XVII. p.* 691. *Ex sched. auctor.*

Diagnosis.

§. CXLI.

Signa quaedam externa. Manu ventri admota dignoscitur. Venter durus et tensus renititur, nullam fluctuationem, si simplex sit morbus, sed sonitum, leve murmur et quendam veluti rugitum reddit, frequens ructus desiderium est, nulla fovea in tumore digitis presso remanet, nisi *anasarca* simul concurrat, nullum, aut leve ponderis augmentum corpus percipit, reliquum corpus extenuatur, pedes raro, et non usque adeo, ut in aliis hydropis speciebus, tument. *Symptomata morbi progressum comitantia.* Principium morbi plerumque leviter fertur; quoniam ructus et flatus emissi eum levant. Increscente vero morbo flatus non amplius prodeunt; anxietas, tussis sicca difficilisque respiratio accedit, pulsus fit vehementior et celerior et subdurior naturali, alvus tardior magis magisque evadit, scybala duriora aegerrime eiiciuntur, color faciei demum perit, oedemata, aut anasarca, interdum etiam ascites superveniunt, ac aeger tunc misere occumbit. *Quibus tormina*, inquit HIPPOCRATES [1]), *et circa umbilicum dolores, et lumborum dolor, qui neque purgante, neque aliter solvitur, in hydropem siccum firmatur.* Id autem evenit, quod eiusmodi dolores in suppuratum abeunt, effunditurque pus in cavum abdominis.

1) *Aphor. XI. sect. IV.*

§. CXLII.

Signa tumoris tubi intestinalis. Interdum si pars aliqua tubi intestinalis magis turgeat, ibi etiam tumores oblongi aut rotundi protuberant, et tactui se exhibent, quandoque etiam oculis. Ex loci vero tumefacti sede modo ventriculus, modo colon, modo aliae partes affici cognoscuntur. *Emphysematici. Abdominalis.* In *emphysematico* planior ac aequalior tumor est, minorque resonitus percipitur. In *tympanite* vero *abdominali* non tantum resonat attactum abdomen, verum etiam aëris fluitantis motum, si utrinque

manu admota percutiatur, et quasi undulationem exhibet. Quod magis etiam patebit, si causae praecesserint, quae aërem in cavum abdominis immittere aut extricare possunt, simulque vera alicuius humoris fluctuatio se prodat.

Prognosis.

§. CXLIII.

Incipiente *tympanite* curationis spes aliqua affulget; nam interdum ex voto succedit, imprimis si atonia sola, aut bilis defectus, aut multa pituita cum efficiat. Plures tamen ex his quoque pereunt, quam servantur. Inveterato vero malo vix quidquam spei superest. Si a laesis, ruptis, corruptis ventriculo, intestinis, visceribus oriatur, aut cum ascite aquoso, aut purulento, aut anasarca copuletur; tunc nullam recipit medelam. Nihil hic proficiunt flatuum exitus, aut alvi fluxus, qui potius exitium propinquum, si subitaneus et frequens sit, portendit. A mictu tamen cruento interdum solvi malum, auctor est VOGELIUS [1]). Interdum detumescit nonnihil venter, ac fallacem spem alit; sed paulo post iterum invalescit tumor. *Vomitus cruentus* superveniens fere lethalis est, praesertim si animi deliquia cum eo iunguntur. Virium lapsus, macies, febris, appetitus deiectio, enteritis, ileus, ischuria, dolor colicus ingravescens, umbilici aut intestinorum inflammatio, et crurum sphacelus si supervenerint, certam mortem significant. Lethalis quoque est, qui a rupta cystide fellea effusaque bile oritur.

Quando spes salutis sit aliqua.

Quando non.

VOGELII *observatio.*

Signum lethale vomitus cruentus.

Alia signa lethalia.

1) *De cognosc. et curand. morb.* §. 665.

Curatio.

§. CXLIV.

Quando *tympanites* a *vitiis coctionis primae*, ab *atonia* et *debilitate*, a *bilis defectu* aut *inertia*, ab *alvo obstructa* ac *pigra* oritur, curari debet eccoproticis, amaris,

Tympanitae curatio varia.

Eccoprotica, amara, sapo-

nacea, aperientia et roborantia. saponaceis, aperientibus, uti sunt pilulae *Becherianae*, tartareae BONTII, de gummi ammoniaco QUERCETANI, rhabarbarum, sapo venetus, elixirium proprietatis PARACELSI, gummi ferulacea, extractum et decoctum ex absinthio, chamomilla, abrotano, baccis iuniperi, cortex cascarillae, aurantiorum, peruvianus, semina anisi stellati, dauci cretici, *Enemata acria quae.* foeniculi, coriandri, ac demum chalybs. Enemata quoque acria ex decocto nicotianae, rutae, florum chamaemeli, meliloti, sambuci, urina pueri aut vituli, interdum frigida, *Aër ex ano syringa educendus.* laudantur. Sed imprimis aërem ex intestinis esse exsugendum nonnulli iubent per syringam stanneam ampliorem in anum immissam, embolo saepius educto, sicque aëre evo- *Extrinsecus adhibenda.* cato. Extrinsecus fricandum abdomen est balsamis, oleis, spiritibus penetrantioribus; fovendum sacculis ex furfure, sale communi et speciebus carminativis calide applicitis, vel emplastris de galbano, de meliloto, de baccis lauri, unguento de arthanita maiori, vel aqua frigida, quae etiam potui danda *Emphysematici curatio eadem.* est, vel fascia cingendum, et leniter comprimendum. Similia conveniunt etiam *emphysematico*.

§. CXLV.

Quando sanguis mittendus. Si a *suppressis lochiis* aut *catameniis* oriatur, sanguinis missio, hirudinum applicatio et lenia emmenagoga locum *Antispastica quae et quando.* habent. Antispastica quoque, ubi *spasmi* et *convulsiones* morbum faciunt, opportunissima sunt; inter quae oleum et laudanum, aqua frigida, aut nive glaciata tam intrinsecus, *Quando antiseptica adhibenda.* quam extrinsecus adhibita, et castoreum praestant. Ubi *putrefactio* aut *puris effusio* morbo originem dedit, acida, resinosa, antiseptica danda sunt. Si demum aër in cavo ab- *Paracentesis.* dominis contineatur, paracentesi educi potest, licet saepe, *Roborantia et adstringentia quando magis idonea.* causa remanente, morbus non tollatur, imo in peius saepe ruat. A nimiis *evacuationibus* orto roborantia, amara, adstringentia medentur [1]).

1) *Tympanitae anomali* curationem saponaceis, anthystericis, antiscorbuticis et martialibus remediis peractam videsis *Vol. I. p.* 354. *comment. acad. Edimburgens.*, auctore Cl. ALEXANDRO MONRO. *Ex sched. auct.*

CAPUT XII.

DE OBSTRUCTIONIBUS ET TUMORIBUS VISCERUM ABDOMINIS.

§. CXLVI.

Quid sit obstructio.

Quotiescunque viscus aliquod durius, quam eius natura ferat, aut mole auctum sit, et renitatur, id esse *obstructum* a medicis communiter dicitur. Sic *glandulas obstructas* vocant, quando mole augentur, aut ex mollibus durae ac tactui resistentes fiunt. *Obstructionem* vero nasci tunc docent, quando *arteriae minimae*, quas *conicas* putant, angustiores sive proprio vitio, sive alieno factae liquoribus traiiciendis non valent, aut liquores ipsi densitatem, crassitiem, visciditatem eam obtinuerunt, propter quam in minima vasorum capillamenta ingredi nequeunt, aut demum vis vasorum contractilis ita langueat, ut humores propellere ulterius non possit. His omnibus causis humores in minimis vasis haerere et colligi, partes dilatari, repleri, indurescere, augeri tradunt, et *obstructiones* progigni.

Boerhaaviana obstructionum theoria.

§. CXLVII.

Repugnantia dictae theoriae demonstratur ex figura minimarum arteriolarum et legibus hydraulicis.

At multa obstare videntur, quo minus in eiusmodi explicatione penitus conquiescamus. Et primum arterias minimas non *conicas*, sed *cylindricas* esse nuperrimae anatomicorum observationes evincunt. Itaque humor, qui in eas semel ingressus est, a decrescente vasorum diametro impediri non potest, ne ulterius iter suum prosequatur. Sed demus, humorem vel vasorum vitio, vel proprio in iis haerere. Tunc vasa ab eodem repleta ut coeca et solida ab hydraulicis habentur. Nihil vero in ea influere, nihil amplius recipi ab iis potest. Ergo neque distendi, neque in maiorem molem dilatari possunt, nam humor appellens statim eo se convertit, quo minor est resistentia; in vasa igi-

In ea hypothesi vel nequeunt vasa mole augeri,

vel si augentur, minime indurescere. tur libera et patula, vel etiam retrogrado modo refluit. Si primum, poterit quidem vasorum capacitas paulatim ab influente liquore augeri, non vero pars indurescere, et in tumorem attolli. Si alterum, nec vasa dilatari, nec pars mole, et volumine adaucto naturae limites excedere unquam poterunt. Oportet ergo mutationem aliquam in obstructa parte contingere, quam ob rem ea et mole in dies excrescat, et duritie acquisita renitatur. Haec autem mutatio quaenam, quaeso, erit, nisi *cellulosi textus*, quo viscera et glandulae pene conflantur, *dilatatio*, *extensio* et *repletio?* Si enim cellulosus textus laxetur, si vacua eius spatia humori influenti magis, quam convenit, cedant, si copiosiorem aut spissiorem admittant, nec valida satis vi eum propellant et dimoveant, idque lente et successive contingat, prout nempe cellularis textura magis magisque enervatur, aut ab humore influente urgetur; expeditissimum est intelligere, quomodo paulatim cellulae dilatatae ac humore congesto distentae non tantum partium molem auctam, verum etiam durititiem renitentem exhibeant; et quomodo simul aliquis humorum per reliqua earum vasa circuitus perseveret, eiusque partis, quae obstructa est, nutritionem et vitam conservet. Idem quoque eveniat necesse est, si, quae in vasorum tunicis foraminula exstant, quaeque pori inorganici vocantur, aut lateralia vascula, quae in cellulas patent, ab humore per propria vasa progredi impedito, ac aliorsum sibi viam quaerere coacto urgeantur, dilatentur, repleantur; nam tunc in cellulosa spatiola vasis interiecta adigetur maior humoris copia, qui si praeterea lentus viscidusque sit, eo magis ad omnia obstructionum phaenomena explicanda valebit.

Obstructionum natura verius explicatur infarctu cellulosi textus.

Cellularum atonia, vis maior in eas humores urgens, patentiora orificia ingredientium vasorum, minora egredientium copia et viscriditas humorum causam obstructionis praebent.

Hinc continuata partis nutritio eiusque augmentum et durities deriventur.

§. CXLVIII.

Praecipue partes h. c. obstructionibus obnoxiae.

A glandulis, a peculiari

Obstructionibus obnoxiae esse possunt omnes nostri corporis partes; sed imprimis sunt *hepar*, *lien*, *mesenterium*, *omentum*, *pancreas*, *renes*, *ovaria*, *uterus* et *corpora glandulosa* [1]). Si vero glandula aliqua, aut peculiaris cellulosi

textus particula alicubi tantum intumescat ac induretur, aut vas aliquod lymphaticum in ampullam expandatur (quod tamen nonnulli hodie, quos inter PORTALIUS, fieri posse negant), varia tumorum genera oriuntur, nempe *solitaria*, *circumscripta*, *membranis adnata*, *viscerum superficiei* saepe *adhaerentia*, *strumosa*, *cystica*, *folliculata*, *hydatidea* et sic porro. Pro varia etiam humoris infarcientis natura et diverso obstructionis gradu, aut tumoris forma, figura, symptomatis, varia etiam nomina sortiuntur, *steatomatis*, *sarcomatis*, *scirrhi*, *cancri etc.*

parte cellulosi textus, a vasis lymphaticis tumores varii. Varia quoque nomina ab humore infarciente, tumoris forma, figura etc. sortiuntur.

1) *Tumor durus, indolens in epigastrio etc.* descriptus ab auctore est *observatione XXII.* operis inscripti: *Observationum medicarum, quae anatomiae superstructae sunt etc., quas collegit edidit que anno* 1764. Cl. BENVENUTUS Lucensis. *Editor.*

§. CXLIX.

Remotas causas suppeditant languida et debilis corporis constitutio, fibrarum atonia, viscidi et crassi humores, acida, austera, glutinosa, pinguia, adstringentia, coagulantia tum remedii, tum alimenti forma assumta aut applicita, imperfecta ciborum coctio, depravata chylosis, febres diuturnae, aut praepostere suppressae, evacuationes nimiae, aër paluster, aquarum insalubrium potus, vini aut spirituum vinosorum abusus, vita deses, animi curae, moeror, affectio hypochondriaca et hysterica, spasmi, aliaque omnia, quae aut tonum partium laedunt, aut debitam sanguinis crasin depravant, aut motum eius retardant impediuntque.

Causae remotae.

Diagnosis.

§. CL.

Praeteritorum commemoratio causas, a quibus *obstructio* oriri solet, patefacit, et ad eius diagnosin viam pandit. Signa vero praesentia praebet tensio, gravitas, dolor fixus et obtusus, tumorque in aliqua abdominis parte. Interdum adest respirationis difficultas, et tussis profunda et

Quae pandant viam diagnosi. Signa obstructionis iam praesentis.

Recens obstructio non facile percipienda.

sicca, quae aut a diaphragmate sursum protruso, aut a nervis consentientibus originem ducit. Notandum tamen est, cum obstructio parva et recens est, non facile eam percipi, solumque aliquam in eius, quae afficitur, partis actione laesionem apparere.

Animadversio.

Non vero statim ac aliqua in functionibus viscerum imi ventris laesio occurrit, obstructiones accusare licet; quia saepe mala huiusmodi ab imbecillo et male affecto ventriculo, aut a succorum gastricorum depravatione, aut a spasmis oriuntur.

Quando scirrhosam aut cancrosam naturam acquiseverit.

Dolor item omnis abest, si *scirrhosam* naturam vetustate *obstructio* acquisiverit, aut contra acutus et pungens, et cum ardoris sensu excitatur, quando in *carcinoma*, sive *cancrum*, aut *abscessum* eadem commutetur. Haec diu trahuntur, sensimque augentur.

Alia mala, quae accedunt.

Accedunt demum malus corporis habitus, cachexia, macies, atrophia, febres lentae, oedemata, urinae crassae, lateritiae, ascites, anasarca et variae hydropis aliae differentiae.

§. CLI.

Obstructi hepatis signa.

Si *hepar* obstructum est, in hypochondrio dextro, aut in epigastrio, prout dexter vel sinister eius lobus laborat, tumor et renisus percipitur, nisi sub costis spuriis altius delitescat; facilius in dextrum latus decumbitur, et *icteri* symptomata, imprimis si *concava hepatis* pars afficiatur, saepe se exserunt.

Lienis obstructi.

Si vero *lien* intumuerit, in sinistro hypochondrio tactui se prodit, interdum antrorsum aut deorsum prolabitur, sinistro in latere commodior decubitus est, et si hunc corporis situm mutent aegri, in dextramque partem recumbant, ponderis et tractionis sensum in opposita percipiunt.

Pancreatis, omenti, mesenterii, renum, ovariorum, uteri.

Tumor, dolor, pondus transversim sub ventriculi fundo residet, si *pancreas* infarctu detineatur. Media vero in ventris regione, aut circa ilia, aut in hypogastrio *obstructionis* symptomata notantur, si *mesenterium*, si *omentum*, si *renes*, si *ovaria*, si *uterus* laborent, adsuntque harum partium laesae functiones.

Tumores omenti multiplices sunt.

Omenti tumores multiplicis sunt naturae, prout vel *aqueus* humor, vel *gelatinosus*, vel *pinguis*, vel alterius naturae, vel *aër collectus* eos gignit.

Hydatides omenti ex cellulosa tela conflantur.

Hydatides, quae reperiuntur in *omento*, non ex vasis sanguiferis aut lymphaticis dilatatis, sed ex *cellulosa* tela formari docet PORTALIUS [1]). Flatu enim horum tumorum parietes in cellulosam telam ipse mutavit, et nonnunquam pinguedinem inter eorum laminas invenit. Tumores hi tactu percipiuntur regione, qua residet omentum. Saepe ita mobiles sunt, ut aegri situ mutato ex uno latere in aliud delabantur. Si materia pingui et crassiori turgeant, et mole ac pondere per morbum aucti sint, molestas tractiones tensionesque visceribus, quibus adhaerent, inferunt, imprimis ventriculo, unde saepe molestissimus vomitus excitatur [2]). *Mesenterio* innati *tumores* profundius haerent, minus mobiles sunt, et centrum ventris magis tenent. *Emphysemate* etiam *omentum*, eodem PORTALIO teste, interdum laborat, aëre intra eius laminas evoluto et collecto; quod etiam sine putredine accidit hypochondriacis et hystericis. Tumor hinc ortus mobilis est, exterius tactu percipitur, et elasticus est, quem curat equitatio et balnei usus. *Scirrhi* autem duritie et absentia doloris, ut supra innuimus, se produnt. His obnoxiae maxime mulieres, quae pluries utero gestarunt [3]). Scire vero oportet, haec omnia saepe fallere ob viscerum situm pluries variatum, aut intestinorum complicationes, tumoresque adnatos, ut alibi saepius monuimus.

Earum sedes et mobilitas.

Signa earum si a materia crassiori, aut aucta mole sint.

Mesenterii tumores.

Signa emphysematis omenti et eius curatio, si hypochondriacis aut hystericis accidat.

Scirrhus.

Qui ei magis obnoxii.

1) *Histoire de l'académ. roy. de l'année* 1770. *et* 1771. *p.* 541.

2) *Comment. de reb. in scient. nat. et medic. gest. Lips. T. XXI. p.* 408.

3) In graviditate saepe *omentum* ab utero premitur, repellitur, ac in se ipsum revolvitur ut nonnunquam inflammetur, induresc at, et tumores variae formae efficiat duros et oblongos, situm modo obliquum, modo transversum occupantes. Huiusmodi tumores in mulieribus, postquam peperere, inveniuntur in earum abdomine, et per multos etiam annos gestantur sine magno incommodo. RUYSCHIUS in mulieris cadavere observavit *omentum duos digitos crassum, tres latum, spitham.* 1/12. *longum, adiposo carnosum*, imo *scirrhosum. Ex sched. auct.*

Tumores mulierum a graviditate.

Prognosis.

§. CLII.

Quid de recenti obstructione. Quid de inveterata. Quomodo interdum solvantur.

Ex iis, quae hactenus dicta sunt, facile elici potest prognosis. Generatim *obstructio* recens et iuvenibus superveniens resolvitur; inveterata vero, ac senili aetate contingens ferme incurabilis est. Haemorrhoidum fluxus, febris intermittens, interdum vomitus cruentus, diarrhoea non raro levamen afferunt. Interdum quoque narium haemorrhagia *lieni tumido* remedio fuit, ut observavit MENGHINIUS Bononiensis.

Curatio.

§. CLIII.

Indicationes.

Ad omnes vero *obstructiones* reserandas oportet crassa attenuare, stagnantia dimovere, acria diluere, coacta fluida facere, vias patulas reddere, spasmos sedare, avertere, tonum fibris restituere, ac singulares antecedentes causas arcere.

Alvum lenientia praecipua.

Quae ut assequamur, lenienda primum est alvus, et, ut dicitur, per epicrasin; imo id identidem, dum reliqua remedia, quae aperiunt et deobstruunt, adhibentur, opportune faciendum est. Rhabarbarum, cremor tartari, tartarus solubilis, manna, aloë, pilulae tartareae *Bontii*, de ammoniaco *Quercetani*, de tribus cum rhabarbaro ceteris praeferuntur.

Crebri clysteres.

Clysteres quoque frequenter iniecti tam solvendae alvi, quam proxime in viscera per vasa absorbentia liquorem infundendi causa a multis summopere commendantur.

Qui, et quando sanguis mittendus.

Nec alienum est sanguinem mittere, saltem hirudinum ope, si plethora, si graviditas, si catameniorum aut haemorrhoidalis fluxus suppressio morbo occasionem dederit.

§. CLIV.

Aperientia e vegetabilibus selecta.

Inter vegetabilia aperiendi vi praedita quinque radices aperientes, nimirum radix apii, asparagi, foeniculi, petrose-

lini et rusci primum sibi vindicant locum. In calidioribus siccioribusque temperamentis radix graminis, cichoreum, taraxacum, fragaria, acetosa, agrimonia, fumaria, beccabunga ceteris antecellunt. In laxiori frigidaque corporis constitutione radix rubiae tinctorum, filicis, curcumae, absinthium, abrotanum, marrubium, nasturtium aquaticum, raphanus rusticanus, cortex mali aurantii magis opportuna videntur. Decocta et succi ex his expressi vere, aut concreti hieme adhibendi parantur; quibus addendum est serum lactis vaccini aut caprilli. Simili laude praestantissima sunt saponacea et incidentia, ut gummi ammoniacum, sagapenum, opopanax, sapo Venetus, terra foliata tartari, liquor terrae foliatae, sales lixiviales, neutri, tartarus vitriolatus, sal polychrestum, arcanum duplicatum, sal ammoniacum, eius flores, tinctura antimonii acris, kermes minerale [1]), mercurius dulcis. HUXHAMIUS testatur, se millies expertum vim medicam tartari regenerati, sive terrae foliatae in obstructiones; imo etiam ei tanquam efficacius substituendum docet sal volatile C. C. aceti spiritu saturatum [2]). Saponem ex alcali purissimo et oleo stillatitio coalitum, nempe *Helmontianum*, laudat in frigidissimis corporibus BOERHAAVIUS [3]). GEDEON HARVEIUS tincturae salis tartari cochlear unum mane et vesperi proponit [4]). Obstructiones reserat, et urinas ciet. Tinctura haec fit unciis ij. salis tartari calcinati in spiritu vini non rectificati, sed optimi, ad quatuor digitorum supereminentiam, digesti in igne arenae, donec color flavescat. Tunc decanthetur ad usum. Succus uvarum recens expressus fundit omnia, et proinde reserat, et obstructa aperit, teste SWIETENIO [5]). GUILELMUS FARRIUS usu interno et externo cicutae *obstructiones hepatis* et *lienis*, a quibus et tussis, et ascites, et anasarca ortus erat cum tertiana febri coniunctus, discussit [6]). LANGEUS narrat, absinthii extractum cum sapone Veneto ad semidrachmam in dies singulos intra tres hebdomadas mira praestitisse in *hepatis* et *lienis* obstructionibus [7]). Idemque affirmat, in atrophia infantum et puerorum ab imi ventris et mesenterii

Quae sicctioribus temperamentis aptiora.

Quaenam frigidis.

Decocta et succi, addito sero lactis.

Saponacea et incidentia quae.

Terra foliata tartari.

Sal volatile c. c. Helmontianum.

Tinctura salis tartari HARVEI.

Uvarum succus recens expressus.

Externus et internus usus cicutae.

Extractum absinthii cum sapone veneto.

Sal Glauberianum cum lactis sero in pueris.

Decoctum scrophulariae. Sapo Venet. et ipecacuanha, et oleum seminum lini in fine.

obstructione sal *Glauberianum* in sero lactis diu continuatum optime prodesse [8]). LEDELEURYUS laudat decoctum scrophulariae, saponem Venetum, et ipecacuanham refracta dosi, et in fine oleum seminum lini adhibet felici cum effectu [9]).

1) GEOFFROY *Mat. med. T. I. p.* 126.
2) *Observat. de aëre et morb. epidem. T.* 1. *p.* 144.
3) *Chem. T. I. p.* 395.
4) *De art. curand. morb. exspectat. p.* 25.
5) §. 605. *n. VIII.*
6) *Med. observat. and inquiries T. IV.*
7) *Miscell. verit. Fascic. I. p.* 55.
8) *Ibid. p.* 79.
9) *Comment. Lips. de reb. in sc. nat. et med. gest. Vol. VIII. P. III. p.* 423. 424.

§. CLV.

Roborantia. China china et chalybeata. Quae fomenta, inunctiones et emplastra.

His tempore idoneo diuque adhibitis addenda deinde sunt roborantia, uti millefolium, cortex Peruvianus, ferrum et eo parata. Insuper fomenta, frictiones, inunctiones ex oleo capparum, chamomillae, absinthii, unguenta et emplastra, uti de arthanita, de cicuta, de ranis cum mercurio, saponatum BARBETTAE (additis pro re nata gummi ammoniaco, galbano, elemi) extrinsecus adhibita non negligantur.

Aquae minerales et balnea. Embroche, et eius utendi ratio et cautelae.

Aestivo tempore conveniunt aquae minerales acidulae, aut catharticae amarae, aut ferratae, et balnea. Sed nihil praestantius est *embroche* ex lacte primum, aut decocto emollienti, deinde ex aqua thermali, aut ferrata, vel fabrorum. Administratur autem remedium istud, ut stillatim ex alto in affectam partem eiusmodi liquores decidant. Cavendum autem in eius administratione est a nimio impetu, qui dolorem aut inferre, aut intendere, si iam adsit, cum aegri damno posset.

Quid tumores mobiles coërceat. Quid medeatur frigidis, humorum

Tumoribus mobilibus et pondere molestis levamini sunt fasciae abdomini circumductae, quarum ope subleventur [r]). GORTERIUS animalia viventia, aut earum viscera tepentia obstructis iugiter applicata magnopere lau-

laudat, utpote calore naturali concretos a frigore aliaque simili causa humores optime resolventia [2]). *concretionibus.*

1) Portalius *l. c.*

2) *De secret. humor.* §. 33.

§. CLVI.

In victu cruda, farinosa, pinguia, flatulenta, facile degenerantia, acida, austera vitentur. Potus sit aqua purissima aut incoctis vegetabilibus, aut chalybe candenti immisso alterata, aut vinum tenue, album, absinthites moderate usurpatum. Aëris purioris delectus, equitatio, vectio, peregrinatio ita necessaria sunt, ut his curatio carere non possit. Quid scirrhis [1]), cancris, abscessibus [2]), atrophiae [3]), hydropi [4]) expediat, alibi iam pluries a nobis expositum est. *Victus et potus.* *Aëris puri delectus. Equitatio etc.* *Quid scirrhis cancris, abscessibus.*

1) Uteri *tumorem*, qui tangenti *scirrhosus* videbatur, solo chamaepityos usu, nullo exterius adhibito auxilio, nulla excretione subsecuta, feliciter discussit Albertinius. Morgagn. *Epist. anatom. med. XXXIX. n.* 35. Cave vero ab hoc remedio, ubi sanguinis ex utero sit profluvium. *Id. ibid.* Valsalva uteri et mammarum *scirrhos* coërcebat venae sectione bis vere, bisque autumno instituta. *Id. ibid.* Langeus *glandularum tumores*, et recentes mammarum *scirrhos*, quos nec mercurius, nec cicuta attingeret, felicissime curat petroselino conciso et aegrotantis urinae incocto, partique induratae imposito. *Miscell. verit. Fasc. I. p.* 26. *Ex sched. auct.* *Observationes variorum.*

2) Vid. de *scirrhis, cancris et abscessibus comm. de inflamm.* §. *LXXVIII. Vol. I.*, *et* §§. *CCCVI. CCCVII. CCCVIII. CCCIX. de febrib., et Vol. II.* §. *CCCXXXIII. etc. Vol. III.* §§. *CCCLXXXVII. CCCLXXXIX. CCCXCVII. Vol. IV. P. II.* §. *XVI. etc.*

3) *De atrophia Vol. IV. P. I. cap. III. etc.*, aliisque locis.

4) *De hydrope* vid. *Vol. III. cap. II.*, et hic *P. I. cap. V. P. II. cap. XI.*

De paracentesi in hydrope ascitico *etsi opportunior loquendi locus videretur esse, ubi cap. V. primae huius Vol. partis* Auctor de hydrope pectoris *speciatim agens, de quolibet etiam hydrope humani corporis generatim agit; mihi tamen tunc aliis pluribus intento non est tempus relictum consulendi hac de re eius* medica adversaria. *Haec autem postea percurrenti mihi nonnulla de eiusmodi operatione in abdomine instituenda ab eo ibidem adnotata contigit observare, quae adiicere hoc loco malui, etiam si minus proprius, nec nova* *Nota Editoris.*

eadem, et fortasse utilia videantur, quam penitus intercidere. En AUCTORIS *ipsissima verba.* Paracentesis eo in loco fieri debet, qui est medius inter umbilicum et anteriorem spinam ilei. Hic neque nervi, neque vasa insignia, neque rectus musculus sunt. Securior igitur locus pro operatione est is. Aqua vero educi debet omnis una vice, ne ingressus aër corruptionem aliave mala symptomata inducat per vices aquam educendo. Ne autem integrae aquae extractioni superveniant deliquia etc. proponitur cingulus, cuius descriptio et usus refertur a Cl. ALEXANDRO MONROO *T. I. artic. XVIII. p.* 255. (*Essais de méd. d'Edimburg.*) *edit. Parisiensis.* Hoc enim cingulo sic omnia abdominis viscera comprimuntur, ut comprimerentur, si aqua adesset. Quo fit, ne deliquia et syncopes, ut alias fieret, sequantur ex relaxatis visceribus, et nimium illico a pondere liberatis. GARENGEOTUS (*T. I. observation. p.* 298) iubet, antequam *paracentesis* celebretur, ut aeger exercitio utatur, eo quidem consilio, ut partes aquei humoris in cavitate stagnantis crassiores tenuioribus probe misceantur, et sic facilius exeant. Quod si post paracentesin dubium sit, adesse huiusmodi crassas particulas retentas, iniici vult aquam hordei ad eas eluendas educendasque. *Ex adversar. auct.*

Paracentesis abdominis in ascite.

CAPUT XIII.

DE MORBO REGIO ET DE CALCULIS FELLEIS.

§ CLVII.

Quid sit morbus regius.

Nitidus, albus roseusque cutis universae color pluribus modis deturpari solet; nimirum vel praeter modum flavescit, vel viret, vel nigricat, vel pallet, vel vario et mixto quasi pigmento inficitur. Hunc morbum graeci Ἰκτερὸν [1]), nostri *morbum regium* [2]), modo *arquatum* [3]), modo *auriginem*, modo *bilis suffusionem* vocant. Ab hepatis morbis atque a bilis excretione impedita aut imminuta, etsi plerumque, non tamen ab hac sola causa, nec semper *icterus* nascitur. Saepe in *ictericis* nullum hepatis vitium, nulla ductuum biliferorum labes, nulli calculi fellei. Depravata

Unde icterus plerumque sit.

enim sanguinis mixtio, aut seri, aut lymphae eius vitiata natura, citra hepatis aut bilis culpam, universae cuti, salivae aliisve corporis succis alienum non raro inducit colorem (ut ex certissimis observationibus liquet), similem nempe illi, quem bilis in sanguinem refluens, ac per universum corpus diffusa inferre consuevit. Ille *magis proprie icterus*, hic *minus proprie*, et latius sic vocatur [4]). Color itaque sanguinis, aut eius seri et lymphae insigniter a naturali statu deflectens causa huiusce morbi proxima statui potest.

Ab aliis est vitiis quoque, sed tunc minus proprie icterus dicitur.

Causa proxima icteri.

1) *Ictidos viverra*, mustelae silvestris species, cuius oculi *auriginosi* sunt. *Icteros* avis eiusdem coloris, qua spectata curari, ipsam vero avem mori PLINIUS narrat. *Ex sched. auctor.*

2) *Regius*, quia secundum eundem PLINIUM hoc morbo aulici laborant plerumque. *Ex sched. auctor.*

3) *Arquatus*, quod arcus coelestis, sive iridis colorem refert. *Ex sched. auctor.*

4) WEDELIUS, PARACELSUS, LANGIUS, STRAUSSIUS, BONETUS *Thes. med. T. II. p.* 855.

§. CLVIII.

Ad causas vero remotas pertinent primum nimia bilis copia, aut rarescens natura, qua fit, ut non omnis facile excerni possit, sed pars aliqua in sanguinem refluat [1]), aut bilis acritas alcalina, qua ductus biliferi irritantur contrahunturque, vel impedimentum aliquod in ductus hepatici ramis, vel in eius trunco, vel in choledocho, quod bili secretae ad intestinum duodenum liberum transitum deneget. Id autem efficiunt vel grumuli bilis viscidioris coactae, vel calculi fellei hepatici, vel cystici, quibus occluduntur ductuum biliferorum meatus, vel viscidus mucus in intestino duodeno collectus, vel meconium in pueris, quo orificium choledochi obstruitur, vel lumbrici intestinales in choledochum dilatatum ingressi [2]), vel omnium horum ductuum imminuta capacitas. Haec porro imminuitur vel spontanea et lenta ductuum contractione, rigiditate, vel spasmo, vel extrinseca compressione ab infarctibus, congestionibus tumoribusque vicinarum adsitarumque partium repetenda. Quo

Causae remotae.

Quomodo imminuatur ductuum biliferorum capacitas.

referuntur inflammatio, praesertim simac hepatis partis, obstructio, scirrhus, tubercula varii generis, spasmi [3]) hypochondriaci atque hysterici, febres acutae, vel intermittentes, venena acria et drastica, ut monet HOFFMANNUS, monentque alii, dolores colici, intestinorum, praesertim duodeni et coli distentio aut inflatio, pancreatis moles aucta et scirrhosa, otium, desidia diuturna, aut frequens corporis in anteriora inclinatio, cui quaedam artes ac litterarum studia obnoxia sunt, animi perturbationes, ira, terror subitus, moeror, victus durus, crassus, viscidus, spirituum ardentium abusus, graviditas, hypochondrii dextri ictus, meconium retentum, subita corporis ex natatione refrigeratio, cachexia, lienis tumores obstructionesque, viperae aliorumve animalium morsus venenati [4]).

MARCKARDII *opinio a* TODIO *reiecta.*

1) Bilis per febrim mota, attenuata in sanguinem resorbetur, urinam et oculos icterico fere colore tingit, docente SWIETENIO §. 587. Cl. MARCKARDUS in libro Lipsiae edito ann. 1778., cui titulus — *Medicinische Versuche I. etc.* — opinatus est, *icterum* non nasci a bile *hepatica* refluente, nisi *cystica* etiam influat. Sed eius sententia a TODIO in laudati libr recensione refellitur. Vide argumenta apud HAENIUM *T. I. Praelect. in instit. pathol. p.* 119. *in additament. Ex sched auctor.*

2) G. I. BEUTHIUS auctor est, non raro *vermes* ex duodeno in vesiculam felleam repere, ibique morando *icterum* efficere. Vidit ipse *lumbricum* valde crassum et magnum *vesicula fellea* inclusum. Vid. *Comment. med. Lipsiensia. Vol XVIII. p.* 713. LIEUTAUDIUS quoque invenit *lumbricum choledochum* penitus obstruentem. *Hist. anat. med. T. I. p.* 211 Tres pariter *lumbricos teretes* in eadem *cysti fellea* vidisse s LUDWIGIUS affirmat. *Ex sched. auct.*

3) A spasmis *icterum* nasci negant COE et HEBERDENIUS sed *spasmos* probant subiti ex pathemate *icteri* geniti, observantibus TODIO, CULLENIO, MONROO ac DRUMMONDIO pos Cl. SYDENHAMIUM. *Ex sched. auct.*

4) A *viperae* morsu in quodam servo Imperatoris colorem *porraceum* totius corporis vidit GALENUS *de l. affect. I. V c.* 8. A morsu interdum *boiciningae*, sive *crotalophori* aliorumque serpentum corpus *flavescere* constat. *Icterum a feli domesticae* morsu XL. dies durantem vidit JOSEPH. LANZONIUS. *Ephem. N. C. etc. Ex sched. auct.*

§. CLIX.

Distinguitur *morbus regius* in *primarium* et *secundarium*, in *legitimum* et *non legitimum*, in *criticum* et *symptomaticum*, in *flavum* et *nigrum*, in *periodicum* et *non periodicum*, in *brevem fugacemque* et *diuturnum* ac *contumacem*. *Periodicum*, sive potius *recurrentem* efficere plerumque *calculi fellei* creduntur. In *cystide* praesertim *fellea* hi frequenter offenduntur; suntque lapilli variae magnitudinis, figurae, coloris et substantiae. Minimi, granulosi, parvi, maiores, maximi, angulosi, asperi, cubici, quadrati, quadrangulares, polygoni, conici, sphaerici, ovales, cylindrici, interdum seiuncti, interdum in massulas coacti et congesti, flavi, sublutei, lutei, crocei, pallidi, candicantes, albidobruni, citrini, luteo albi, fulvi, fusci, subnigri, atri, coerulei, cinerei, rubri, argentei, aurei, subvirides, variegati, pellucidi instar crystalli, aut carbunculi, aut chrysolithi speciem referentes, aut gummi arabico similes, ex variis quasi stratis, sive lamellis, aut radiatis striis compacti, ducenti interdum, trecenti, septingenti, milleni, et, si FASCHIO credendum est, bis mille, et ter mille sexcenti quadraginta sex; interdum pauciores, olivae, avellanae nucis, ovi columbini magnitudinem aequantes, interdum unici, et totam cystidem opplentes, duri, molles, friabiles, aquae ut plurimum innatantes, ad ignem flammam (ut flavi) concipientes, aut crepitantes, ut plerumque nigri, sive calcarei, aut etiam liquescentes, et sic porro [1]).

Differentiae morbi regii.

Calculi causa frequens periodici, sive recurrentis.

Calculorum descriptio secundum infinitas eorum varietates.

1) Vid. MORGAGNIUM *epist. anat. med. XXXVII.*, SABATIER. *Tentam. med. de variis calculor. biliar. specieb. etc. et* BOUCHERUM *observations sur les pierres biliaires etc. Icteri ex calculis felleis historiam videre est* Tom II, Essais de médec. d'Edimbourg. *Ex sched. auct.*

Diagnosis.

§. CLX.

Icterus autem cognoscitur potissimum ex vario cutis, oculorum ac urinae colore. In *ictero flavo*, sive *bilioso*

Signa icteri flavi aut biliosi.

cutis flavescit inprimis circa tempora, aures et pectus. Oculorum pars, quae alba esse solet, lutea, bileque suffusa apparet. Urinae sunt turbidae, croceae, eodemque colore immissum linteum inficiunt, quod aliae urinae non praestant; imo non raro morbum ipsum antecedunt, ac praesagiunt tum, cum saturate rubrae, antequam alibi flavedo se exserat, redduntur. Sputum, saliva, sudor ex BORELLII observatione [1]) interdum flavescunt, os amarescit, et sitis adest plerumque molesta. Nec desunt eorum exempla, quibus omnia flavo tincta colore videntur, quod a toto oculo, a cornea, ab humore aqueo infectis repetendum est [2]). Tanta enim bilis per corpus universum diffusio est, ut vasa, musculi, viscera, ossa [3]), adeps lutea reperiantur [4]). Ad haec accedunt corporis gravitas, circa ventriculum interdum dolor, appetitus deiectio, nausea, quandoque vomitus, agrypnia, pruritus in toto corpore, aut singularibus quibusdam eius partibus, alvus plerumque adstricta, atque excrementa grisea, cinerea, albicantia, quae potissimum eveniunt, ubi bilis tota in sanguinem refluere cogitur. Si enim choledochi iter non omnino occludatur, aut causa *icteri* sit in cystico ductu, tunc faeces tingi possunt [5]). Febris quandoque initio *icterum* subsequitur, videturque excitari a repentina bilis in sanguinem traductione, sed huiusmodi febris saepe brevis est, ac cito evanescit. Quandoque diuturniori tantum *aurigini* supervenit, et lenta est ac diuturna. Interdum vero ea *icterum* antecedit, ut in morbis acutis; interdum ea sibi comitem in qualibet accessione adiungit, ut in febribus tertianis saepe contingit. Ubi vero morbus diu trahitur, corpus totum vel cum virore [6]) quodam pallescit, vel temporis diuturnitate, flavedine in dies increscente, nigrum colorem inducit; tuncque urinae ipsae fusco atroque colore opacantur. Interdum vero huiusmodi nigricans color non ab *icteri flavi* et *biliosi* diuturnitate aut intensiore eius gradu originem ducit, sed a *liene tumido* ac *atra bile* totum sanguinem inficiente nativumque corporis colorem commaculante; quod facile manu ipsa ad hy-

Oculorum color flavus.
Urinarum phaenomena.
Sudoris et salivae.
Cur omnia quandoque ictericis flava esse videantur.
A bilis diffusione omnes corporis partes intus etiam flavescunt.
Alia symptomata.
An faeces semper albicantes.
Febris ratio.
Diuturnitas morbi viridem et nigrum inducit colorem.
Interdum a liene tumido atraque bile oritur nigricans color.

pochondrium admota aliisque atrabilaris morbi notis innotescit.

1) *Centur.* 1. *observat.* 68.

2) Non modo VARRO, LUCRETIUS, SEXTUS EMPIRICUS, CASSIUS, GALENUS, sed et MERCURIALIS, HOFFMANNUS, SYDENHAMIUS, BOERHAAVIUS, SWIETENIUS et nuperrime Cl. DURAZZINIUS rem observationibus illustrarunt. *Ex sched. auct.*

3) Ossa flavo colore tingi, et cartilagines etiam flavas observavit SWIETENIUS §. 850. Item BEUTHIUS *l. c.*, et MAXIMIL. STOLLIUS *Rat. medend. P. III. Sect. V. observ. VII. Ex sched. auct.*

4) Vid. *Ephemerid. N. C. dec.* 1. *ann. IV. observ.* 194., MORGAGNI *Epistol. anat. med.* 37. citat., et Cl. STÖRHK. *ann. medic. I. p.* 150.

5) HAENIUS *Rat. med. P. IV. c.* III. *p.* 120. Observat tamen idem HAENIUS *T. I. Praelect. tract. de ictero*, alvi excrementa interdum alba esse, quin *icterus* adsit. Tunc vero opinor, secretionem bilis non fieri. *Ex sched auct.* Observationes autem non desunt MAX. STOLLII (*l. c. p.* 355.), ex quibus patet, ductus bilem ad intestina ferentes in *ictericis* apertos saepe inventos esse. Sed morbus erat plerumque cum *pulmonum* et *pleurae magna inflammatione.* An tum *icterus* erat a *spasmo?* an a *bile exulcerante?* Item *ex sched. auct.*

6) In *ephemerid. N. C. observation. XLI. p.* 61. legimus, LANZONIUM vidisse *ictericum* quadragenarium, cui *facies tota usque ad guttur virebat, dextera* autem *corporis pars nigricabat,* et *sinistra flavescebat,* ita ut in eo tres diversi notarentur colores. Mirum, quod partes, quae prius virebant, paulatim flavae factae sunt, et quae atrae, flavae deinde redditae, et vicissim laeva iam flava paulatim nigra evasit, donec post vigesimum diem unus color flavus ubique fieret. In eodem opere *centur.* III. *observat. LXIV. p.* 145. BEHRENSIUS refert historiam *icteri* dimidii corporis in homine septuagenario, qui ab ira in *apoplexiam* incidit, deinde in *hemiplegiam dextri lateris* derivantem, quod latus eodem tempore occupavit *icterus,* et ita exacte corpus divisit, ut *dextra pars nasi* esset *icterica,* minime vero sinistra. Vid. ETTMÜLLERUM *collect. oper. pract. T. II. p.* 844. Etiam MEINARDUS SIMON DUPUIS in dissertatione inaugurali *De homine dextro et sinistro* similem prorsus habet observationem, quam tamen putat hactenus apud nullum alium auctorem reperiri. At, praeter modo allatas, eandem fecit observationem Cl. VALSALVA, et phaenomeni rationem explicat MORGAGNIUS saepe laudata *epistola XXXVII.*, quam videsis. *Ex sched. auct.* *Rarae observationes.*

§. CLXI.

Ex sanguinis depravata miscela ac seri lymphaeque vitiis *aurignem* nasci dignoscitur, si nullus ad hepatis regionem *Signa aurigi-nis ortae a sanguinis de-*

pravatione et a seri, lymphaeque vitiis. doloris aut molestiae sensus sit, si malus corporis habitus antecesserit, si urinae *icteri* signum non exhibeant, si excrementa non albicent, et facile prodeant, si vipera aliudve animalis venenati genus ante momorderit, aut venenum fuerit propinatum.

§. CLXII.

Icterus contumax et recurrens haud semper a calculis est.

Neque, ut perperam credunt plerique, putandum est, *contumacem* aut *recidivum icterum* a *calculis cysticis* semper oriri (§. CLIX.). Nam saepissime in cystide fellea reperti sunt calculi, quin antea ulla *icteri* indicia se prodiderint. Id testantur LAELIUS A FONTE, PECHLINIUS, ETTMÜLLERUS, VALLISNERIUS, HALLERUS aliique multi memorati a Cl. MORGAGNIO [1]), cui etiam contigit videre undevigenti homines, praeter alios quatuor a VALSALVA descriptos, qui *calculos* in *cystide fellea* habebant, et nemo tamen ex his *morbo regio* laboraverat. Ostendit praeterea idem eruditissimus vir, in iis, qui *calculos cysticos* habentes *ictero* obnoxii fuerunt, praeter hosce calculos alia hepatis vitia inventa fuisse. Quae si probe notentur, et simul ea, quae postea dicentur, animadvertantur, perspicuum erit, nulla signa certa calculis hisce pathognomonica esse, quidquid alii contendant, nec nisi coniectura suspicari licere de eorum praesentia. Nam pondus, gravitas, dolor etiam ad mucronatam cartilaginem protensus, icterus contumax et periodicus aliaque eiusmodi aliis vitiis aliisque causis communia sunt. Sola igitur calculorum per intestina evacuatio, aut per os reiectio eos certo detegit. Ideo MORGAGNIUS dissolvi faeces suadet, cribroque secerni, ut si transeant calculi, videri possint [2]). Cavendum tamen est, ne cum iis *calculis*, qui forte *intestinorum* sunt [3]), confundantur. Mihi saepius accidit, vere *biliarios* vomitu eiectos intueri.

Calculi fellei sine ictero saepe dantur. Icterici aliis vitiis hepatis laborantes praeter calculos felleos. An signum ullum calculorum huiusmodi pathognomonicum.

Confundendi non sunt cum calculis intestinorum.

1) *Epist. cit. XXXVII. n.* 31. Vide etiam SCARDONAM *lib. III. cap. X.* §. 10., ANTONIUM FELICIUM *Del praesagio medico p.* 135. et HALLERUM *Opuscul. patholog. observat. XXXIII.*

2) *L. c. n.* 44.

3) De calculis in intestinis et variis corporis partibus inventis legendus est laudatus SCARDONA *l. c. cap. XI.* §. 1., MANETTUS in *notis ad* SAUVAGESII *dissertationes pag.* 74. et *Gazzetta medica d'Oltremonti n.* 49. *ann.* 1763. *etc. Ex sched. auct.*

§. CLXIII.

Itaque *calculi cystici* tunc solum *icterum* inferre possunt, quando figura acuminata aut pondere cystidem lacessunt ac distrahunt [1]), aut extrinsecus vi comprimuntur, aut in cysticum ductum a cystica bile, aut positu et compressione adiguntur, inducuntque tantam *irritationem*, ut etiam ductus communis sive *choledochus spasmo* afficiatur, bilisque excretionem impediat, vel demum quando in choledochum ingressi ibi haerent, ac eum penitus obstruunt clauduntque. Utroque vero casu vel ab *irritata cystide*, vel ab eius nimia per bilem cysticam copiosiorem *distentione* ingens dolor in hypochondrio dextro excitatur, *icterumque* antecedit, imo subinde revertitur, *icterum* item revocans, aut eum intensiorem coloratioremque faciens. *Colicam ictericam* sive *hepaticam* aptissime vocant. Haec autem non semper a calculis, verum interdum a grumis bilis amurcosae ductum *choledochum*, aut a quacunque alia causa eundem ductum occludente, aut ab ipsa etiam bile cystica densiore et maiorem iusto acritatem per moram adepta exoriri potest.

Quando icterus vere a calculis sit.

Irritatio aut distentio cystidis cum dolore ingenti et ictero recurrenti COLICA ICTERICA *sive hepatica dicitur.*

Colica haec ab aliis causis quam a calculis oriri potest.

1) Haemorrhagias quandoque calculi inferunt. Disrupti ab iis rami venae portae exemplum legimus in *Diario medico Parisiensi anni* 1732. *mense Julio. Ex sch. auct.*

§. CLXIV.

Colica autem *icterica* adultos et senio proximos plerumque corripit, raro adolescentes. Prae ceteris eos, qui temperamento bilioso aut melancholico praediti sunt, et vitae desidi victuique lautiori aut animi curis magis dediti. Initio se prodit molesta tensione, gravitate, pondere in hypochondriis, praesertim aliquo post cibum assumtum intervallo, et saepe intra plurium mensium spatium recurrit. Deinde doloris sensum infert modo obtusi, modo acuti circa

Quinam obnoxii colicae ictericae et quibus ea signis se prodat ab initio.

Levior morbus, veluti a flatu ortus,

ab initio despicitur, citoque evanescit. ventriculi aut scrobiculi cordis regionem, cardialgiae instar, cum continua ad hepatis locum anxietate internaque inexplicabili molestia. Brevi vero aut sponte aut ope carminativi cuiusvis remedii desinit, veluti a flatibus aliove in victu *Signa in oculis reliqua et urinis observanda.* errato penderet. Sed die postera, si attente inspiciatur, album oculi, et speciatim ad angulum maiorem, plerumque leviter flavet, ac urina apparet solito saturatior et fere rubea, imo saepe alvus deiicit multa subflava aut subviridia; quod ubi accidit, non semper in oculis ac urinis color, de *Facile abit reditque iteratis vicibus.* quo modo dixi, se exhibet. Redit subinde malum, quandoque ad multos menses, et eodem modo decedit, quin aegris *Tandem in auriginem desinit, quae etiam cito et saepe evanescens pro alius morbi symptomate accipitur.* aut medicis timorem incutiat, cum nunquam desit aliqua manifestior causa, in quam facile reiiciatur, donec tandem vehementius corripiat, diutiusque vexet et manifestissima *aurigine* terminetur. Quae intra paucos dies ut saepe evanescit, sic etiam aut *critica* aut *sympathica* ab intestini duodeni dolorifica contractione haberi solet.

§. CLXV.

Signa ingravescentis morbi. Verum non diu in hac fallaci mentis persuasione licet versari; nam, *ictero* vix discusso, aut ad finem properante, *Tensio, anxietas et tumor.* ex levissima quacunque causa eo redit dolor cum summae distractionis tensionisque sensu circa iecur, ventriculum et cordis scrobiculum, anxietate irrequieta, tanto partium affectarum cruciatu et tumore, ut ne levem quidem manus attactum ferant, magna pectoris angustia, nausea, vomitione *Nausea, vomitus aut vomituritio.* aut ad vomendum incitamento. Quandoque dolor ad lumbos dorsumque, quandoque ad umbilicum ac ensiformem car- *Doloris ratio et symptomata.* tilaginem protenditur [1]); illuc enim duodenum pertingit, huc hepatis ligamenta pertinent; quandoque febrem acutam cum pulsu citato ac duro excitat, et adeo atrociter torquet aegrotantes, ut neque membra extendere, neque alia ratione decumbere, nisi in anteriora et ventrem, curvato corpore, *Haec mala inopinato invadunt, et inopinato de-* possint. Haec modo diutius, modo brevius trahuntur, et quemadmodum saepe initio repente invadunt, sic interdum extemplo et sine ulla declinatione momento temporis dece-

dunt; saepius tamen lente et gradatim, subsequente semper totius corporis, aut saltem faciei et pectoris colore icterico, alvo tarda et adstricta, urina pauca et crocea. Decedunt momento temporis, quando cystis fellea unica veluti evacuatione depletur. Depletur autem, quando magno impetu effundit bilem in oppositum obstaculum, et cum hoc ipsam in duodenum protrudit, vel quando remanente obstaculo, eam in hepaticum ductum eiusque ramos repellit, inque sanguinis vias transfundit. Id vero aut propriis viribus, aut comprimentium musculorum abdominis et diaphragmatis contractione adiuta praestat. Si non unico impetu, sed repetitis concussionibus id fiat, lente etiam et gradatim malum decedit. Quae tunc ex alvo prodeunt excrementa, dura et cinerea plerumque esse solent, imo talia saepe visa sunt, nimirum grisea, pallida, argillacea, duobus vel tribus diebus proxime accessionem morbi antecedentibus; quod sane manifestum indicium est, iam tum bilem in intestina non traiici coepisse. Interdum vero haec ipsa alvi excrementa, si morbus inter initia sit, leviorque fuerit accessio, hac evanescente, flava et biliosa egeruntur; quod porro bilem impedimenta superasse, ac tandem in intestina proruptisse significat. Impedimenta autem superantur aut dilatata viarum angustia, aut obstaculo propulso, sive id concrementum biliosum, sive calculus fuerit, qui deinde in excrementis aqua solutis et per cribrum traiectis reperiri solet.

cedunt, sed saepius lente et gradatim.

Quando et qui repente decedant.

Quando lente et gradatim.

Quis color excrementorum.

1) Frideric. Hoffmannus observat (*Medic. system. ration.*), in calculorum suspicione *ponderis sensum ad cartilaginem ensiformem* adesse.

§. CLXVI.

Quaelibet vero accessio non ultra diem unum, vel alterum, vel triduum, quod longissimum est intervallum, producitur. Nam intra hoc temporis spatium cessat omnis dolor, et quaecunque epigastrii atque hypochondrii oppressio et anxietas; eoque proximior videtur pristina valetudo, quo iam cutis et urinae manifestius clarescunt. Sed quietis eius-

Duratio accessionum morbi et quietis intervalla.

modi intervalla redeuntisque spem sanitatis excipiunt modo singulis hebdomadis, modo singulis mensibus, modo citius modo serius eodem ordine omnino memorata symptomata, et post crebros iteratosque cruciatus continua fit icterica cutis infectio, subinde tamen sua incrementa habens, sed mitiora, neque adeo gravia, quia fortasse viae patentiores paulatim redditae bilis resorptioni magis favent. Diffunditur tunc per universum corpus aurigo sive bilis suffusio, os amarescit et nauseat, ciborum desiderium non solum deletur, verum etiam eorum odium ac aversatio accedit, pruritus intolerabilis cutim afficit, flavedo intensior facta nigricat, corpus macie conficitur, pedes intumescunt, et pedetentim hydrops abdominis consequitur.

Quando totum corpus aurigine inficiatur, et omnia deteriora fiant. In fine hydrops abdominis.

§. CLXVII.

Hic est frequentior communiorque morbi incessus, quem, ni opportune curetur, lenta quidem, sed certa mors manet. Interdum vero accidit, ut cystis fellea, quae saepe turgida et distenta et infra iecoris limbum protuberans manu ipsa facile percipi solet, in vehementiore aliquo conflictu dehiscat, effusaque bile in cavum abdominis exitialem *tympaniten* repente procreet. Interdum etiam dolor est adeo acutus, et ita vehemens febris, ut hepar inflammatione tentetur, haecque vel gangraena et morte celeri, vel suppuratione et abscessu, vel tabe terminetur.

Quando lenta morte omnia finiantur.
Quando tympanites oriatur.
Quando hepatitis, vel gangraena, vel tabes immineat.

1) *Colicae ictericae* absoluitissimam historiam medendique rationem habet N. AUCTOR in laudato opere — *Trattato delle acque di s. Cristoforo etc.* — a *pag.* 82. usque ad *pag.* 118.

§. CLXVIII.

Ex his omnibus ergo eruitur, *colicae ictericae* sedem in cystide felle aadnexisque biliferis ductibus esse statuendam, causamque eius proximam non aliam excogitari posse, quam cystidis felleae *vehementem* aut *irritationem* aut *distentionem*, quarum alteram aut bilis cysticae densitas cum acritate coniuncta, aut calculi cystici inferunt, aut etiam lumbrici per

Corollaria. Sedes morbi descripti, causa eius proxima et remotae.

choledochum in cystidem ingressi, quales BEUTHIUS observavit [1]), alteram vero bilis ipsa e suo folliculo egredi cohibita ab aliquo impedimento, quod cysticae bili vel totum, vel magna ex parte iter praecludit, ne libere exire, et per choledochum in duodenum se transferre possit. Quo sane discrimine differre videtur ab *ictero* simplici et doloris experte; nam in hoc *bilis* speciatim *hepatica* accusanda est, quod neque ad cystidem, neque ad intestina libere feratur; contra vero in illa *bilis* praecipue *cystica* aut densitate et acredine peccat, aut calculis scatet, aut choledochum praeterfluere impedita refluit in cystidem, ibique congesta morbum facit [2]). Quot autem modis id contingere queat, et qua ratione tam atrox malum excitetur, cum a nobis supra indicatum est, tum facile quisque intelliget, si rem animo rite pervolverit.

Discrimen inter colicam ictericam et icterum simplicem.

1) *L. c.*
2) Vide §. CLXIII.

Prognosis.

§. CLXIX.

Icterus flavus minus *nigro* periculosus est. *Criticus* tutissimus omnium, et speciatim qui in febribus die *septima*, aut *nona*, aut *undecima*, aut *quartadecima* supervenerit, si *symptomata mitescant*, ut monet BAGLIVIUS [1]) *nec dextrum hypochondrium durum sit* [2]), *neu durum fiat* [3]), ut notavit HIPPOCRATES. *Epidemicus* quoque et in infantibus recens natis facile discutitur. Non ita si ab hepatis inflammatione, scirrho, abscessu, aut a calculis oriatur. Facilius vero curatur in iuvenibus robustisque corporibus, quam in senibus, infirmis et cachexia laborantibus. Solvitur saepe urina turbida, crassa et multa, sudore, diarrhoea, fluxu haemorrhoidali. *Symptomaticus* porro plerumque exitium portendit, excepto eo, quem *febris* infert *intermittens*; nam febre per chinam sublata et ipse evanescit. Nec valde

Icteri flavi et nigri prognostica.
Critici et a febribus geniti.
Epidemici.
Ab hepatitide, scirrhis, abscessibus et calculis.
Bonae criseos notae.
Quid de symptomatico.

Quid de ictero ab hysteria vel hypochondriasi, aut gravitate orto.

timendus est, qui ab *hysterica* vel *hypochondriaca* affectione *convulsiva*, aut à sola *graviditate* proficiscitur; nam cito spasmis sedatis desinit, vel foetu edito tandem finitur. Qui *lienem durum* subsequitur, et *niger* est, non vacat periculo; quin imo lethalis plerumque est, si ei singultus et sopor, aut vomitus bilis atrae vel sanguinis superveniat. Item qui *diuturnus* est, ob maciei, hecticae, hydropis metum non caret periculo. Hunc etiam non raro subsequuntur atroces in abdomine dolores et sanguis magna copia sursum et deorsum erumpens, unde animi deliquium et mors. Verisimile tunc est, cancrosum acrem ichorem erosisse vasa [4]). Longa enim bilis in sanguine mora putridam alcalescentemque dissolutionem inducit. *Icterum* a gravi animi perturbatione ortum cum delirio, sopore, febre et convulsionibus die *quarta* mortiferum vidit VALSALVA [5]). Alium *morbo regio* correptum, postridie quam subito vehementique terrore fuerat affectus, mox delirum et convulsum intra horas ab incepto delirio *viginti quatuor* periisse, idem auctor commemorat [6]). *Colica icterica*, etsi diuturna et contumax, si tamen rite tractetur, nec viscerum labes, nec aetas obstent, non raro remediis obtemperat. *Quibus iecur*, inquit HIPPOCRATES [7]) *vehementer dolet, iis succedens febris dolorem solvit.* Hoc verum saepe est in *colica icterica;* febris enim plerumque pendet ab evacuatione cystidis et a bilis in sanguinem refluxu. Interdum vero *apoplexiam* ab *ictero flavo* aut a *calculis cystidis felleae* subito natam non inficiamur. *Haemorrhagiae*, quae saepe *ictero* superveniunt, compescentur, ut docet HUXHAMIUS [8]), decocto seminum cannabis ex lacte, emulsione seminum papaveris albi et amygdalarum dulcium post levem sanguinis missionem, si febricula postulet, et pulsus ferat, et lenem alvi expiationem.

Si niger et ab indurato liene sit.

Quinam exitus diuturni icteri.

Quid praesagiendum de ictero a gravi pathemate, et subito magnoque terrore.

Praesagia colicae ictericae.

Quid de haemorrhagia, quae ictero superveniat.

1) *De crisi et diebus criticis etc.*

2) *Aphor.* 64. *sect. VI.*

3) *Aphor.* 64. *sect. VI.*

4) VAN SWIETEN. §. 946.

5) MORGAGN. *epist.* 37. *n.* 2.

6) *Id. ibid.*
7) *Aphor.* 52. *sect. VII.*
8) *De aëre et morbis epidem. T. I. p.* 142.

Curatio.

§. CLXX.

In plethoricis, aut evacuationem aliquam suppressam habentibus, in *hepatitide*, aut eius metu, in graviditate curatio a sanguinis missione inchoanda est. Ubi copia, aut raritate, aut acritudine bilis regurgitat, attemperetur avacueturque diluentibus acidulis et eccoproticis refrigerantibus, sero lactis, succis limonii, acetosae, endiviae, cichorei, cremore tartari, tamarindis magna aquae copia dilutis. Si visciditas, inertia, densitas in bile eminet, si obstructionibus hepar laborat, aperientia omnia capite antecedenti XII. commendata optime conveniunt, et imprimis sales medii, itemque sapo venetus, fel tauri inspissatus, ac alvum lenientia, uti rhabarbarum et tartarus solubilis, vel etiam vitriolatus, sal epsomense. Aqua vero marina, aut *tectucciana* et *S. Christophori* vel quocunque modo imbuta sale, iure et merito inter egregia medicamina refertur. Pueris et infantibus, imprimis si a meconio morbus est, syrupus cichorei cum rhabarbaro decoctumque radicis graminis prodest. *Spasmos*, si ab his fiat morbus, optime leniunt oleosa, emollientia, opium atque antihysterica. Quem venena *icterum* intulerunt, morsus venenati, febres [1]) aliique morbi, is non aliam curationem postulat, quam quae morbis primariis convenit.

Quando incipiendum a V. sectione. *Temperantia et diluentia quae et quando.* *Quando aperientia alvumque lenientia.* *Aqua sale imbuta.* *Quaenam puerorum medela.* *Quae spasmos leniant.* *Si a venenis est morbus, a febribus etc.*

1) *Icterum*, qui *tertianis quartanisque* diuturnis et vagis superveniebat sequenti electuario felicissime curabat SCARDONA. Rec. *Chin. chin. s. p. unc. j. sal. absinth. sal. ammon. arcan. duplic. extract. rhabarb. ana drachm. ij. M. et c. s. q. syrup. de cichor. cum rheo f. electuar. cap. mane drachm. ij. Superbibend. decoct. theiform. summit. absinthii, fol. verben., chamaedr., agrimon.* Valet etiam ad curandas tertianas, quartanasque contumaces, *Lib. III. cap. V.* §. 31. *Ex adversar. auctor.*

§. CLXXI.

Prima et praecipua curationis pars in colica icterica.
Quae secundo loco veniat.
Calculorum curatio.

In *colica* vero *icterica* curationis prima et praecipua pars est operam dare, cum dolor acerbissimus urget, ut *spasmus* sedetur, viae biliferae expediantur, et quidquid in iis haeret ad intestina per choledochum transferatur. Altera, postquam dolor conquieverit, ut eius reditus praecaveatur; quod efficitur iis, quae concretiones et calculos vel dissolvunt [1]), vel expellunt, vel praecavent. Sunt autem singulae hae curationis partes ita distinguendae, nec tempora confundenda. Sed ea ferme ratio observanda est, quae in *calculi urinarii* curatione prae oculis haberi consuevit [2]).

An mixtura aetheris vitriolici et spiritus terebinthinae calculos solvat.
Calculi incisione extracti.

1) Durandus (*Mém. de l'acad. roy. de médec. T. I. p.* 288.) narrat, duas curationes peractas *calculorum felleorum* ope *mixturae aetheris vitriolici* et *spiritus terebinthinae.* Sed Cl. Grunerus in peculiari dissertatione *de calculis felleis (vid. thesaur. dissert. medic. rarior. T. I. edit. ann.* 1784. *p.* 191.) institutis experimentis nihil esse deprehendit, quod calculos dissolvat, nec laudatam quidem *mixturam.* Concedit tamen aliquid praestare *terram foliatam tartari, alcohol vini,* idemque cum *naphtha nitri, spiritum nitri dulcem, liquorem antispasmodicum* Protesii. Non potuit vero confirmare laudes, quas tribuit Murrayus *alcoholi, oleo terebinthinae aethereo saturato,* et a Percivalio prius commendato. *Ex sched. auct. Calculos vesicae felleae* per incisionem eductos fuisse, exempla habes in *commentariis medicis Lipsiensib. T. IV. p.* 478. Vid Joh. Henr. Schulze dissertationem: *an dentur medicamenta, quae calculum in vesica comminuant? Ibid. Vol. VI. P. II. p.* 232. *Ex sched. auct.*

2) Vid. *Essais de médec. d'Edimbourg. T. I. artic.* 33. *p.* 369. et Morgagnii *Epist. cit. XXXVII.*

§. CLXXII.

Qui dolori medendum.
Quando V. S. opportuna.
Cur emetica et purgantia

Cum igitur *dolor* accessit, etiam atque etiam laxandum est oleosis, emollientibus, diluentibus, demulcentibus, anodynis et, ubi vehementior est, etiam opium habentibus. Nec fotus, cataplasmata, insessus, inunctiones, clysmata, quae molliunt, quaeque spasmos leniunt, omittenda sunt. Si vero sanguinis plenitudo est, vel febris supervenit, eius etiam missio opportuna erit, non modo ut inflammatio praecaveatur, verum ne turgentia quoque vasculorum viarum angustiae augeantur. Ut porro quae molliunt sedantque com-

commendantur omnia, ita quae irritant vehementer suspecta habeantur, uti emetica et purgantia medicamenta, licet his interdum impedimenta sublata narrentur. Etenim ni viae satis laxatae fuerint (quis autem satis eas laxatas cognoverit?), HOFFMANNO, ROVERHORSTIO, SCHEFFELIO, MORGAGNIO [1]) aliisque testibus, noxia aut ancipitia esse solent. *suspecta habeantur.*

1) *Epist. laudat. n.* 44. *et seqq.*

§. CLXXIII.

Dissolvunt potenter concreta biliaria aqueus potus tepens; spiritus vini cum spiritu terebinthinae commixtus, succus graminis et taraxaci, mel, tartarus solubilis, sapo venetus, radix pareirae bravae, tinctura salis tartari, aquae minerales salitae, et demum frictiones lenes ad hepatis et cystidis regionem adhibitae. His interposita lenia eccoprotica, et imprimis rhabarbarum tinctura sacra LEMERYI, cremor tartari calculos ad excretionem atque ad intestina alliciunt. Sed prae ceteris confert longus diuturnusque vegetabilium aperientium et emollientium usus, quo solo multos novi felicissime curatos [1]). Imo his solis etiam morbi reditum vidi sublatum, quem in finem demum ea omnia, quae roborant, quaeque causas proëgumenas et procatarcticas avertunt, diutissime adhibenda sunt. Hodie celebratur ut efficax biliarium calculorum dissolvens aether vitrioli, sed oleo terebinthinae, ut irretiatur, ne avolet, ad aequas partes admixtus. Datur ex hac mixtura cochlear parvum a *caffe* mane et vesperi [2]). Asellorum etiam in *ictero* curando non exigua laus est ex WILLISII ac ETTMÜLLERI fide. Horum prior utitur formula hac: Rec. *milleped. viv. n.* L. *vel* LX., *croci orientalis semidrachmam, nucis moschatae drachmam unam. His una contusis affund. aqu. chelidon. unc.* jv. *F. expressio et bibatur.* Sed LANGEUS [3]) monet rationem doseos habendam esse; nam in tenellis haemoptysin induci a sale alcalino, quo insecta haec scatent, ipse testatur [4]).

Biliarium concretionum dissolventia.

Eccoprotica.

Aether vitrioli et oleum terebinthinae.

Asellorum usus ex WILLISIO *atque* ETTMÜLLERO.

Monitum LANGEI.

1) Vere succo graminis ac sero lactis, aestate aquis spadanis, hieme sapone veneto ad integrum biennium adhibitis SWIETENIUS *icterum* iam a XII. annis mulierem infestantem felicissime curavit §. 950.

2) *Élémens de chymie par* M. MORVEAU *T.* 5. *et Nuovo magazzino toscano Vol. VIII. p.* 30. Vide tamen, quae in *nota* 1. ad §. CLXXI. afferuntur ex schedis posthumis auctoris.

3) *Miscellanea veritatis fascic. I. p.* 56.

GREDINGII *remedium.* 4) Ceteris addere liceat medicamentis unum etiam a GREDINGIO propositum. *Formatur extracti belladonnae partibus VIII. et pulveris foliorum eius partibus V. massa pilularis, cuius pilulae ex sesquigrano singulae parantur.* Datur *una pro vice in ictero pertinaci.* Effectus sunt insignis calor, arteriarum omnium vehementior pulsatio, capitis temulentia, largus sudor, deiectiones virides, urinae copia. Intra decem dies huius remedii ope curatio obtenta narratur. *Comm. med. Lipsiens. XIX. p.* 121. *Ex sched. auct.*

CAPUT XIV.

DE
HEPATIS, LIENIS, PANCREATIS, OMENTI MESENTERIIQUE INFLAMMATIONIBUS.

§. CLXXIV.
HEPATITIS.

Quid hepatitis. Quae hepar occupat inflammatio, Ἡπατίτις dicitur; morbus non ita frequens apud nos, ut in utraque India, ubi populariter grassari ex fide HOMII et LINDII a VOGELIO [1]) *An frequens morbus sit.* perhibetur. Sed frequentissimam esse contendit FERREINIUS [2]), saepiusque ab ea *minorem* eius *lobum* affici, quam *Venosa et arteriosa.* *maiorem.* Rarior est *venosa*, quae nimirum venae portarum ramis hepar reptantibus insidet, quam *arteriosa*, ac imprimis ea, quae superficiem hepatis adnexasque membranas corripit, si LUDWIGIO fides habeatur.

1) *Praelection. de morb.* §. 218.

2) *Histoire de l'académ. des scienc. annor.* 1766. 67. 68. *p.* 121.

§. CLXXV.

Causae communes alibi a nobis fuerunt expositae. Fere propriae sunt temperamentum cholericum et melancholicum, hypochondriaca affectio, calculi fellei, colica icterica, bilis crassa aut acris, ira vehemens, haemorrhoidum fluxus cohibitus, febris ardens, biliosa, continua, aut intermittens, metastases, ictus gravior hepati illatus aliaeque. Signa quoque aliarum inflammationum huc transferenda sunt, nimirum febris continua, sitis, calor, pulsatio et reliqua. Sed praecipue tanquam pathognomonicum signum habetur [1]) dolor, quem pressa hepatis aliqua pars excitat, vel auget. Tactu autem exploranda est aegro in dorsum decumbente, et genubus retractis flexisque, ut musculi abdominis laxentur et manui obediant.

Hepatitidis causae remotae.

Huius notae diagnosticae.

Signum ex Ferreinio *pathognomonicum.*

1) Ferreinius *l. c.*

§. CLXXVI.

Dolor autem in hypochondrio potissimum dextro et epigastrio, quae tument, sed sine ulla externi coloris mutatione, insidet modo vehemens et continuus, modo tensivus et pungens, modo etiam obtusior et profundior, qui saepe dextrorsum ad pectus, ad iugulum humerumque eiusdem lateris propagatur; nonnunquam torporem dextrae quoque manui infert, et decubitum in utroque latere molestum, sed imprimis in sinistro reddit. Ob viciniam et nexum diaphragmatis respirationis actio laeditur, inspiratio praesertim difficilior est, tussis accedit sicca, frequens, brevis et dolorem intendens, ab assumto cibo magnae oppletionis sensus, anxietas praecordiorum, pulsus debilis, frequens lipothymia insurgunt. Interdum ventriculo et duodeno in consensum tractis vomitus biliosus, diarrhoea et singultus prope strangulans se adiungunt.

Doloris ratio.

Torporem manus dextrae interdum excitat.

Respirationis laesio.

Tussis ratio.

Anxietates, lipothymiae.

Vomitus biliosus, diarrhoea et singultus.

§. CLXXVII.

Si *gibba* hepatis pars tantum afficitur, verosimile est, diaphragma magis et respirationem pati, coloremque icteri-

Signa inflammationis

gibbae hepatis partis. Simae inflammatae partis signa diagnostica.

cum tunc abesse. Si vero *sima* affecta sit, ventriculum et duodenum potissimum laedi arbitramur, *icterum* cum alvo adstricta aut excrementis albicantibus supervenire, pulsumque debiliorem et animi deliquia crebriora esse [1]). Icterus enim a compresso vel spastice contracto choledocho oritur,

Unde icterus et animi defectio.

pulsuum vero debilitas animique defectiones non tantum a spasmis, sed etiam ab impedito sanguinis per venam portarum ad cavam et ad cor refluxu videntur repetendae. FERREINIUS praeter signum pathognomonicum supra (§. CLXXV.) notatum et praeter febrim, effectum etiam huius morbi esse dolorem, qui cardialgiam mentiatur, contendit [2]).

Dolor cardialgiam mentiens ex FERREINIO.

1) Icterum cum hepate suppurato observatum, descriptumque vide *T. II. p.* 425. *Essais de méd. d'Edimbourg.* Ex sched. auct.

2) *L. c.*

§. CLXXVIII.

Interdum alias inflammationes vel mentitur, vel comitatur. Hinc fallax diagnosis. Magni viri decepti.

Non raro *hepatitis* ventriculi inflammationem, aut *pleuritidem* aemulatur. Interdum etiam cum *hepatitide gastritis*, aut *pleuritis*, aut *peripneumonia* coniungitur. Interdum peripneumonia aut alii pulmonum morbi *hepatitidis* speciem exhibent. Quod ne dum tironibus, verum etiam exercitatioribus et veteranis errandi causam praebet. VALSALVA enim (ut MORGAGNIUS refert [1]), et MICHAEL SARCONIUS [2]) *inflammationem pulmonis* pro *hepatitide* falso habuerunt.

Cur inflammatio pulmonis hepatitidem mentiatur.

Pulmonis enim dextri inflammatio potest eius molem ita augere, maxime inferiorem partem occupans, ut diaphragma et hepar deorsum protrudat. Tunc dolor pleuriticus inferior erit, locumque occupare videbitur, quo hepar situm esse solet.

Quid sentiendum de Sarconiana observatione.

Observatio tamen SARCONII utrumque morbum potius una copulatum fuisse ostendit, alterum nempe *suppuratione* terminatum, alterum *resolutione*, uti *hepatis aucta moles* [3]) innuere visa est.

1) *Epist. anat. med. XX. n.* 30. *et* 31.

2) *Parte I. pag.* 208.

3) *Inter schedas auctoris nonnulla ad* auctam hepatis molem *spectantia inventa sunt, quae hic addenda videntur quo-*

niam ex iis patet, quaenam sit eius morbosa indoles et naturn cuiusque curandae ratio, sive acutus, sivè chronicus morbus sit.

Cl. CRAWFORD *hepatis auctam molem* sine alio eiusdem vitio observavit, diligenterque descripsit anno 1771 in opere, cui titulus: *Médec. de Lond. chap. III. pag.* 232. Signa ab eo ibi tradita huiusmodi sunt. Abdomen tumet atque indurescit multum et repente, quin ulla undulatio in eo percussione percipiatur. Respiratio difficillima, quod praecipuum symptoma est. Praecessere virium omnium deiectio, adstrictionis sensus in pectore, vertigo capitis ad quemlibet corporis motum. Subsequitur crurum et pedum oedema, dorsum dolet, sitis adest inextinguibilis et cibi fastidium. Pulsus est debilis et parvus, qui tamen post sanguinis missionem maior, plenior et distinctior fit. Facies est rubra et florida. Prout augetur ventris tumor, augetur etiam respirandi difficultas. Haec duo symptomata post paucos dies a morbi invasione plurimum molesta fiunt. Brevi post aeger queritur oppressionem ad cordis regionem et adstrictionem sub cartilagine ensiformi, quae intolerabilia evadunt, suffocantque intra modicum temporis intervallum. Vertigo interdum corripit, ut stare non possit, seque lecto tradere debeat, ne in syncopen incidat. Aliqui sentiunt hac occasione cordis palpitationem. Sectio cadaveris ostendit *immensam hepatis molem* ambo hypochondria occupantem et ad hypogastrium descendentem. Superior pars sursum reprimit diaphragma, et sic pulmones comprimit. Morbus acutus est, cui venae sectio et repetita purgantia remedio sunt.

Exemplum hepatis insigniter aucti cum eius notis ex CRAWFORD.

Symptoma praecipuum.

Sectio cadaveris.

Curatio.

I. FR. DE VILLIERS in *notis* ad dictam *medicinam practicam Londinensem pag.* 223. ex eodem vitio *chronicum* morbum fieri interdum tradit. Tum vero lente accedit ex lenta sanguinis congestione, tam in *hepate,* quam in *liene.* Eidem mulieres inprimis post catameniorum discessum obnoxiae sunt. Paulatim duo haec viscera mole augentur, vel eorum alterutrum. Mox aegrotans corripitur asthmaticis insultibus, pondere, dolore et calore ad stomachi regionem, praesertim post cibum, quo tempore vapores ad caput ascendunt. Plerumque adiungitur alvi adstrictio, quae malum adauget. Quando viscera huiusmodi aucta mole sunt, ut cadant in hypogastrium, tunc tantum medicus consulitur, quia amplius aegri nequeunt respirare, nec ventris ferre pondus. Dum hoc malum gignitur, quod saepe fit intra decem annorum spatium, natura interdum quaerit se liberare modo narium haemorrhagia, modo haemorrhoidum fluxu, sed semper imperfecte. Corpus languet et pulsus; sed venae sectio, et duae tresve purgationes vires pulsusque erigunt. Tunc pulsus fit durus et plenus, ideoque secunda venae sectione opus est aliisque purgationibus. Vesicans loco affecto fructu non caret. WILLISIUS etiam de hoc morbo consulendus est.

Signa eiusdem morbi, quando chronicus est ex VILLIERSIO.

Qui ei obnoxii.

Signa diagnostica tum hepatis, tum lienis aucti.

Naturae conamina.

Curatio.

§. CLXXIX.

Prognosis hepatitidis.

Quam ob rem diligentissime omnia et singula symptomata perpendenda sunt, ut errori nullus locus relinquatur, aut certe a praecipiti nimis iudicio cavere prudentissimum erit. *Hepatis* autem *inflammatio* desinit vel in mortem, vel in alios chronicos morbos, ut reliquae inflammationes. *Singultus ab hepate inflammato malus dicitur* ab HIPPOCRATE. Abscessus interdum ad exteriora vergit, et peritonaeo accretus manum chirurgicam exposcit [1]). Sponte resolvitur urina multa et subsidente, sudore, diarrhoea, sanguinis e naribus aut haemorrhoidibus profluvio, vomitu, ac interdum etiam expectoratione. Exitium affert, si pus aut in abdominis, aut in pectoris cavum effundatur. In cadavere viri post superatum *icterum* de dolore hepatis ac virium languore conquesti, praeter purulentam in abdomine colluviem absumtumque omentum, hepar magnum in inferiori sua parte abscessum ingentem pureque sordido scatentem continens invenit PORTALIUS [2]), et ei proxima pars coli erat putredine tacta. Saepe *hepatitidem* cum *febribus intermittentibus* coniungi monet SWIETENIUS, ac in pessimam dysenteriam a corrupta bile transire, si febris imprimis china china fuerit immature curata [3]). Sed tanti viri pace saepe peruviano huiusmodi cortice id mali averti potest, ut alibi (*Vol. I. de febribus*) innuimus, et a nobis aliisque observatum est.

In ea singultus malus. Quid de abscessu.

PORTALII observatio anatomica.

An vera sit SWIETENII opinio de china china noxia, quando intermittentibus adiungitur hepatitis.

1) Vide *tractatum de abscessibus hepatis Tom II. Mém. de l'academ. roy. de chirurgie etc.*

2) *Histor. anatom. med. T. I. p.* 163.

3) §. 946.

§. CLXXX.

SPLENITIS.

Splenitis duplex est.

Lienis quoque inflammatio vocatur suo nomine Σπλήνιτις. *Splenitis vera* et *primaria* rarior est; *secundaria* vero lienique obstructo superveniens non infrequens. Dolet tunc hypochondrion sinistrum modo ad laevam coli partem, aut claviculam, imo scapulam humerumque eiusdem lateris, item-

Signa eius.

que ad costas spurias dolor obscurus, interdum etiam lancinans et acutus fertur, modo epigastrium versus protenditur. *Tumor* lienis figuram refert, tactus impatiens est, et modo in alterutrum latus decubitum impedit. *Pleuritidis* symptomata saepe adsunt [1]), absunt vero *nephritidis*. Si abscessus vel ulcus fiat, iisdem prope notis, quibus in hepate, poterit deprehendi. Involucrum lienis *osseum* interdum reperitur per morbi diuturnitatem [2]).

Symptomata inflammatoria pleuritidis saepe adsunt non vero nephritidis.

1) Vide *Part. I. huius Vol. IV. caput IV.*

2) Morand. *Comm. acad. Paris. Vol. VII. p.* 138.

§. CLXXXI.

Pancreatis omentique inflammationum signa obscura admodum sunt; sed a loci, quo iacent haec viscera, et laesarum functionum ratione petuntur [1]). *Mesenterii* vero *inflammatio* saepe cum *enteritide* coniungitur, et similia infert symptomata. Lenta interdum est, ac tabem, quam dicunt *mesentericam*, comitatur [2]). Locus vero doloris totam umbilicalem lumbaremque regionem tenet.

Signa inflammati pancreatis, omenti et mesenterii.

Tabes mesenterica.

1) Abscessum in *omento* et *peritonaeo* cuiusdam asciticae sine laesione hepatis et lienis vidit Columbus. *De re anatom. lib. XV. pag.* 491. *edit. Paris. Ex sch. auct.*

2) De tabe dicta *mesenterica* et similibus consulatur *caput III. de phthisi Part. I. Vol. IV. §. LIV.*

C u r a t i o.

§. CLXXXII.

Hepatitidis curatio venae sectione, emollientibus ac aperitivis, nec non blanda alvi ductione peragitur [1]). Si alvum critice fluxuram praevideat clinicus, leniter sollicitet enematibus emollientibus, fomentis ad lumbos, ad abdomen, potu ex lactis sero depurato cum roob sambuci aut syrupo totius citri, decoctis ex herbis subacidis, resolventibus, uti tamarindorum pulpa, vel cassiae fructibus, melle, nitro, aut tartari cremore et huiusmodi. Acria purgantia, utpote quae

Hepatitides *curatio.*

Alvi crisin adiuvantia.

Haemorrha-

giam narium quid praenunciet et foveat. inflammationem augerent, contraindicantur. Ubi narium pruritus, rubicunda tumensque facies, pulsus dicrotus venturam haemorrhagiam praenuncient, fomentis ac vaporibus frontem internasque nares et circumpositas partes laxare optimum erit. *Diaphoretica.* Insuper materiam inflammatoriam e corporis peripheria sudoris instar egredientem egregie promovent, sustinentque lecti tepor, florum tiliae, aut sambuci fortis infusio largiter hausta, aut idem lactis serum calide potatum. *Diuretica et expectorantia quae et quando.* Quod si crisis per urinae aut screatus vias fieri incipiat, mitissima diuretica et blandissima saltem expectorantia adhibeamus, illud HIPPOCRATIS monitum prae oculis semper habentes: *quae ducere oportet, ducenda sunt, quo maxime vergat natura, per loca conferentia;* et quidem eo, quod eidem naturae placet, modo. *Qui solvatur interdum.* Haemorrhoidum quoque aut uteri fluxu *hepatitis* solvi potest, quibus evacuationibus obsecundare, dummodo non excedant, summi erit momenti. *Quando inflammatio gravissima est, quid praestandum. An V. S.* Ceterum hepatis graviores inflammationes efficaciori antiphlogistica cura, alias descripta [2]), tractandae sunt, ut forte abscessus plurimum metuendus antevertatur. Ramificationibus venae portarum tantum inflammatis, quam minimos effectus edent venae sectiones. *Quando hirudines haemorrhoidibus applicandae.* Quo in casu haemorrhoidibus externis, quae per anastomoses cum internis, proindeque cum vena portarum communicant, admovendae hirudines sunt. *Decocta arnicae et scabiosae.* Decoctum arnicae cum floribus, praemissa venae sectione in loco parti affectae proximiori, aliis remediis praefertur, ex quacunque causa stasis sanguinis alicubi sit, ut inflammatio amoveatur [3]). BAGLIVIUS ad praecavendam *gangraenam* in interiorum viscerum inflammationibus decoctiones radicum et foliorum scabiosae plurimi facit [4]). *Epispastica.* Epispastica dextro hypochondrio admota, si concava pars hepatis laboret, vix prodesse solent. Tamen reliquis parum proficientibus, haec quoque addi possunt. *Tumori superstiti, discussa febri, quomodo medeamur.* Saepe, discussa febre, qui superest tumor, resolvitur remediis balsamicis vegetabilibus, uti terebinthina, balsamo *Copaivae* etc. Demum benigna manus mederi non cesset, donec et hepar et universum corpus expurgatum non sit.

1) Ferreinius *l. c.*

2) Vid. *Comm. de inflammation. Vol. I. et P. I. Vol. IV. cap. IV.* et alibi. Item: *Disputation. academ.* Ginesii Rossi etc., *praeside* I. B. Burserio, *de praecipuarum partium inflammationibus, Ticini habitam* 1771.

3) Langeus (*Miscell. verit. fascic. I. p.* 69.), qui monet ibi, cavendum esse, ne *arnicae* loco veniat *aster luteus. Arnica foliis carnosis, crassis et disco floris lanaginoso* ab omnibus aliis cognatis plantis distinguitur. *Ex sch. auct.*

4) *De febrib. malign. et mesentericis etc.*

§. CLXXXIII.

Splenitides curatio. *Topica et V. S. quo in loco instituenda. De pancreat. epiploi, mesenterii inflammationibus. Quomodo curandae.*

Essentiale nullum *hepatitidis* inter et *splenitidis* curationem discrimen interest, nisi *topica* excipiantur, quae sinistro opponuntur hypochondrio, et primae sanguinis missiones, quarum institutio iuxta quorundam opinionem sinistro in cubito fieri debet. Hic obiter animadvertant velim tirones, *pancreatis, epiploi mesenteriique* inflammationum certam ab exordio diagnosin statui non posse; graviora enim symptomata absunt, levis est febris, dolor obscurus, vix aliquis inest aestus ac sitis; unde sub iis vitae munia obire homines possunt. Saeviens vero harum partium inflammatio iisdem paene antea celebratis antiphlogisticis fugatur subsidiis. Uno verbo illis artis adiumentis, quae *pleuritis* postulat, etiam in hisce morbis curatio perficienda est. Si qua differentia intercedit, eadem peti debet ab iis, quae de *ictero, gastritide* ac *enteritide*, sive *intestinorum doloribus* proposita sunt [1]).

1) Vid. *capita praecedentia VI. VII. VIII. et XIII.*

CAPUT XV.

DE NEPHRALGIA, SIVE DOLORE NEPHRITICO, ET DE CALCULIS URINARIIS.

§. CLXXXIV.

Definitio nephralgiae. Nephralgia,

Quicunque *dolor renes* ambos, vel eorum alterutrum, quod frequentius est, corripiat, is Νεφραλγία, videlicet *re-*

sive Colica nephritica, sive nephritis. *Vera et spuria iuxta aliquos.* *Differentiae nephralgiae iuxta auctorem.*

num dolor, sive *nephriticus*, itemque *colica nephritica* appellari consuevit. Nonnulli dolores renum uno *nephritidis* nomine complectuntur; sed eam distinguunt in *spuriam* et *veram*. *Vera* est, quam *renum inflammatio* excitat, *spuria*, quam aliae causae. Cum vero omnis *renum dolor*, a quacunque causa ortus, sola symptomatum gravitate et solo gradu differat, praestat singulos, cuiusvis generis demum fuerint, *nephriticos* vocare, et perspicuitatis causa eos dividere in *inflammatorios* et non *inflammatorios*, utrosque in *sanguineos*, *rheumaticos*, *arthriticos*, *calculosos*, *convulsivos*, *ulcerosos*, *purulentos* et sic porro, prout sanguis, serum acre, arthritis, rheumatismus, calculus, ulcus et abscessus eos procreaverint.

§. CLXXXV.

Causae communes. *Causae magis propriae.*

Causae aliis doloribus communes hic quoque locum habent; sed praecipue tanquam huius affectus magis propriae recensendae sunt contusio, vulnus, abscessus, ulcus [1]), tumor, sanguinis congestio, seri acrioris, arthritici, rheumatici, scorbutici, venerei appulsus, haerens urina ob itinera impedita, validi corporis nisus, diuturna equitatio aut vectio in rheda, longus in dorsum decubitus, spasticae nervorum affectiones, calculi in renum pelvi [2]) aut ureteribus infixi aut exitum tentantes, hereditaria labes, immodicus concubitus, acriora diuretica et imprimis ex cantharidibus petita, itemque externus earum nimius usus.

Ulcus renum, observatio HAMILTONI.

1) „Puella XII. annorum dolorem in regione renum ad inguina usque tendentem tres menses perpessa est una cum calore urinae et acrimonia, copiosa in urinis purulenta materie, siti, calore hectico ac tabe et facie Hippocratica, ita ut nec se erigere, nec recte ambulare posset. Ulcus renum recens, quia dolebat, creditum est. Igitur haec praescripta remedia sunt. Rec. *Rhabarb. semidrachm., spermat. ceti, baccar. lauri ana scrup.* j., *opobalsam. gutt.* x., *terebinthinae chiae q. s., ut f. pilulae mediocres. Sume* jv. *mane, et vesperi, superbibendo haustum postetici radicib. althaeae alterati. Sumat pro potu decoct. hordei syrupo althaeae q. s. edulcatum: et duabus noctibus continuis pilul. Matthaei dimid. scrup.* Dolor lenitus est pilula Matthaei; sitis hordei decocto lenita et diluta. Hecticus calor urinaeque acrimonia

eodem correcta, et syrupo althaeae ad vias urinarias potius determinatus. Rhabarbarum detersit, mundificavit, eodemque tendebat spermatis ceti vis resolvens. Terebinthina et opobalsamum serviebat ad corroborandas relaxatas partes. Baccarum lauri adiectio dolores ventris avertebat et nauseam. Intra mensem haec remedia effecerunt, ut aegra libera e lecto surgere et incedere potuerit, et intra tres menses perfecte convaluerit. Sed semper in iis persistere opus fuit, neque ad alia transitum fuit.“ HAMILTONUS *Prax. med. reg. pag.* 18. 19. 20. 21. *Ex adversariis auctoris.*

2) *Inter adversaria item auctoris sequentem legimus historiam, quae deprompta est ex T. I. art.* 20. *p.* 275. *Essais de méd. d'Edimbourg.*

Lapis in renum pelvi, alia DOUGLASSII.

„Vir LIII. annos natus robusto corporis habitu, carnoso, sanguinis vasis admodum late prominentibus, maxime in brachiis ante IV. annos laborare coepit ex violentis doloribus, latus dextrum versus dextri renis regionem occupantibus, qui dolores nunquam omnino quieverunt. Interdum tamen per intervalla remittebant, et in ceteris bene habebat. Multa remedia adhibuit ex consilio PITCARNII aliorumque medicorum, sed sine emolumento, si excipias aquam calidam ad 12. lib. pondus, quae non nihil auxilio fuit. Saepe integros menses ita saevis doloribus est vexatus, ut super simplex linteum pavimento instratum iaceret, et aliquod percipiebat solamen latus affectum pavimento adprimendo fortiter. Quidquid per urinas reddebat dolorum tempore paulo post speciem albuminis ovi referebat. Obnoxius quoque erat frequentibus diarrhoeis, quae erant sine dolore, et ab alvi tunc deiectione continere se poterat diem integrum. Urinam quoque colligere in vesica tunc poterat, donec impleta esset; et cum mingeret, interdum una vice sola sex urinae libras eiiciebat. Vario victu utebatur et potu, ovis scilicet, butyro, carne frixa, potionibus spirituosis et aromaticis, vino albo etc., quae omnia dolores incitabant. Sola cerevisia tenuis enim aliquantum solabatur, quo fiebat, ut saepe de ea potaret. Sub initium anni 1731 rheumate decubuit graviori, quod tabes excepit, et die XXIX. Martii obiit, licet antea nunquam pectoris affectibus laborasset. Sectione cadaveris in *dextri renis pelvi* repertus est *lapis*, qui dimidiae unciae pondus aequabat, figuram vero referebat triangularem superficiemque granulosis accretionibus asperam. In substantia vero renis alter lapis minor, qui tantum gr. XVI. ponderabat, erat formae quadratae irregularis. Praeter hos duos lapides aderant hinc et inde variae lapideae concretiones, sed praecipue in excretoriis glandularum locatae. Harum multae grano arenae maiori aequales erant. Vid. M. I. DOUGLAS *ibid.*

Sectio cadaveris.

De genesi, et principiis calculi si quis cupiat doceri, consulat BOERHAAVIUM §. 1415, HALLER. in *opusc. pathol.*, GEOFFROY. *Mater. med. T. I. p.* 51., SCARDONAM *Lib. III. cap. XI.* §. 11., *et Comment. med. Lipsiens. Vol VI. P. IV. p.* 628. aliosque plures. *Ex advers. auct.*

Diagnosis.

§. CLXXXVI.

Varia doloris nephritici ratio.

Dolor in lumbis percipitur modo dextram, modo sinistram, modo utramque partem tenens, prout alteruter vel uterque *renum* afficitur; modo obscurus est, et sensum ponderis gravantis affert, modo acutus et pulsans est, increscitque in iis corporis motibus, quibus lumbi tenduntur. Praeterea dolor iuxta ureterum ductum propagatur ad vesicam testesque, qui ex eo latere, in quo morbus est, sursum saepe adducuntur. Id autem ex spasmo passim explicatur. Sunt vero, inter quos primas tenet Cl. RUTTYUS Anglus, qui docent id fieri, quia ureteres subter vasa deferentia decurrunt, ideoque vel ea urgent, vel irritant, ut contracta testem attollant. Stupor demum cruris accedit, ex nervorum scilicet cruralium compressione. Spasmo enim musculi *psoae* et *iliaci* interni affecti nervos ipsos strangulant [1]). Urina vero modo pauca et rubra, modo pallida et aquosa, modo acris et lixivialem spirans odorem, modo foetida, purulenta, mucosa, arenulis scatens se prodit. Alvus plerumque laxa est; in summo tamen cruciatu et ipsa adstringitur, ac borborygmis obstrepit. At frequentissime ob nervorum consensum hisce omnibus vomitus vomendique cupiditas adiungitur.

An a spasmo usque ad testes propagetur.

Cruris stupor ex cruralium nervorum compressione.

Urinae variae affectiones.

Alvi ratio.

Vomitus sympathicus, aut vomituritio.

1) Vid. *Tab.* EUSTACH. *XIX.* et VAN SWIETEN. *De nephrit.*

§. CLXXXVII.

Inflammationis quae signa sint.

Causa frequens dolorum a calculis. CALCULI RENUM.

Quae omnia, si inflammatio dolorem efficiat, aut in eam dolor transierit, graviora tunc saepe fiunt, et febris acuta cum pulsu duro praesto simul est. Cum vero frequentissime *calculi* nephriticis doloribus causam praebeant (nam etsi calculi ubique in nostro corpore reperti fuerint [1]), in renibus tamen et vesica urinaria praecipuam sedem habent), non erit inutile de hisce paulo fusius agere. Et

Et primo quidem pro diverso loco, quem occupant, et varia, quam tenent, figura varietatem doloris aliquam faciunt. In renibus enim haerentes, et laeves, et sphaerici obtusum potius dolorem et gravativum; contra vero acutum magis ac acerbum inferunt, si asperi, angulosi acuminative fuerint, et praesertim hic tunc augetur et saevit, quando e renibus in ureteres descendunt; imo acutissimus plerumque evadit, cum angustum ureterum tractum, qui prope vesicam est, superant, et in vesicam ipsam illabuntur. Ubi vero iam in vesica maius spatium invenerint, dolor cessat, aut solum pondus, aut aliquod in urina reddenda impedimentum, aut creber ad mingendum stimulus percipitur.

Calculorum varietates variant intensitatem doloris.

Acutissimus fit eorum transitione per ureteres in vesicam descendendo.

1) Lapillos, sive *calculos* vidit COLUMBUS in *renibus*, in *pulmonibus*, in *iecore*, in *vena portae*, in *vesica*, in *intestino colo*, in *venis haemorrhoidalibus*, in *umbilico*, in *cystide fellea* (*De re anatom. lib. XV. p.* 491. *Lapidem* quoque in *cavo abdominis* vidit LITTRIUS (*Mem. dell' accadem. di Parigi T. VII. p.* 229. *edit. Venetae*). Et I. G. KRÜGERUS alium observavit *calculum* in *palato genitum*. Vid. *Comment. acad. scientiar. Petropolitanae T. I. P. IV. p.* 374. *Ex sch. auctor.*

§. CLXXXVIII.

Scire autem oportet, dolores subinde, aut etiam repente interdum conquiescere, si nempe calculus iter in ureteres tentans iterum spastica eorundem contractione ad pelvim repellatur, aut de loco angustiore in latiorem migret (ureterum enim capacitas saepe non una ubique est), aut positionem transitui aptiorem acquirat. Quod attinet ad doloris locum atque ad urinae conditionem, quando calculi morbum faciunt, cuique patet, illum imprimis secundum ureteres dirigi vesicam testiculosque versus, hanc vero variam esse debere, initio plerumque tenuem et parcam, imo interdum suppressam, progrediente calculo, aut iam in vesicam illapso, multam, turbidam et saepe arenosum sedimentum habentem reddi. Non raro etiam aliquid cruenti urina exhibet, sed id solum evenit, ubi *calculus* renum vasa, aut aliarum partium, per quas transit, sauciaverit.

Quomodo interdum dolor subsideat.

Sedes eius, si a calculis est, et urinae conditio.

Cur interdum urina cruenta.

§. CLXXXIX.

Arenae non semper sunt calculi renum indicium. Quando calculos indicent.

Notandum vero est, arenulas sabulumque non semper calculi indicium praebere. Nam interdum hae prorsus absunt praesente calculo, qui quandoque repertus fuit in renibus, quin unquam dolor aut arenulae in urinis praecesserint [1]). Eas demum calculum significare credendum est, aut ad calculosas concretiones pertinere, quae statim ac urina reddita est subsident, nec exacte urinae immiscentur, digitisque compressae non ita facile comminui possunt [2]). Quae carent his notis, plerumque scorbuticae ac hypochondriacae affectionis symptomata tantum haberi possunt. Atque haec quidem de calculis renum satis.

Quando aliorum morborum symptomata sint.

1) In cadaveribus, eorum, qui nunquam, dum viverent, *dysuriam, ischuriam, lumborum et inguinum dolorem* similesque *nephriticos affectus* passi erant, reperti sunt calculi et lapilli, ut BONNIUS testatur *lib. De officio medic. cap. I. pag.* 14. *edit. Lipsiens. Ex sch. auct.*

2) *Vide notam ad* §. *CCLXIX. Vol. III. ex Cl.* MORGAGNIO *depromptam, ubi fusius haec de arenulis doctrina ab auctore exposita est.*

§. CXC.

Signa quaedam calculi vesica contenti. Pondus in perinaeo. Mingendi impedimentum. Tenesmus. Dolor et pruritus ad glandem penis.

Modo ea signa praetereunda non sunt, quibus *calculus vesicae*, quando in ea sumserit incrementum, distingui solet. Haec si non omnia, pleraque saltem observantur. Pondus in perinaeo, impedimentum quoddam inter mingendum, quo saepe urinae fluxus intercipitur, facilior eius exitus supino corpore et adductis ad ventrem genubus, tenesmus, aut crebrum mingendi et deiiciendi simul desiderium, dolor et pruritus ad penis glandem molestus, penis frequentior rigiditas et corporis in vesica moti quidam sensus, dum homo reclinatur, aut saltu vehementiore concutitur. *Calculo* aucto vectio, equitatio et concitatior motus ferri nullo modo potest, ac urina tunc cruenta redditur. Inveterato autem iam malo multum mucosae gelatinae albuminis instar ad matulae fundum urinae deponunt. Verum haec aut non semper se produnt, aut non satis certa calculi indicia habentur, quia

Interdum urinae cruentae. Mucus albus in urinis. Omnia haec incerta signa, quia scirrho communia.

scirrho vesicae collo [1]) innato, aut aliis *tumoribus* communia sunt. Cl. BAGLIVIUS ait rectissime: *calculum vesicae ad amussim mentitur scirrhus vesicae, ut bis in cadaveribus vidimus* [2]). Ad calculum dignoscendum cathetere in vesicam immisso, aut digito in anum inducto opus apprime est, ut certum de eo iudicium statui queat.

Signum unicum quale.

1) *Haec fere omnia symptomata diu passus est Cl.* AUCTOR, *etsi nullus in eius cadavere calculus repertus sit, si lapideam concretionem excipias cartilaginea capsula magnitudinis avellanae inclusam, quae in cellulari textu scroti infixa erat. Abscessus quidem ingens detectus est tum in vesica urinaria, tum in dextro rene, cuius erat moles adaucta, et puris magna copia utrobique apparuit. Fortasse a scirrho intus genito et postea suppurato morbus fuit, cuius quidem non leve indicium attulit, callosa durities, quae in interiori vesicae collo prominebat, et parvi scirrhi, quibus adnexae partes hic illic scatere visae sunt.* Editor, ex historia *visi* et *reperti* a docto chiriatro praetorianorum GEORGIO KAVINA, qui praesto fuit anatomicae sectioni, scriptis mandata.

Observatio deprompta ex anatomica sectione cadaveris cl. auctoris.

2) *Lib. I. Praxeos. Cap. XIII. Quanti intersit praecepta etc.* Vide quoque ANTON. DE HAEN. *P. III. cap. IV. p.* 176. *Rat. med.*

Prognosis.

§. CXCI.

Nephritis tam *spuria* quam *vera* haud spernendum est malum. Inflammationis enim metum vel eam comitem habet. Hinc omnes inflammationis exitus timendi sunt. Multa pariter a solo vehementiori dolore et spasmo imminent, ut de urina retenta ac in sanguinem refluente nihil disseram. Calculorum vero, ut nullum adhuc certum remedium detectum est, sic nulla salutis spes, nisi in eorum expulsione, quando ea possibilis sit [1]), aut in sectione chirurgica, quae tamen plena discriminis saepe est. *Qui calculo renum pereunt, circa finem convulsionibus aut delirio pereunt*, observante BAGLIVIO [2]).

Inflammationis periculum et damna.

An remedium calculi et spes adsit salutis.

1) Narrat DELAHIRIUS, quendam eiecisse calculum olivaris magnitudinis, dum se humi pronus inclinasset, ibi nonnullas

litteras scriptitaturus. *Mém. de l'académ. de Paris. T. VII. p.* 237. *edit. Venet. Ex sch. auct.*

2) *De ictero flavo etc.*

Curatio.

§. CXCII.

Nephralgiae curatio. V. S. Lenientia, emollientia, enemata, fotus, semicupia.

Curatio *doloris nephritici* tentanda illico est sanguinis missione primum e superioribus, deinde etiam ex inferioribus partibus, oleo seminum lini, amygdalarum dulcium, aut olivarum, lenienti ex cassia medicamento, emollientibus quibuscunque, tam intrinsecus adhibitis, quam extrinsecus admotis, enematibus nimirum, fotibus, semicupiis et, si necessitas postulet, etiam opiatis. Procul arceantur diuretica, nisi fuerint mitissima et ad emolliendum idonea, aut temperantia, itemque acria, balsamica et lithontriptica [1]) quaecunque ita dicta. Potus sit aqua ex malva, althaea, verbasci floribus, foliis parietariae, radice glycyrrhizae, aut purissima fontana subacido succo vegetabili, aut nitri tantillo, aut oxymelle adiuta. Atque haec fere singulis doloribus *nephriticis*, non exceptis, quos calculi faciunt, opportuna sunt.

Diuretica omnia, nisi mitiora, procul arcenda. Item acria, balsamica et lithontriptica. Potui danda.

Hulmii methodus ad calculos urinarios dissolvendos.

1) Nathanael Hulmius ad calculos urinarios dissolvendos sequentem methodum evulgavit. *Solvantur XV. grana salis tartari in unciis quatuor aquae purae, et tota mixtura uno haustu sumatur, cui statim aliae quatuor unciae aquae purae superbibantur, quibus XX. guttae spiritus levis vitrioli addantur.* Utrumque remedium quater in die et iustis intervallis repetitur: ita per tres aut quatuor hebdomadas continuatur. Si quis excitetur ardor in vesicae ambitu, tunc ad dies aliquot suspendatur, intereaque sumantur emulsiones. Si venter non obtemperet, clysteribus et tantillo pulpae cassiae adiuvetur. Potui aqua et vini albi aliquantulum detur. Quaeso tamen animadvertatur, in vesica aegroti, quem curavit auctor, vel curasse credidit, postquam aliquo tempore obiit, multos calculos fuisse repertos, qui nondum certe soluti erant, sicut testatur Meinardus Simon du Pui in dissertatione *De homine dextro et sinistro. Ex sch. auct.*

§. CXCIII.

Ad prophylaxin.

Dolore discusso et resoluta inflammatione, tentanda est prophylaxis iis remediis, quibus causae removentur. Generatim

ratim victus ratio accuratior, exercitatio moderata, aquarum thermalium potus, serum lactis, lac asininum et caprillum, abstinentia vinosorum liquorum omnibus convenire solent. Calculosis vero commendantur sapo venetus [1]), aqua calcis crustaceorum [2]), virga aurea, radix cardui stellati, eryngii, ononidis, folia hederae terrestris, veronicae, acmellae, verbesinae aliaque e vegetabilibus desumta et vi diuretica praedita, uti cepae, raphani, rapae, pastinacae, porri, apium, petroselinum, beta, tragopogon ac similia. Succus betulae e superioribus ramis verno tempore sauciatis, crassitiem circiter trium digitorum habentibus, exstillans singulis mane diebus ad aliquot cochlearia usque ad levamen datus calculosos, teste primum HELMONTIO et BOYLEO [3]), deinde LANGEO [4]), mirifice sublevat. Est succus acidulus. Servari potest in lagena vitrea, si in ea inversa fili sulphurati ardentis fumus excipiatur, et eo extincto statim succus immittatur, et orificium arcte deligetur ex CNOEFFELII fide. Sic incorruptus servari diu potest. Proponitur quoque contra podagricos dolores. *Arenulae* et *calculi minores* feliciter expelluntur pulvere baccarum iuniperi, vel earum diluto cum lacte caprillo aequa parte remixto, et per aliquot dies continuato [5]). Nec sua laude fraudanda est radix pareirae bravae, quae etiam tum locum meretur, cum *ulcera* et *abscessus* in viis urinariis suborta fuerint [6]). HAENIO quoque in ulcere renum, ureterum et vesicae cum calculi suspicione proficua visa est uva ursina [7]). Laudantur etiam varia iniectionum genera [8]). LANGEO est summum antinephriticum illud HENRICI MEIBOMII, quod fit ex aequali parte terebinthinae venetae et extracti cascarillae. Datur ad grana sex cum aqua nymphaeae, donec urina clarescat, et dolores cessent, quod intra paucos dies evenire asserit [9]). Iuxta nonnullos nitrum, si singulis XIV. diebus sumatur iusta dosi, a calculis praeservat, ut SCARDONA animadvertit [10]). Quod praestare etiam tradunt mucilaginosa et unctuosa, veluti lac, hordei et oryzae decocta. Carnes lixae magis calculosis, quam frixae conveniunt. Vina eligenda mi-

Thermae. Lac.

Calculosis aptiora. Aqua calcis crustaceorum. Diuretica.

Betulae succus.

Quomodo ad usum servetur.

Adversus arenulas Pulvis baccar. iuniperi, vel cum lacte caprillo dilutum earum.

Radix pareirae bravae ulceribus quoque prodest. Iniectiones.

Antinephriticum MEIBOMII.

Curatio praeservativa.

Diaeta.

nus austera, aquae potandae levissimae et purissimae fluminum, suadente MEADIO [11]). Decubitus in dorso vitandus; magis in latere renis affecti.

1) Lixivium ipsum saponariorum optimum et innocuum lithontripticum habetur. De hoc exstat liber anglice scriptus ROBERTI HOME *chirurgi, et Londini* editus *in* 8. *ann.* 1783. Vid. *Journal de médec. T. LX. p.* 264. *Ex sched. auct.*

Observationes circa usum aquae calcis.

2) *Vol. III. p.* 10. *et* 52., *et Vol. IV. p.* 611. *Comm. de reb. in sc. nat. et med. gestis:* ubi plura ex WALPOLE et WHYTTIO referuntur. Modus adhibendi dictam aquam ex ostrearum calce habetur *ibidem p.* 613. *et Vol. V. Tentaminum Edinburgensium etc.* Nimia tamen eius dosis, ut observat HUXHAMIUS, *phthisin, scorbutum* et similia inducit, quod monet etiam HAENIUS et proprio tandem periculo ostendit ipse WALPOLE. *Ex sch. auct.*

3) BOERHAAVIUS *Chem. T. II. p.* 95.

4) Miscell. veritat. Fasc. I. p. 21.

5) LANG. *l. c. p.* 22. HOFFMANNUS corticem radicis acaciae, eius decoctum, roob iuniperi et cynosbati specifica quadam virtute pollere tradit, cum ex imbecilli, et remisso renum tono morbus est. Adversus calculos non modo minores, sed maiores etiam MARIANUS celeber chirurgus remedium sua experientia comprobatum proponit, quod est huiusmodi. Rec. *Semin. apii sylvestr. drachm.* jv. *Florum cardui stellat. unc.* j. *Siccentur in furno et deinde fiat pulvis. Dosis semidrachma vel scrup.* ij. *semel vel bis in die.* Iniectione quoque utebatur ex carduo stellato. *Ex advers. auct.*

6) Vid. GEOFFROYUM *T. I. p.* 189. *et* 100. *Formula* prostat *p.* 443. Est autem huiusmodi. Rec. *Radic. butuae pulver. Radic. liquirit. pulv. ana scrup. sem. Balsam. copaiv. q. s. M. f. p. cap. mane et vespere.* Vide de ulceribus renum SCARDONAM *cap. de renum et vesicae calculis* §. 15. Si ulcera renum et vesicae erysipelatosa sint, ut saepius contingit, detrimentum accipiunt, referente FR. HOFFMANNO, *a balsamicis omnibus, resinosis et oleosis,* GEOFFROY. *l. c. p.* 438. *Ex adversariis auct.*

7) *Rat. med. P. III. c.* 4. *P. IV. c.* 7. Vid. BARBEIRAC. *medicament. form. p.* 163.

8) Vid. *Comment. de reb. in S. N. et M. gest. Vol. IV. p.* 273., ubi fit mentio de libro a BUTTERO edito, in quo ratio exponitur calculis medendi iniectionum ope. *Ex advers. auct.* Vid. DESSAULT *Dissertation sur les pierres etc. et Essais de méd. d'Edimb. Vol. VII. p.* 124. *etc.*

9) *L. c. p.* 30.

10) *Lib. III. cap. XI.* §. X.

11) *Monita et praecepta medica cap. X.*

CAPUT XVI.

DE MICTU CRUENTO ET HAEMORRHAGIA PENIS.

§. CXCIV.

Definitio mictus cruenti.

Sanguis quandoque e *renibus*, *ureteribus* et *vesica* cum urina fertur, eamque *cruentam* reddit. Raro purus et solus prodit, nisi ex urethra tantum profluat. Αἱματουρίαν sive *mictum cruentum* vocant. Causae sunt, quae reliquarum haemorrhagiarum, sed imprimis plethora, ictus, calculi, aut eorum transitus difficilior, vehementior motus, exercitatio, vectio, haemorrhoides vesicae, ulcera urinarias vias occupantia, dyscrasia scorbutica, cantharidum usus, consuetae sanguinis evacuationis, quae ex aliis partibus fieri solebat suppressio [1]).

Causae.

1) Legi meretur historia *mictus cruenti a callo* vesicae, quam ZWINGERUS refert *T. Act. helvet. p.* 13. *Basileae edit. ann.* 1757. *Ex sched. auct.*

§. CXCV.

Discrimen inter urinam cruentam et alias urinarum rubrarum species.

Urina rubra a febrili motu, aut assumta radice rubiae, aut fructibus opuntiae comestis tincta, confundi cum urina *cruenta* non debet. Illa tenuis, perspicua est, nec lintea immissa aut chartam tingit; haec vero turbida, crassior, et saepe sanguinem vel sanguinis grumulos ad fundum vasis deiicit, signaque affectae partis, e qua erumpit, plerumque non desiderantur.

D i a g n o s i s.

§. CXCVI.

Sanguis e renibus, qui proprie hae-

Si a *renibus sanguis* descendit (proprie tunc *haematuria* vocari potest), copiosus esse solet et intime urinae per

maturia est, eiusque notae. *An dolor eam comitetur.* *Signa sanguinis ab ureteribus erumpentis.* *A vesica manantis signa.*

mixtus. Dolorem alii abesse, alii comitari tradunt. Sed neutrum constans est. Si ex *ureteribus* prorumpit, paucus, sed tamen cum aliquo circa ilia, aut lumbos, aut umbilicalem regionem hypogastrium versus dolore mingitur, et causae, quae ureteres laeserint, antecedere illum consueverunt. Ex *vesica* promanans pariter multus esse potest, plerumque in grumos et thrombos coactus, interdum nigricans, interdum floridus et purus, interdum urinae, sed non probe, commixtus. Atque is saepe cum dolore aut ardore et aliqua etiam difficultate meiendi coniungitur. Sed haec aliaque signa quamplurimum variari possunt.

§. CXCVII.

HAEMORRHAGIA PENIS.

Stymatosis. *Quid hoc nomine intelligendum.* *Eius symptomata.* *Penis conditio.* *Copia sanguinis.* *Fluxus ratio.* *Quandoque periodicus.* *Causa quae.*

Huc spectare videtur *haemorrhagia penis* sive *stymatosis*, plerumque a pathologis praetermissa. Coelius Aurelianus tamen de ea loquitur *libro V. capite IV.* Hac intelligimus *sanguinis puri* ex *interiori penis meatu*, sive urinae itinere, itemque ex *glande*, aut *praeputio profluvium*; quod dum minime mingendi cupiditas est, sine ulla urinae emissione, sine nisu et saepe sine dolore ex aperto exesoque sanguifero vase contingit. In hoc profluvio modo penis flaccidus est, modo riget; sanguinis quoque copia varia est, nam interdum intra aliquot uncias continetur, interdum ad plures etiam libras ascendit. Quandoque intra unam vel alteram horam desinit, alias diutius protrahitur. Nec desunt exempla fluxus eiusmodi saepius recurrentis, imo periodos statas servantis, quales habet fluxus menstruus aut haemorrhoidalis, aut etiam tunc solum erumpentis, quando coitus celebratur, aut pollutiones superveniunt. Causae non aliae, quam quae supra memoratae sunt, hic quoque afferri possunt.

Prognosis.

§. CXCVIII.

Magnitudo periculi in hoc morbo ex sanguinis effusi copia, ex continuatione aut recursu, ex symptomatibus, aut morbis coniunctis, ac demum ex partis affectae ratione aestimatur. Minus discriminis in eo est *sanguinis fluxu*, qui sedem in *pene* habet. Magis vero in eo, qui e *vesica* et *ureteribus* profiscitur, omnium maxime demum timendus, qui e *renibus*. *Periodicus* autem, nec copia excedens sine noxa esse consuevit.

Unde petenda. *Haemorrhagia penis levior.* *Ureterum gravior.* *Renum gravissima.*

Curatio.

§. CXCIX.

Curaturo *mictum cruentum* tria potissimum incumbunt; causae scilicet ablatio, sanguinis, si acritate aut inquinamentis scateat, emendatio, et partium tandem, e quibus sanguis effluit, confirmatio. Quare inquirendum primo est, an sanguis copia peccet, an acritate et dissolutione. Copia tollitur illico vena secta in brachio, quo etiam auxilio illud conficitur, ut sanguinis motus ad superiora avocatus minori ad partem, unde elabitur, impetu feratur, locumque relinquat, ut aperta aut disrupta vasa se contrahant coalescantque. Emitti etiam poterit hirudinum venis sedalibus applicatione, si fluxus haemorrhoidalis suppressio aut mensium morbo occasionem dederit. Si vero ex signis alibi a nobis pluries expositis appareat, sanguinem aut putredine colliquescere, aut acritatibus inquinari ac dissolvi (nisi cum hisce vitiis magna vasorum plenitudo coniungatur), omissa sanguinis missione, praestabit antisepticis putredini, aut demulcentibus edulcantibusque acritudini obviam ire. Inter quae primum locum sibi vindicant acida omnia tam vegetabilia, quam fossilia [1]), cortex peruvianus, simarouba, antiscorbutica tem-

Indicationes. *V. S. in brachio si copia sanguinis peccet.* *Quando utilis hirudinum applicatio venis sedalibus.* *Antiseptica quae et quando.* *Demulcentia.*

Frigidissimus aquae potus, et lac chalybe alteratum etc. *His addenda corporis animique quies et frigidus locus.* *Quinam aegri positus.* *Decoctum arnicae, aut rad. rubiae tinctorum.*

peratiora, serum lactis acidulatum, emulsa e seminibus frigidis, mucilaginosa quaecunque, gummi tragacantha, arabicum, atque his similia. Sed prae ceteris aquae frigidissimae potus et lac [2]), imprimis ovillum ut densum, ignito chalybe alteratum, aut succo aliquo, qui peculiari et notae acritudini adversetur. Lac potissimum convenit, si cantharides aut acria medicamenta morbum fecerint. Si vero motus vehemens corporis, ictus, contusio aut calculus vasa sanguifera [3]) perruperit aut dilaceraverit, iis, quae sanguinis copiam et motum imminuunt, addenda etiam summa tum animi quies est, temperatissimoque in loco aeger sic collocandus, ut potius ad frigidum inclinet. Quae observanda etiam sunt pro rerum circumstantium ratione in aliis etiam quibuscunque morbi originibus; sed ita sit oportet aegri positus, ut dorso lumbisque quamminimum incumbat. Speciatim mictus ab ictu aut contusione ortus optime curari dicitur decocto florum et foliorum arnicae, aut radicis rubiae tinctorum cum hydromelite.

1) Vid. *Vol. II.* §. 242. *et* 271. Ibi prae ceteris *acidum vitriolicum* in *mictu cruento* excellere auctor tradit. Vide quoque, quae supra proposita sunt §. LXX. et LXXI. adversus *fluxum cruentum.*

Observatio POISSONIERII.

2) CLERICUS (*Histoir. natur. de l'homme malad. T. II. p.* 31.) narrat, quendam post varia ac diuturna morborum genera, quibus vexatus fuit, incidisse in *mictum cruentum.* POISSONIERIUS ex reliquorum remediorum irrito usu coniecit, medendi rationem immutandam esse, ideoque ei auctor fuit, ut lacte vaccino uteretur, ut vacca furfuribus aqua subactis urticisque pungentibus vesceretur. Lacte sic medicato aeger convaluit. Tribus post annis obiit tamen aeger ex fungo vesicae innato; quod nullo modo officere observat CLERICUS medicatae huius lactis facultati, cum sciamus XX. et ultra haemoptoicos eodem remedio fuisse restitutos. *Ex sched. auct.*

3) Haemorrhagiam a calculis inductam ob aliquem ramum venae portae disruptum novimus ex observatione quadam inserta diario medico *Journal de médec.* mensis Iulii ann. 1782. *Ex sch. auct.*

§. CC.

Adstringentia quae et quando.

Quod si *laxitas* atque *atonia* causam praebent, aut mictum cruentum subsequuntur, etiam adstringentia in usum

vocanda sunt, uti succus plantaginis, urticae non urentis, decocta ex equiseto, consolida maiore, millefolio, additis trochiscis de carabe aut Gordonii, prae ceteris ab HOLLERIO et DURETO laudatis, terra catechu, bolo armena, fungo melitensi atque aliis, de quibus dictum est, ubi de aliarum partium haemorrhagiis verba fecimus. Neque vulneraria lenique balsamica vi praedita remedia aliena sunt, si ab *ulcere abscessuque* sanguis profundatur. Extrinsecus etiam et frigida actu et leviter adstringentia admoveri possunt. *Quando balsamica prosint. Topica.*

§. CCI.

In *penis haemorrhagia*, si vere talis est, compressione, frigidae adspersione iniectisque lenibus adstringentibus, uti aqua vulneraria, vel Rabelii, vel plantaginis cum saccharo saturni aut alumine crudo [1]), vel decocto chinae chinae et similibus utendum est; nisi sanguinis paucitas et periodicus eius fluxus periculi expers omnem curationem supervacaneam reddat. In hisce autem morbis quies imperanda ad prophylaxin et victus potissimum accuratissima ratio est. Motus, exercitatio, venus sedulo vitentur. Pulmenta ex hordeo et oryza et iuscula cancrorum fluviatilium, imo esus eorum laudantur. Aquae item medicatae aestivo tempore. *Ad penis haemorrhagiam. Frigidae aspersio, compressiones et iniectiones adstringentes. Prophylaxeos regulae.*

1) Videsis *Vol. II. §. cit. CLXXI. in nota* formulas *seri lactis aluminosi* et *specifici helvetiani*, et quae sequenti nota fuse ibi ab auctore disseruntur de acidorum vi et natura.

CAPUT XVIII.

DE DIABETE.

§. CCII.

A mictu cruento ad *nimiam urinae profusionem* progredimur, non quamcunque (nam saepe in hydropis aut *Quae urinae profusio morbosa, de*

qua hic agitur. acutorum morborum solutione, aut post perspirationem cohibitam, aut uberiorem potum, spasmosque hypochondriacos ac hystericos innoxie profunditur), sed eam, quae vires prosternit, corpus tabefacit, et siti inextinguibili extorret [1]). *Urinarum symptomata et varietates in diabete.* Hanc graeco nomine Διαβήτην sive *diabeten* vocamus. Itaque urina in eiusmodi morbo vel copiosius emittitur, quam assumti potus aut seri in sanguine existentis quantitas postularet, et sine dolore mingitur, vel saporem, odorem coloremque potus assumti parum aut nihil mutatum refert, vel chylo ipsi simillima est. Hinc in aliis aquea et cruda, in aliis pallida, turbida aut crassa, quandoque melle quasi tincta, et simul dulcis [2]), quandoque alba ac inodora, interdum etiam violam redolens emittitur.

1) Quae copiosior urina ab humiditate in aëre hospitante absorpta redditur, utpote nihil noxae inferens, a nobis plane excluditur.

2) Quando urina mellis aut sacchari odorem et saporem refert, *verus diabetes* est iuxta quosdam auctores; cumque *diabeten anglicum* appellat SAUVAGESIUS, quod Anglis familiaris est. Vide TARGIONI *Opuscoli fisico-medici T. II. p.* 53. *Ex sched. auct.*

§. CCIII.

Variae diabetae species. Hae variae urinarum excretiones uno vulgo nomine comprehendi solent. Sed praestat eas cum ETTMÜLLERO in varias species distinguere, nimirum in *diabeten verum*, in *nothum* sive *spurium*, ac in *chylosum* [1]). *Verus.* *Verus* est cita per urinam potulentorum parum aut nihil mutatorum transmissio; *diabetes* enim a Διαβαίνω, quod est *cito transeo*, derivatur. *Nothus et chylosus.* *Nothus* sive *spurius* is est, in quo plus urinae redditur, quam sit putulentorum assumta quantitas. In hoc fere colliquatio quaedam totius sanguinis videtur adesse. In tertio demum *chylus* cum urina aut urinae loco mingitur. *Notae singulorum.* In *prima* igitur specie *cruditas* potius, quam quantitas, in *altera immodica copia* considerantur. Inter has quendam quasi gradum constituit intermedium ea, quae qualitate peculiari et *chyloso* succo se distinguit.

1) ODOARDUS BARYUS distinguit *diabeten* in *quatuor* species. *Primam* confert cum diarrhoea, et dicit *chylum* in ea immutatum per renes excerni. *Secundam* repetit ex *tubulis renalibus* dilatatis ex compressione eorum aliquot ob *calculos;* unde reliqui dilatentur oportet. *Tertium a sanguinis colliquatione* ex vitiata bilis natura. *Quarta* est *nervosa* et *convulsiva. A treatise on the three different digestions etc. London* 1759. *sect. III.* Ex sch. auct. *Divisio* BARYI.

§. CCIV.

Causa non una esse potest. Modo hepatis viscerumque chylificationi dicatorum debilitas, modo sanguinis colliquatio serosa, modo renum laxitas et atonia, modo ex his plura simul concurrunt. *Multiplices causae proximae.* Remotae vero sunt potus aquosi, calidi, copia nimia et diu assumti, vini abusus, nimius aquae thermalis potus imprimis valide urinam cientis; diuretica validiora [1]), mercurialium et resolventium usus diuturnus, venena acria et colliquantia, vita nimis exercitata, aut otiosa nimis, veneris abusus, humidi aëris constitutiones, refrigeratio corporis, renum morbi, uti nephritici dolores, abscessus, calculi, metastasis arthritidis iuxta SYDENHAMIUM, magna nervorum irritatio iuxta WHYTTIUM [2]), ut in dentitione, hepatis [3]) lienisque obstructiones, morbi acuti aut chronici praegressi, morsus dipsadis [4]); quibus adduntur ab aliis [5]) primarum viarum saburra, digestio vitiata aliaeque similes causae; sed in his casibus *diabetes sympathicus* est. *Remotae.*

1) HILDANO, WILLISIO, LISTERO observantibus.

2) Vid. TISSOT. *Epist. varii argum.*

3) MEADIUS in *diabete* mortuis semper aliquid steatomatosi referre *hepar* invenit; quod *crassiores et oleosae partes minus subactae in refrigeratis corporibus figantur in hepate. De viper. pagin.* 117.

4) A morsu serpentis, qui *dipsas* dicitur, ARETAEUS vidit *diabeten* exortum, ut memoratur ab AETIO *Tetrabibl. IV. sermon. I. cap.* 22. Ab huiusmodi serpente morsus obiit AULUS TUSCUS miles CATONIS in Africa, LUCANO teste. Serpens viperae similis est. Hic morbus vocatur δίψακος, quod sitim infert. Vid. PAUL. AEGINET. *lib. III.* et BOMAR. *Dictionn. de chymie etc. Ex sched. auct.*

5) M. BAUME *lettre à l'auteur du Journal.* Vid. *Volum. LVII. p.* 224. *du Journ. de médecine de Paris.*

Diagnosis.

§. CCV.

Symptomata. Macies, sitis, siccitas febris interdum hectica. Lumborum dolor. Crebra exspuitio. Testium et pedum oedema. In peripneumoniam desinit. Observatio Lockii *ex* Cocchio.

Quocunque modo *diabetes* corripiat, alimentum corpori subtrahitur; hinc macies ingens, sitis, interdum febris hectica et interiorum partium siccitas consequuntur. Lumbi praeterea et coxae saepe dolent, viscera aestuant, saliva crebro exspuitur, nonnullis testes et pedes leviter intumescunt, imo interdum in peripneumoniam [1]) aut difficilem deglutionem aliqui incidunt, qua demum finis malo imponitur et vitae.

1) Iohann. Lockius, referente Cocchio (*Bagni di Pisa p.* 271.), septem aegros ex *diabete* laborantes vidit, qui post duos vel tres annos obierunt ex *peripneumonia*, et sanguinem exspuerunt uno vel altero ante mortem die. Idipsum vidi ego in comite Summariva Laudensi. *Ex sched. auct.*

Prognosis et Curatio.

§. CCVI.

Quando curabilis sit, quando non.

Levior morbi gradus saepe curabilis est. Si iam invaluerit, vix remediis cedit, infirmis praesertim corporibus, cachecticis, senibus, venere fractis superveniens. Periculosus summopere est in febribus ardentibus aut malignis ante crisin contingens. *Curatio* autem causis accommodanda est. In universum perficitur temperantibus, crasin sanguini debitam et robur solidis partibus, et maxime renibus restituentibus. Hinc omnia incrassantia, ut serum lactis aluminosum [1]), lac vaccinum [2]) cum aqua plantaginis coctum, aut cum philonio, gelatinae extremitatum vituli aut vervecis, iuscula ranarum, cremores oryzae, hordei, avenae, pulmenta farinacea sagou, radicis saleb, aut orchidis morionis, emulsiones e seminibus frigidis, ex amygdalis dulcibus, gummi arabicum, tragacantha, et anodyna ex nymphaea, portulaca et papavere albo parata. His quae adstringunt et roborant

Curatio *generalis. Temperantia, incrassantia et roborantia. Lac vaccinum medicatum. Demulcentia. Farinacea. Refrigerantia. Anodyna. Adstringen-*

addenda sunt, iam supra memorata; sed praecipue martialia, tinctura chinae, coralliorum, conserva rosarum antiqua, cotoneorum, sorborum et similia. Quae de tinctura cantharidum adversus *diabeten* referuntur [3]), vix fidem merentur. In *diabete* a *diureticis* excitato rhabarbarum ad semidrachmam cum tartaro solubili saepius dandum suadet VOGELIUS. MEADIUS aliique Angli commendant aquam *bristolensem* aquae calcis persimilem [4]). Imo WILLISIUS ipsam calcis aquam proponit [5]), cui MACBRIDIUS adiici vult infundique corticum quercus portionem [6]). BAGLIVIUS laudibus effert pilulas ex catechu [7]). Alii aquas ferratas. COCCHIO acidulae cum diaeta lactea probantur, item aqua glacie frigefacta [8]). Alienum non est etiam externis adstringentibus uti renum regioni admovendis [9]). Ex his patet, quaenam victus ratio esse debeat et vitae regimen. Potus sit ex chalybe alteratus et vinum austerum ac meracius.

tia et roborantia.

Quid de tinctura cantharidum credendum.

Aqua bristolensis.
Aqua calcis.

Aquae ferratae.
Acidulae.

1) MEAD. *cap. IX. sect. II. Monit. et praecept. med. Fit tribus drachmis aluminis pulverati, et in libras* jv. *lactis paullulum cocti iniecti. Sumitur autem ad uncias* jv. *ter in die.* BRISBANIUS interim asserit, sibi parum respondisse tum serum aluminosum, tum corticem peruvianum et reliqua adstringentia. Utiles tamen reperit emulsiones amygdalarum dulcium cum gummi arabico. *Select. cases in the practic. of medicine etc. London* 1772. *Ex sched. auct.*

2) *Historiam* diabetae spurii *ab* AUCTORE *curati, quam ex eius diario italico anni* 1782 *deprompsimus, huc transferre libet, ut pateat non modo diaetae lacteae utilitas, sed quandoque etiam in huiusmodi morbo sanguinis missionem obtinere et utilem esse posse. En historia ad verbum latine reddita.* „Mense maio huius anni (1782) rogatus praesto fui seni septuagenario maiori, sanguineo biliosoque habitu praedito, qui, cum nondum ab *hemiplegia* penitus evasisset, *diabete spurio* correptus copiose ita mingebat, ut quotidie urinae uncias amplius CLX. aut CLXX. redderet, quin tamen eius potus tertiam ponderis partem aequaret. Urinae quippe naturales erant et clari perspicuique coloris. Sed duobus ab hinc mensibus omnia incassum adhibita remedia fuerant. Rhabarbarum ergo ad purgandum cum tamarindorum pulpa epicratice sumendum statim suasi, mittendumque item sanguinem e pede, quod aberrationibus ferme maniacis rapi inciperet, et pulsus satis validi ac duriusculi essent. Tum longiorem lactis usum, adiecta chinae chinae tinctura, praescripsi. Hisce remediis paulatim imminutus *diabetes,* atque mense transacto, ex quo iisdem utebatur aegrotus, a morbo omnino liber evasit, et

Historia diabetae ab auctore curati.

Sanguinis missio in diabete.

domo exivit. Quod vero attinet ad *sanguinis missionem in diabete*, animadvertere hic volo, non multo pridem me convenisse quendam eodem morbo laborantem; et simul ex vesicae renumque etiam fortasse abscessu iamdiu suppurationibus obnoxium, cui sanguinem mitti pluries imperavi, quotiescunque nimirum febri spirandique difficultate fere peripneumonica corripiebatur; quod factum quidem optimo semper cum eventu est. Sanguis vero crusta pleuritica contectus apparuit, responditque ad amussim duro validoque pulsui." *Hactenus auctor. Aeger primus, cuius historiam retulimus, fuit dominus* HIERONYMUS CASATUS, *qui Mediolani ad Celsianum pontem habitabat.*

3) MORGAN *(Practique mechanique etc.)* laudat *cantharidum tincturam*, quae conficitur ex *semuncia catharid. infus. in elixir. citriol. lib.* j. Dosis *a guttis XV. ad XXX. vel LX. bis, terve in die: superhaustis aquis bristolensibus.* Eandem tincturam etiam BRISBANIUS *l. c.* commendat, quia *diabeten* oriri putat ex *paralysi nervorum renalium*. Vid. *Raccolta di opusculi fisico medici di* LUIGI TARGIONI *T. II. p.* 7. Noster ad idipsum Anglos reprehendit in fine §. *CCLXII. Volum. II.* Vide ibi.

4) *De viper. p.* 118.

5) *Cap. de diabete.*

6) *A methodical introduction to te theory and practice of physic. London* 1772.

7) *Lib. I. cap. XII.*

8) *Bagni di Pisa p.* 270.

9) TISSOTIUS praescribit corpus universum oleo perfricari, datis interius interim roborantibus, et praesertim rheo; *morbus* enim fit *ex aucta respiratione cutanea, quae enormis esse demonstratur ex plurium observationibus, et praesertim Cl.* MELZ et KRATZENSTEIN. *Epist. var. argum. p.* 141., ubi etiam subdit: *cantharides cuti applicitas exspirationem augere, inspirationem imminuere, revellere, cutis functiones restituere.* Num ergo *diabetae* prosunt? *Ex sched. auct.*

CAPUT XVIII.

DE URINAE INCONTINENTIA EIUSQUE SUPPRESSIONE.

§. CCVII.

Quando urina e vesica, insciis aut nolentibus aegris, plerumque sine stimulo exit, morbus vocatur *urinae incontinentia*, sive *enuresis* SAUVAGESII; quae definiri potest *mictio involuntaria* atque *inopportuna*. Pueris praesertim ac puellis inter dormiendum accidit; somno enim obrutis vires animales sopiuntur, aut sphincter resolvitur, aut stimulo, quin excitentur, ad mingendum quasi evigilarent sollicitati urinam emittunt. Paralyticis, item epilepticis, delirantibus, apoplecticis et morti proximis frequens morbus est. Senes item, herniosi, gravidae, puerperae, fistulis aut calculis vesicae laborantes, lithotomiam aut vertebrarum luxationem passi, aliisque viarum urinariarum vitiis affecti obnoxii huic morbo sunt. Hinc *enuresis infantum*, sive *nocturna*, *paralytica*, *spastica*, *calculosa*, *primaria*, *secundaria*, *idiopathica*, *symptomatica* profluunt.

Quid sit incontinentia urinae.

Qui ei obnoxii.

Differentiae.

§. CCVIII.

Causa praecipua vel est sphincteris vesicae nimia laxitas, vel relaxatio, aut violenta et spastica fibrarum vesicae contractio, cui non satis reniti possit sphincteris resistentia. Causae remotae facile ex dictis erui possunt. Contrarium huic vitium exhibet Ἰσχουρία sive *urinae suppressio*, cuius duplex genus est, *vera* nimirum et *spuria*. *Vera* dicitur, quando urina tota in vesica urinaria colligitur et retinetur, nec quidquam eius profluit. *Spuria* vero, quando vesica vacua est, nec ulla e renibus urina in ipsam descendit, quia vel in iis non secernitur, vel secreta nequit libere suum iter prosequi.

Causae proximae.

Remotae.

ISCHURIA.

Quid et quotuplex.

Quae vera.

Quae spuria.

§. CCIX.

Cur a renibus urina non secernatur. Vitia sanguinis quae et quot. Quaenam vitia renum.

In renibus autem non secernitur, vel secreta ad vesicam non fertur, primum vitio *sanguinis*, si crassus, viscidus nimis fuerit, vel copiosior affluat ad renes, vel motu celeri eos praeterlabatur, vel a renibus arceatur, compressis vasis emulgentibus ab aneurysmate aut a polypo obstructis, deinde *renum* culpa, si spasmo eorum tubuli sint affecti, vel atonia et paralysi laborent, vel renes turgeant ob impeditum sanguinis ab ipsis per venas emulgentes refluxum, vel extrinsecus compressi a pinguedine, a faecibus coli, ab hydropicorum aqua, vel alia causa suum munus obire non possint, vel obstruantur a calculis, ab arenulis, a viscidis et crassis humoribus, a pure, ab inflammatione, ab apostemate, a scirrho aliove tumoris genere. Deferri ad vesicam urina demum non poterit, si similia *ureteribus* accidant, quae urinae iter praecludant, et imprimis si eorum extrema ostia coaluerint.

Ureterum vitia.

§. CCX.

Causae impedientes excretionem urinae. Vesicae paralysis, vel abdominis musculorum. Distractio, vel delapsus vesicae in scrotum. Callus rugaeque colli vesicae. Hernia interioris eius tunicae, vel venae varicosae. Spasmus sphincteris. Urethrae obstructiones. Eadem vitia

In *vesicam* vero *urina* delapsa excerni prohibetur, si irritabilitas aut nervea eius vis langueat aut deficiat, ut in eius paralysi accidit, si vires aliae comprimentes minime eam afficiant, ut in abdominis musculorum paralysi aut laxitate nimia, si ex distractione immodica elasticitatem et tonum vesica amiserit, si in scrotum delapsa sit, uti fit interdum in *herniis* scroti, sive cysticis, observante Ruyschio et Stollio [1]), si vesicae *collum* durum, cartilagineum rugosumve [2]), ut senibus accidit, evaserit, si *interior vesicae tunica* laxior facta prolabatur [3]), vel vasis varicosis praeter modum intumescat, si *sphincter* spasmo contractus sit, neque causis urinam impellentibus cedat, si *urethra* tam initio, quam progressu obstruatur a calculo, a muco, glutine, pure crassiore, a grumis sanguinis [4]) vel aliis corporibus alienis, vel si arctetur claudaturve inflammatione, callo, tumoribus, scirrhis, carunculis, fungosis excrescentiis in ea natis, vel in locis ei proximis, nimirum *utero*, *vagina*, *in-*

testino recto, *vesiculis seminalibus*, *prostata*, *glandulis Cowperianis*, *perinaeo* [5]), *scroto*, *pene*, vel etiam quocunque modo hisce partibus ingenter tumentibus. Quibus omnibus addere oportet vulnera *renum*, *ureterum*, *vesicae*, imo harum partium violentam disruptionem [6]). *innata proximis partibus.* *Renum, ureterum, vesicae vulnera et disruptio.*

1) Praeter RUYSCHIUM, STOLLIUS id, inquam, observavit; nam *Part. III. Rat. med. p.* 429. refert exemplum herniae scrotalis, in qua vesica urinaria comprehendebatur, quae inter musculos rectos abdominis a se invicem dimotos supra ossa pubis herniose prodierat. *Ex sch. auct.* *Hernia ex vesica in scrotum delapsa; STOLLII observatio.*

2) Id vidi ego in JO. BAP. GUIDIO medico Faventino, viditque PORTALIUS (*Mém. de l'académ de Paris etc. ann.* 1770. 1771. *p.* 236.); et GILCHRIST. (*Nov. act. phys. med. Edimburg. T. III.*) *Ex sched. auct.* *Rugae colli vesicae.*

3) BORDENAVIUS vidit vesicam hominis in duos veluti saccos divisam. Revera alter ex his erat *hernia interioris eius membranae*, transversim per interstitia muscularis protrusae. Musculares fibrae erant invicem diductae. Fibrae vesicae musculares sunt tantum *longitudinales*, carent *circularibus* et *transversis* validis, quibuscum colligantur; ideo facile a se invicem secedunt. Hinc intervalla, in quae interiores tunicae sese immittunt, maxime ad latera, quia ex lateribus vesica non fulcitur ullo munimine, ut anterius et posterius. *Hist. acad. scient. Paris. ann.* 1775. In *ventriculo* autem, etsi eiusdem *herniae* non desint (*ut* §. *LII. iam diximus*), non fiunt ex interiori eius membrana, quia in ea sunt *fibrae circulares* varii ordinis. PETRIOLIUS (*Corso anatom. p.* 92.) observationem habet ex medico DE RUBEIS depromptam de quadam puella, quae in oppido Paliani agri romani ischuria vesicali plures dies laboraverat, frustra adhibitis omnibus remediis, ne cathetere quidem excepto. Huic tertia die, qua curabatur, intumuit abdominis pars infima, et adeo atroci dolore vexata est, ut ei mors imminere videretur. Sed quarta die conatu magno mingere tentans eiecit paulo post per urethram oblongam membranam, flaccidam, mollem pro vesica putrefacta perperam habitam. Sed revera fuit vesicae mucosa membrana a nervea discreta propter crassescentiam, et integra eiecta, quae in frusta divisa saepe mingitur a calculosis. Puella certe postea facile minxit, et sanitati restituta plane est. Etiam ROHAULTIUS (*Memoria dell' accadem. di Parigi. Edit. Venet. T. VII. p.* 236.) vidit frusta vesicae urinariae eiecta in ischuria vesicali. *Ex adversar. auct.* *Hernia interioris membranae vesicae; observatio. BORDENAVIUS.* *Differt ab herniis ventriculi.* *Vesicae interior tunica mucosa educta ex urethra.*

4) *Ischuriam vesicalem* ortam a *sanguinis grumis* vesicae adhaerentibus ob hiatum *vasorum varicosorum in colle vesicae* vidit, et curavit dominus DE LA PERCHE. Extraxit dictum sanguinem ope syringae, cui parvum clysterem aptaverat, cera ad coniunctionis loca circumducta, eamque in modum tubi adspirantis adhibuit. Idipsum etiam alio simili casu praestitit. *Ischuria vesicae a grumis sanguinis observatio D.* DE LA PERCHE.

Vide *Hist. de l'acad. roy. de méd. T. II. p.* 242 *et* 244. HALLERUS in huiusmodi ischuria perinaei sectionem, ut in lithotomia, proponit. *Ex sch. auct.*

Stranguria a vesicae hernia in perinaeo; PIPLETI *observatio.*

5) PIPLETUS *junior* (*Mém. de l'acad. roy. de chirurg. T. XI. p.* 283.) stranguriam *ab hernia vesicae in perinaeo* ita describit. „Praecessit contusio, aut conatus aliquis enormis, accessit dolor primum acutus, deinde obtusus in perinaeo, difficilis mictus et paucus pro qualibet vice, et manibus *perinaeo* compresso facilior exitus urinae. Si corpus anterius inflectebatur, *tumor in perinaeo* apparebat mollis, rotundus aut oblongus, et in horizontali positu pressione evanescebat. Erat prope *urethram* et parum ab *ano* distans. Causa erat diductio fibrarum elevatorum ani et musculi transversi, qui claudunt inferius pelvim. *Ex sched. auct.*

Exempla ruptae vesicae urinariae.

6) In partu difficiliori mulieris annorum XXXVIII, primiparae *disrupta est vesica* urinaria versus superiorem eius partem, unde urina copiose intra abdomen effusa. Obiit nona a partu die. Vid. *Observ. et disquisit. med. societ. Londinens. Vol. IV. p.* 58. Lethalis uteri inversio cum *vesicae urinariae ruptura* videatur in *Comment. de reb. in sc. nat. et med. gest. Lips. Vol. XVIII. P. III. p.* 409. *Ex sched. auct.*

D i a g n o s i s.

§. CCXI.

Signa ischuriae spuriae.

Ischuria notha sive *spuria* cognoscitur, si vesica in tumorem non attollitur, si nullus circa pubem dolor, et nulla ad perinaeum gravitas percipitur, si demisso in vesicam cathetere nulla urina invenitur. Contra in *vera* molestus gravitatis, doloris et distractionis sensus circa lumbos est, vel renum ureterumque affectorum signa se produnt, immo saepe superveniunt ab urinoso sero retento aut refluente angustiae et anxietates praecordiorum, sensuum torpor, ad somnum summa proclivitas, halitus foetet, sudor urinam redolet, corpus et facies ut in anasarca intumescit, et multa alia gravia symptomata accedunt, quae mortem accelerant.

Signa verae.

P r o g n o s i s.

§. CCXII.

Quid sperandum, quid timendum de

Urinae incontinentia pro causarum varietate plus vel minus difficultatis habet. In pueris quae *nocturna* dicitur tem-

temporis processu sponte plerumque tollitur. In adultis et senibus raro curabilis est, vel saltem diuturna et pertinax. Maius vero negotium facessit, et maius affert periculum *ischuria* tam *vera*, quam *spuria* ob inflammationis imprimis metum, nec prius cessat, quam causae fuerint sublatae. *Secundaria* tollitur morbo, unde profecta est, curato remotisque impedimentis, si quidem removeri possunt.

urinae incontinentia.

Quid de ischuria tam vera, quam notha.

Quid de secundaria.

C u r a t i o.

§. CCXIII.

Sphincteris laxitas, atonia, paralysis roborantia et nervina exposcit, qualia sunt cortex peruvianus, uva ursi, virga aurea, mars, terebinthina, succinum, mastiche; extrinsecus vero tum perinaeo, tum ossi sacro aut spinae lumbari admovenda sunt oleum terebinthinae aethereum, succini, formicarum, balsamum antiparalyticum GHERLII, stillicidia aquae medicatae et similia. Neque frigidae adspersiones omittendae sunt. Vesicantia ad quasvis paralyses commendari, neminem latet, et praesertim origini nervorum, qui ad partem paralysi tactam procedunt, applicita. Quam ob rem ut in artuum superiorum resolutione nuchae apposita plurimum boni praestant, sic eadem de causa ossi sacro in inferiorum paralysi admovenda esse existimat Cl. THOMAS DICKSON [1]), eiusque auxilii utilitatem et praestantiam in urinae incontinentia ex sphincteris resolutione pluribus historiis demonstrat. Rem eandem duobus exemplis confirmat etiam illustris FOTHERGILLIUS [2]). Pueris et senibus atonia laborantibus HOFFMANNUS convenire docet millefolium, veronicam, hederam terrestrem, fragariam, agrimoniam et radicis acaciae corticem. Sed pueris noctu inter dormiendum mingentibus [3]) prodest vesperi a potu abstinere, vel saltem parcissimo uti, vel subinde a somno excitari, ut moniti mingant. Si vesicae spasmus aut convulsivae affectiones incontinentiam efficiant, anodyna ac antispastica convenientissima sunt. Reliquas causas accommodata remedia tollunt.

Ad sphincteris laxitatem aut paralysin.

Tonica et anodyna.

Topica.

Embroche.

Vesicatoria ossi sacro applicanda.

Observationes DICKSONII *et* FOTHERGILLII.

Senum et puerorum incontinentiae aptiora remedia.

Si a spasmis aut convulsivis affectibus sit.

1) *Medical observat. and inquiries by a society. Vol. II. p.* 311., *Vol. III. p.* 102.

2) *Ibid. p.* 138.

Observatio LEGERI *de urinae nocturna incontinentia curata.*

3) *Nocturnam urinae incontinentiam* LEGERUS chirurgiae magister Parisinus in tribus puellis non minoribus XIII., XV. et XXIV. annorum curavit sequenti remedio. Rec. *Pulv. canthalid. gr.* vj., *extract. borag. drachm.* ij. *Misce probe, et divide in partes aequales num. XXIV. Detur una dosis singulis noctibus.* In ea, quae aetate erat XXIV. annorum continuatum est remedium per septuaginta dies, et subinde aucta dosis cantharidum. Si quid ardoris in urina sub hoc remedio percipitur, commendatur decoctum seminum lini potandum. Vid. *Journal demédecine. Janvier* 1781. *pag.* 72. *Ex sched. auct.*

§. CCXIV.

Ischuriae verae curatio. Emollientia et antispasmodica. Candelulae cathaeretica. Cathetere urina frequenter educenda. Quando acu triquetra et ubi vesica perforanda. Diuretica vitanda. TODII *observatio de ischuria ab urina retenta, sive retardata mictione. Quando ab atonia vesicae est, quae curatio. Cortex peruvianus. Spuriae curatio.*

Ischuriae verae modo emollientia, insessus, semicupia, modo haemorrhoidum aperitio, enemata et lenia alvum solventia, modo nervina, roborantia et antispasmodica; modo candelulae dilatantes, suppurationem inducentes, et leniter cathaereticae pro varia causarum ratione opportunissima sunt auxilia. Sed imprimis frequens et diu continuata urinae per catheterem eductio. Si catheter demitti in vesicam minime possit, acu triquetra ex perinaeo vel ex intestino recto (quod tutius est) in vesicam immissa novum urinae iter parandum est. Diuretica vero et acria evitentur [1]). *Ischuriam* vesicalem a retardata mictione natam JO. CLEMENS TODIUS sustulit inunctione perinaei et hypogastrii ex oleo chamaemeli cocto, quocum aliquid olei destillati eiusdem erat commixtum. Ischuriam subsecuta est urinae incontinentia, sive *enuresis* SAUVAGESII, quae sublata est aspersa frigida [2]) [3]). Saepe *ischuria* oritur a laxitate et atonia ipsius vesicae, ut sphincteris resistentia superari nequeat. Cl. MURDACKIUS MACKENZIE in huiusmodi casu post incassum adhibitam venae sectionem, clysteres, semicupia atque alia mollientia dedit corticem peruvianum summo cum effectu [4]). In *spuria* vero fere eadem quae in *vera* commendantur, excepto catheteris usu, qui, ut patet, supervacuus est. Non reprobantur quoque, quae urinam leniter

cient, quae vias laxant et aperiunt, quae crassos densosque humores incidunt attenuantque. *Diuretica hic non improbata.*

1) Vid. §. *CCLXXXIV. Vol. II.*, ubi Cl. AUCTOR diuretica convenire posse tradit tantummodo in *ischuria spuria, in qua urina deficit, quia in renibus non secernitur;* quemadmodum hic etiam innuit in fine paragraphi.

2) *Collect. soc. med. Havniens. Vol. I. p.* 219.

3) *In diario Italico cl. auctoris anni* 1784 *ultimo loco adnotatam legimus sequentem observationem.* Augusto mense comes SALAZZARIUS pater *ischuria vesicali* laboravit. Sanguinis missionibus, clysteribus, fomentis, semicupiis, cortice peruviano, frequentibus urinae extractionibus et simplicibus diluentibus anodynis curatio peracta. Quindecim elapsis diebus suppuratio aliqua orta est, nam, puris copia emissa, tum libere urinae redditae. A tuberculo in collo vesicae genito morbi causa mihi visa est repetenda.

4) *Medical observat. and inquiries by a society etc.* 1758 *p.* 81., et Cl. JO. BAPT. VIDEMARIUS clinicus Mediolanensis opere inscripto: *De rariori quadam ichuriae specie.*

Berolini, formis A. G. Schadii.

